35.



V. CL.

MARCI ZUERII BOXHORNII,

VARII

TRACTATUS POLITICI,

Quorum seriem Index Tractatuum, Operi præfixus, indigitat.



AMSTELODAMI,
Apud CASPARUM COMMELINUM,
ANNO CIↃ IↃC LXIII.

54

Clarissimis, consultissimisque Viris,

D. HENRICO HEIDANO, J. U. D.

D. CAROLO HEIDANO, J. U. D.

D. GERARDO MASTRICHTIO,

Affini, Cognato, Amico.

S. P. D.

CASPARUS COMMELINUS.

CUm, Viri Clarissimi & consultissimi, egregia Doctorum virorum scripta nullâ unquam temporum serie, aut oblivione delenda, judicarem, sed donec

cœlum circa polos ſuos volvatur, conſervanda, ut rude ævum tot illuſtribus præclarorum ſcriptorum monumentis habeat, quo ad cæcæ mentis caliginem pellendam animique nubeculas abſtergendas, ingeniumque laudabilibus ſcientiis & artibus ornandum, nitatur: eoſque multum patriæ prodeſſe, qui ſumma ope nituntur, ut ſalutares ſcientias ab interitu vindicent: Viſum mihi fuit eruditiſſimi, celeberrimi & incomparabilis *D. Marci Zuerii Boxhornii* Opera, nempe, illius Inſtitutiones politicas, Diſquiſitiones ex omni Hiſtoria deſumtas, Diſſertationes de Regio Romanorum Imperio, de Succeſſione, de Pœnis, de Primis Opi-

Opibus Rerumpubl. de Veterum Achæorum republ. & diversa ejus mutatione ac forma, de Legibus, de Amnestia & de Rep. Batavica, prælo mandare; ne scilicet incuriâ tanti Viri Labores & Lucubrationes ex hominum memoria deleantur; equidem ego sic existimo, quicunque animi bona promovere student, majorem certè laudem mereri, quam qui splendore Magistratus & armis patriæ prodesse conantur: quid enim Urbium ac regionum regimen sine literis? quid navis in sævis undis sine perito magistro? quid horrida Martis arma sine consilio ac prudentia, quæ literis humanioribus acquiruntur, prodesse possunt? nam ma-

nu cum hoste confligere magis belluarum, quàm hominum esse videtur: regimen sine sapientia turbas & motus producit: navis sine apto Rectore ventorum arbitrio huc atque illuc jactabitur. Non injuriâ igitur dictum est, respublicas fore beatas, cùm viri docti eas regerent. In hoc nunquam satis Laudando *Boxhornii* Opere horti omnigenis scientiæ fructibus pleni dantur: gazam inæstimabilem invenire erit: hîc fontes saluberrimi consilii, & profundæ scientiæ conspiciuntur; hîc optimi odoris flores exhibentur, & herbæ saluberrimæ reip. porriguntur, quæ omnia ad salutem & ornatum vitæ spectant. Ita ut nihil fuerit, quod me ab utili incepto de-

deterrere potuerit: quod ſcio, Viri conſultiſſimi, vobis non ingratum fore, quorum animus quotidie magis ac magis ſtudiis accenditur: me enim non latet doctis viris illud ingenii eſſe, ut ſemper alicujus laborem maxime probent, ex quo homines fructum & utilitatem uberrimam capiant; velut abunde ex doctiſſimi *Boxhornii* ſcriptis capi poteſt. Quod ſi inſtitutum meum, (quæ res mihi minime dubia eſt) à vobis laudetur, veſtra benevolentia me adhortabitur ad plures inſignes impoſterum ſcriptores typo mandandos. Faxit Deus immortalis, Clariſſimi & conſultiſſimi viri, ut tam diu ego & vos publico bono ſuperſtites ſitis, quoad egre-

giorum ſcriptorum libros; aliquando ex officinis diſtractos, rurſus in lucem ſim editurus. Si tum quoque benevolus, ut ſemper ſuit, erga me animus veſter deprehendetur, mihi ſidera ſublimi vertice videbor ferire.

Amſtelod. 1 *Aprilis* 1663.



In

In Celeberrimi Viri,

MARCI ZUERII BOXHORNII, OPERA POSTHUMA,

Ab Amplissimo

D. ROCHO HOFFERO EDITA.


I*Ncola magnus erat fama* Boxhornius *olim*
Orbis, ad Eoas occiduasque domos.
Sidus inocciduum quò sit post fata superstes,
Præstat apud cunctos Hofferiana *manus.*
Candida posteritas, linguis animisque favere
Te deceat, deceat nomen utrumque legi.
Æternaturi dederat monumenta laboris
Zuerius; *ingenium docta papyrus habet*
Fœnerat extincto lucem præclarus ademtam
Rochus, *&* *in manes officiosus adest.*
Editor aut scriptor nequiit præstantior esse,
Sufficiuntque virûm nomina tanta sibi.
Esto pudor meritis mihi verba minora profari;
Ingenii culpa deserere esto pudor.
Laudibus addo nihil tantillus præco Poëta,
Sit satis ad laudes hic tacuisse meas.

HENRICUS BRUNO.

TYPOGRAPHUS LECTORI S.

NObis, Benevole Lector, Institutiones Politicas MARCI ZUERII BOXHORNII, *Literatorum sui seculi facile principis, prælo subjecturis suaserunt Viri non contemnendi, ut in Philologorum gratiam alia quædam ejusdem Auctoris, huc spectantia, adjungeremus. Nos studiorum promotioni consulendum rati, persuaderi nos passi sumus; ac proinde Disquisitiones Politicas ex omni Historia depromptas, adjecimus; & Dissertationes quasdam doctissimas, Civilis scientiæ arcana penitus recludentes, ac Romanas Historias breviter enucleantes illustrantesque, insuper addidimus: Denique Reipubl. Batavicæ novam & ac-*

& accuratam Descriptionem inseruimus; adeò ut hoc Opus, absit arrogantia dicto, plenariam Politices, ac Romanorum Batavorumque Imperii Doctrinam contineat. Tu nostro labore utere ac Vale.



INDEX.

TRACTATUUM.

ADRIA-

ADRIANI HOFFERI

IN

EFFIGIEM

MARCI ZUERII BOXHORNII.

SI Romana suis posset facundia fari;
Et populis vellent tempora prisca loqui:
Hoc vultu responsa darent, nec dignius unquam
Jurarent Latiis ora soluta modis.
Aspice, Belga, virum, famâ qui judice gentes
Pervolat, & spatium nescit in orbe sui.
Hoc tamen arctatur magnus BOXHORNIUS *are,*
Lata sed ingenii regna papyrus habet.

C. BAR-

C. BARLÆI

IN

EFFIGIEM

M. Z. BOXHORNII,
admodum adhuc Juvenis.

ADſpice Palladii vultum, ſpectator, ephebi,
Claraque facundis vocibus ora lege.
Ipſa ſenum velox ſapientia prævenit annos,
Et ſpatiis ætas fallitur acta ſuis.
Vir loquitur, ſcribitque. ſenex vernante juventa.
Et Satyra mores liberiore notat.
In Batavis prætexta ſapit; ſub ſidere noſtro
Dum juvenis fatur maſcula verba Cato.
Pingitur imberbis, qualem ſe pingit Apollo.
Quantum eſt, ipſa etiam fronte referre Deos!

Quantum est quod Scitur!

MARCVS ZVERIVS
BOXHORNIVS,
Bergopzomanus, Eloquentiæ in Acad. Leidensi Professor,



MARCI ZUERII BOXHORNII

INSTITUTIONUM POLITICARUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Politica Scientia & Usu.

§. 1. POLITICA, Scientia est, quæ constituendæ, conservandæ, augendæque Reipublicæ curam ac rationem tradit.

§. 2. Quæ quidem dupliciter nobis venit consideranda, & quatenus ab usu separata est, & quatenus ad eum refertur.

§. 3. Usus & scientia inter se ut plurimum diversa & distincta sunt, ita tamen cognata, ut, quin hæc ad alterius præsidium plurimum conferat, dubitari non possit, adeò ut scientia ab usu divellenda non sit, & illa huic optimo consilio præmittatur.

§. 4. Scientiæ fundamenta sunt ratio æqui & boni, & res Imperiorum generatim considerata.

§. 5. Usus fundamenta sunt, Prudentia, & res Imperiorum singulares.

§. 6. Scientia facit, ne in rationem cujus per-

petuus in Republica uſus eſt; Uſus, ne in hanc, aut iſtam Rempublicam, & hæc aut iſta ejus negotia, peccemus.

§. 7. Scientia denique, quamvis Rempublicam, & ejus bonum; Uſus Reſpublicas ſingulas, & ſingula alia, ac propria earum commoda, pro hominum, rerum, ac temporum varietate, conſiderat.

CAPUT II.

Quid Reſpublica ſit, & quæ prima ejus origo?

§. 1. RESpublica eſt Imperium corporum multorum ad agnoſcendam ejuſdem Imperii Majeſtatem, iiſdem legibus omnium & ſingulorum, utilitatis cauſa, imbutum.

§. 2. Imperia verò & publicæ dominationes gradatim provenerunt.

§. 3. Primum quidem Imperium ex jure naturæ profluxit. Eſtque quod parentum in liberos & nepotes, & ex his genitos appellamus. Eſtque Reſpublica hæc quaſi ſeniorum cognatorum, quod Imperium humani generis exordio, cùm longævi & fœcundi eſſent mortales, uſum habuit.

§. 3. Vis ac anima ejus Imperii conſiſtit in pietate; Uſus autem in numeroſæ familiæ regimine atque conſervatione.

§. 5. Se-

§. 5. Secundum imperium ex jure gentium prognatum est, estque, quo gentes omnes eidem rationi, & unanimi consensu receptis institutis, se, velut legi, subjecerunt. Estque illa universalis Respublica omnium omninò hominum.

§. 6. Vis hujus imperii consistit in ratione; Usus autem in totius generis humani conservatione & incolumitate.

§. 7. Tertium imperium est, quod ex singularum gentium utilitate, necessitate, & proprio, seu civili jure, peculiare, & à cæteris diversum, manavit, estque Respublica singularum nationum.

§. 8. Vis ejus consistit in peculiari civili ratione; usus autem non tam omnium hominum, vel populorum, quàm quorundam commodis ac saluti est adæquatus.

§. 9. Nam auctis numero hominibus, iis in oriente locis, quæ primò habitata sunt, cùm omnibus sustentandis patria ditio impar esset, alii alias atque alias sedes quærere & inhabitare necesse habuerunt.

§. 10. Accessêre ad ea domesticæ dissensiones & injuriæ, quibus divisi in factiones mortales, agros tandem & dominia divisere.

§. 11. Atque ita distinctis in oriente, & aliis dominiis, distinctæ & suæ singulæ jurisdictiones & Respublicæ, vel ejusdem, vel diversæ formæ, placuere.

§. 12. Quæ Respublicæ & Imperia initio modicæ extiterunt, dum necessitatis tantùm

suæ & suorum, non autem ambitionis, in constituendis sibi limitibus, quisque habuit rationem.

§. 13. At verò, natis interim, & crescentibus injuriis, quibus populi divisi, & potentia jam, opibus ac multitudine hominum, inæquales, in mutuum exitium ferebantur, plures vicinæ gentes, & Respublicæ modicæ tandem sese conjunxerunt, & iisdem Principibus, Magistratibus & legibus, juri & Imperio se permiserunt, mutui auxilii ferendi causa, & ut tantò promptiùs injurias, quas alii inferebant, aut illaturi erant, quibus prohibendis singulæ impares existebant, possent propulsare.

§. 14. Hinc majora tandem illa & amplissima Imperia exstiterunt, quæ, per justa aut injusta bella, proximis populis subjugatis, per matrimonia etiam Principum, ac successionis, emtionis, vel simili jure, aliorum Principum possessionibus, ac subditis, ad alios devolutis, majora indies, qualia in plerisque videmus hodie, incrementa acceperunt.

§. 15. Atque ita quidem primò à se invicem divisæ, mox cum aliis conjunctæ gentes, Imperio, pro sitûs, inclinationis, ingeniorum, exercitio, & diversæ necessitatis ratione, diversa instituta, Leges, & formas imperandi, alias atque alias prætulerunt,

Caput III.

De primâ origine Magistratuum, de consensu Imperii atque obsequii.

§. 1. DUæ igitur cujusvis Reipublicæ partes sunt: Imperium & obsequium. Duplices igitur personæ, imperantes & subditi.

§. 2. Magistratus sunt, qui, ex rationum publicæ utilitatis, & Legum præscripto, imperium in inferiores diffundunt.

§. 3. Illi primitùs aut electi, & vocati sunt, aut imperium in alios, licèt invitos, & reluctantes, occupârunt.

§. 4. *Electio* est, quâ omnium consensu, uni aut pluribus, ut magnitudine virtutis, & consiliorum, eminentibus, super cæteros imperium delatum est.

§. 5. *Occupatio* hîc est, quâ unus vel plures, potentiâ cæteris majores, rapere & invadere imperium, quàm expectare, maluerunt.

§. 6. *Electio* populi fuit, *occupatio* Principum in populum, virorum aut optimatum.

§. 7. Ac proinde in *occupationibus* plurimum potestatis derivatum est in unum, aut plures, imperia occupantes. In *electione* autem, plus remansit penes populum, seu subditos, libertatis.

§. 8. Ex *occupationibus* aut *electionibus* nata est successio.

§. 9. Nam successio ordine naturæ posterior est electione, & occupatione, ex qua profluxit.

§. 10. Ex *electione*, ubi ea lege Principem elegit populus, ut & ejus posteri, post decessum ejus, imperio potirentur.

§. 11. Ex *occupatione*, ubi Principes vel semel partam dominationem, & eandem confirmatam, subditis vel frustra obstantibus, vel conniventibus, vel volentibus tandem, ad liberos, velut patrimonium, & hæreditatem, transmiserunt.

§. 12. Subditi sunt, quibus obsequii gloria relicta est.

§. 13. Illi autem duorum generum sunt, vel enim reguntur, ut promiscua multitudo civium: vel regunt, & reguntur, ut inferiores, quos subalternos vocant Magistratus.

§. 14. Nam, cum habeant, aut accipiant, à supremis rerum arbitris, limites mandatorum, in eorundem executionibus tam obsequium superioribus deferre, quam in inferiores diffundere imperium videntur.

§. 15. Jam verò, cùm contra naturam, & primævam hominum libertatem sit, alteri subesse, *nullumque*, ut Seneca loquitur, *animal morosius rectorem ferat, quàm qui cætera domat*, omnino nexum statuendum esse oportet, quo Imperantes & subditi, non tantum arctissimè, sed & libentissimè sibi invicem devinciantur.

§. 16. Ne-

§. 16. Nexus ille, & suprema Imperii omnis vis & anima, in imperantium ac subditorum mutuo, invictoque consensu, consistit.

§. 17. Consensus ille decem rationibus potissimùm non obtinetur tantùm, sed & conservatur.

§. 18. (I.) Si utilitatis publicæ, & communis omnium cura perpetua, studiumque, sit penes Magistratum.

§. 19. (II.) Si quodvis, quod in subditos derivatur, imperium, cum rationibus & immotæ observationis legibus, quæ ex ratione natæ sunt, & receptæ, sit conjunctum.

§. 20. (III.) Si, ubi id per admissam imperii formam licet, pars aliqua publicæ curæ omnibus Reipublicæ membris permittatur.

§. 21. (IV.) Si sua officia accuratè expleant supremi Magistratus.

§. 22. (V.) Si maximè ad animum & curam revocent publica & privata incommoda suorum, sive in iis præveniendis, sive in iis, quæ exorta sunt, tollendis, sive denique iis, aliâ felicitate aut liberalitate publicâ, minuendis.

§. 23. (VI.) Si civilia imperantium sint ingenia, adeò, ut in iis subditi ipsi sibi quasi imperare videantur, dum quævis justissima eorum desideria explentur ab Imperantibus.

§. 24. (VII.) Si suo exemplo præeant omnibus, in iis, quæ dura & gravia, & tamen necessaria, populo imperantur.

§. 25. (VIII.) Si pietas & religionis cultus

exquisitus quibusvis in Imperantium consiliis, conspiciatur.

§. 26. (IX.) Si concordes inter se agant, quotquot sunt Magistratus.

§. 27. (X.) Si in novis, & mutatis imperiis, ea statim tollantur mala, & avertantur, ob quæ priorem imperii formam subditi meritò mutatam voluerunt.

§. 28. Ubi isthæc omnia curaturi sunt vel primi, vel novi Magistratus, nihil unquam in subditis obsequii, nihil debitæ sibi reverentiæ, nihil denique ad pacem Imperii factum, desiderabunt, & æternitatem.

CAPUT IV.

Quid Majestas. Quæ Imperantium & Reip. Majestas. Quæ lex Majestatis. Quomodo debeat conservari Majestas.

§. 1. CUm cæteris præsint supremi Magistratus, à cæteris distinguuntur, & in cæteros valent Majestate.

§. 2. Dupliciter autem venit consideranda Majestas, quia vel ex imperantibus, vel ex obsequentibus vim habet.

§. 3. Majestas quæ vim ex Imperantibus habet, est insita quædam animi vis ac magnitudo, qui, qui supra cæteros excellunt, cæteris debent imperare.

§. 4. Ma-

§. 4. Majestas, quæ vim ex obsequentibus habet, est nihil aliud, quàm sanctum, constans, & immotum judicium subditorum, quo sibi omninò persuadent, illos, qui præsunt Reipublicæ, jurè ac meritò præesse, & posse,& debere.

§. 5. Quod judicium subditorum, sic etiam confirmatur, si imbuti sint certâ illâ opinione, à Deo, & cælitùs institutos esse Magistratus,quò illud breve Tertulliani ad Scapulam facit: *Colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, hominem à Deo secundum, & quicquid est, à Deo consecutum, solo tantum Deo minorem.*

§. 6. Adeò, ut Majestas hæc sit potestas prima ordine & summa, quam, qui præsunt Reipublicæ, obtinent & exercent in subditos.

§. 7. Hæc autem in unius imperio elucet maximè, in populi autem & optimatum statu, universis quidem illa, sed non singulis, tribuitur.

§. 8. Omnis illa imperantium Majestas, legibus Majestatis, rectôque ejus usu, stabilitur & conservatur.

§. 9. Lex Majestatis est, quâ animadvertitur, & ultima supplicia, nec remittenda, decernuntur in eos,quibus in supremos Magistratus,cùm insigni quodam omnium & totius Reipublicæ detrimento, peccatur.

§. 10. Quæ lex, cùm certum munimentum sit Majestatis, in nullam ejus partem impunè unquam debet impingi.

§. 11. Rectus usus Majestatis est, quo & conservatur, cùm impenditur, ubi, & quandocunque, & inter quoscunque necesse est, quem inter hæc præcepta cohibemus.

§. 12. (I.) Qui suam lædi nolunt, aut violari Majestatem, in aliis eandem lædere non præsumant, ne dent, & tandem accipiant ipsi, sibi, & Reipublicæ, nociturum exemplum.

§. 13. (II.) Interest conservandæ Majestatis, nunquam vacuum relinquere caput rerum, vel sedem Imperii, aut uni alicui subditorum id committere, in quo præcipuum robur est Majestatis.

§. 14. (III.) Majestatis est, & ad famam attendere, & sæpè gloriosa utilibus præferre.

§. 15. (IV.) Quæ Majestatis sunt, non sunt transfundenda, nisi in dignos, & pares repræsentandæ Majestati; sed & providendum seriò, ne, ad repræsentandam Majestatem expediundis publicis negotiis impositus, specie obsequii, ipsam invadat.

§. 16. (V.) Majestatis etiam hujus est, astringi legibus Majestatis, non autem ita necessariò legibus, ab iis, quorum Majestas est, profectis; etiam ejusdem Majestatis est, omnino adstrictam legibus Gentium, & naturæ, se profiteri.

§. 17. (VI.) Ad vim quoque facit Majestatis, non, nisi in extremis & maximè dubiis rebus, quibus inferiorum Magistratuum autoritas

tas impar fuit, impendere præsentiam, & totam vim Majestatis.

§. 18. (VII.) Huc quoque facit, in extremis periculis, in quibus summa Reipublicæ laborat, non alio uti jure, quantumvis moribus & institutis receptis adverso, quàm solo illo Majestatis.

§. 19. (VIII.) Ad Majestatem conservandam confert plurimùm, eam in prædecessoribus atque actis eorum, ex Majestate profectis, perpetuò observare & tueri, & pœnam læsæ in prædecessoribus Majestatis, pro munimento habere suæ Majestatis.

§. 20. Atque hæc quidem Imperantium Majestas est, cujus generatim jus est, ut ubique & inter omnes inferiores, pares, & superiores, tanta, quanta est, & quomodo oportet, cognoscatur.

§. 21. Est & alia quædam ipsius Reipublicæ Majestas, quæ non tam vim Imperantium & personam, quàm vim, statum, sive formam, seu incolumitatem Reipublicæ, concernit.

§. 22. Illa vel domi adversum Imperantes & subditos, vel foris adversum exteros Principes, & populos, facit.

§. 23. Adversus domi Imperantes & subditos, definitur illa, immotâ observatione formæ, ordinisque, semel Imperii recepti, legumque, quæ pro eâ repertæ sunt, & vulgò fundamentales appellantur.

§. 24. Adversum cæteros definitur sui penitus juris, neque alteri cuiquam, vel populo, vel Principi obnoxio Imperio, tam re-

ſpectu eorum, qui imperant, quàm qui obſequuntur.

§. 25. Majeſtas illa Reipublicæ conſervatur, ſi minima etiam quæque, ad conſtitutum Imperii ordinem, & illud ſupremum Imperium conſervandum, facientia, domi ac foris conſtantiſſimè ſemper, ac quavis ratione tueamur.

§. 26. Neque enim hic quicquam cuiquam indulgendum eſt, cùm, his neglectis, & læſis, totam tandem Rempublicam mutari, aut alterius Dominationi ſubire, neceſſum ſit.

§. 27. Sed & hic quoque locum habet Majeſtatis lex, qua animadvertitur, & extrema, nec remittenda ſupplicia, decernuntur in eos, qui in formam ſummam, & ea, ex quibus incolumitas Reipublicæ maximè dependet, ſunt peccaturi.

CAPUT V.

De Libertate, quid, & quotuplex ſit, populi, quàm illa ſit diverſa, in quo maximè conſiſtat, quomodo denique illa ſit conſervanda.

§. 1. UT Majeſtas, ad vim eorum facit, qui imperant, ita libertas, ad vim & ſecuritatem eorum, qui obſequuntur.

§. 2. Dicitur verò libertas, & quatenus extremorum, & quatenus ſuorum dominationem ſpectat;

spectat; hanc libertatem obsequii, illam libertatem Imperii non incommodè appellamus.

§. 3. Libertas imperii, & quà cæteros concernit, est potestas omninò summa, habens in semetipsâ, & intra semetipsam, plenum, & perfectum jus imperandi, adeò, ut non nisi soli Deo obnoxia, neque propter se parem, neque supra se quempiam superiorem agnoscat.

§. 4. Sic populum liberum describit Proculus JCtus *in l. Non dubito, §. 1. ff. de capt. & postlim. &c. Liber*, inquit, *populus est is, qui nullius alterius populi potestati est subjectus, sive is fœderatus est, sive æquo fœdere in amicitiam venit, sive fœdere comprehensus est, ut is populus alterius populi Majestatem comiter observaret.*

§. 5. Adeo, ut illa libertas nihil sit aliud, quam ea Majestas, quæ Reipublicæ esse, & dici, superius demonstratum est *cap.* 4. itaque de ea non est hîc iterum agendi locus.

§. 6. Libertas obsequii, & qua imperantium sibi respicit dominationem, est potestas omnino summa, & maxima populi, quam indissolubili nexu astringit sibi, & obstrictos habet perpetuo Imperantes, ad ea omnia, in quantum licet, agenda, quæ promovendæ saluti publicæ, conservandæque Imperii Majestati faciunt, & explenda, quæ certis legibus & conditionibus, in quas sub initia Imperii, id adjuratum est, definiuntur, & Imperaturis præscribuntur.

§. 7. Est-



§. 7. Estque id, quod in omnium gentium, quavis ætate, votis, scriptis, & ore, celebratissimum, dulce bonum libertatis est nomen, quam in supremos Magistratus, velut Imperium, exercent obsequentes, imò & eos ex communi omnium gentium jure Imperio exuunt, nisi obsequantur.

§. 8. Duplex autem vis & anima est omnis hujusmodi libertatis, nimirum vel Tacita, vel Expressa.

§. 9. Tacita, quæ in deferendo Imperio, licet non expressa, tamen semper expressa existimatur, est ea autem *Salus populi*, ut verbo dicam, ad quam conservandam, promovendam & augendam, solo titulo accepti Imperii, astringitur, quisquis Imperium accepit.

§. 10. Expressa est, quæ versatur circa singulares & certas quasdam leges, ac conditiones, disertim propositas, quas sanctè se, & perpetuò observaturos, Imperaturi, ante Imperium, solenni juramento testantur; quibus, aut Imperantium libidine quædam exemta, arbitrio subditorum relinquuntur integra, aut Imperantium, ea singulatim mandantur, quæ omnino præstare tenentur, ac privilegia & immunitates à Majoribus accepta, rata habentur & confirmantur, aut denique quæ sub præcedentium Imperio gravis aut nimia autoritas fuit, quantum expedit, coërcetur.

§. 11. Tacita illa in omnium omnino gentium, quamvis barbararum, judicio invenitur,

tur, ac proinde earum etiam, quæ unius summo Imperio, nullis legibus astricto, se crediderunt.

§. 12. Nam populus in deferendo Imperio, & obsequio, non potest non præsumi, etsi non expresserit, intendisse publicam utilitatem, adeò ut ex JCtorum præceptis, illud huc traxerim, quod sibi debitum, quod jus suum, inutiliter sibi quis stipuletur.

§. 13. Jure autem gentium Salus populi imperantibus suprema lex data est.

§. 14. Sed cum sub unius summo imperio singulatim non eluceat subditorum libertas, ejusmodi Principatus, & libertas, apud Autores fere opponuntur. Et cum plerumque iniqua sint ita arbitria Imperantium, ut Tacitus loquitur, olim dissociabiles, libertas, & principatus, raro conjunguntur.

§. 15. Nihilominus meritò indignum judicare eum Imperio, ejusque dominationi subtrahere se potest, qui libertatis populi, in salute publicâ curandâ, non habet rationem.

§. 16. Expressa illa, nec inter omnes rationes, nec inter quas recepta est, uniformis aut eadem reperitur, dum, pro diverso gentium ingenio, quædam totam (si tacitam libertatem exceperis) servitutem, quædam totam libertatem, aliæ nec totam libertatem, nec totam servitutem, amplectuntur. Itaque alibi plùs, alibi minùs, populus sibi servavit, aut Imperantibus permisit, alibi paucis, & propemodum nullis, alibi pluribus, pro libertate subditorum

torum facientibus legibus, autoritas Imperantium coërcetur.

§. 17. Inter libertatis gloriam æstimantes præ cæteris gentes, leges illæ ad tria capita ferè revocata sunt.

§. 18. (I). *Ad summam Reipublicæ.* Ne scilicet Principibus rerum bellum indicere, pacem, & fœdera inire, & ejus momenti alia, facere liceat, sine populi, & eum referentium ordinum, consensu.

§. 19. (II). *Ad opes subditorum.* Ne scilicet iisdem liceat vectigalia, & tributa indicere, exigere, his nolentibus & invitis. Ad hæc alibi certus descriptus est fisco modus, quo ex utilitate publicâ placuit, non omnia, etiam ob crimen læsæ Majestatis, bona damnatorum, ei inferre, sed certam tantum & modicam eorum partem. Quin & plerumque Imperantes, Regalia, quæ sic vocant, aliaque omnia, in quibus vis & opes Reipublicæ sitæ sunt, donare, vendere, & alienare alio aliquo titulo, sine expresso populi consensu, prohibentur.

§ 20. (III.) *Ad Magistratus inferiores.* Ut scilicet eos aut nominandi, aut eligendi, suâ in urbe, suoque in districtu, quævis civium multitudo habeat potestatem; ut ne peregrini ad publicos honores promoveantur, sed &, quod magis, ne Principes movere unquam loco possint eos Magistratus, quorum curæ commissum est, prævidere & inter

inter multa Principum odia, ne libertas populi ullatenus lædatur & minuatur.

§. 21. Nam in iis quidem tribus, omnium maximum momentum eſt, ad conſervandam libertatem; ſic enim fit, ut Principes rerum, nec cum diſcrimine exponant libertatem, nec invadant opes ſubditorum, nervos tuendæ libertatis, nec denique metuere ſibi neceſſe habent illi, qui adverſum Imperantium multiplices machinationes,ac inſidias, conſtanter tuentur libertatem.

§. 22. Ejuſmodi, & ſimilia bona libertatis iſtius, vel initio primo Rerum publicarum ſervarunt ſibi gentes, quæ ſuos ſibi Principes iis conditionibus ac legibus, elegerunt, vel mutata, ut nonnunquam fit, Rerum publicarum forma, ac priorum Principum domo, ſubditi ſibi ſtipulati ſunt, vel ab imperantibus,quorum facilia & ſuorum potius libertatis, quàm pro, priæ potentiæ augendæ, prona erant ingenia, precibus aut gratis obſequiis obtinuerunt, aut denique ab egentibus Principibus pecuniario ſibi pretio nonnunquam redemerunt, ex eorum inter privatos innominatorum contractuum formula, in quibus eſt: Do, ut facias.

§. 23. Itaque libertatis revocandæ, retinendæ, vel augendæ cupidis gentibus, nunquam negligendæ ſunt ejuſmodi occaſiones, nam & rarò offeruntur,

§. 24. His vero contractibus, quo Imperantes ſubditis, & hi viciſſim illis, obligantur, ſanctam, ſtrictam & immotam fidem illi jubent, neque

neque quicquam illis contra ponere licitum est, liberè à Principe quidem ineuntur, illicitè autem à solo illo solvuntur, quanquam enim non obnoxius videtur civilibus legibus; rationis tamen tenetur, &, ut major legibus credatur, non est major contractibus, & mutuis pactionibus, quas iniit cum subjectis, quibusque se submisit.

§. 25. Quin &, si verum fatemur, in iis, ad instar privatæ personæ se habet; & subditus, cum quo conventum est, jus sibi acquirit æqualitatis: contractus enim non ineuntur, nisi inter æquales. Et sanè, quemadmodum jurato Principi obsequio jure deesse non possunt subditi, ita Princeps satis facere cogitur, quæcunque, ejus obsequii, & sui Imperii obtinendi causa, solenni ritu subditis addixit: & cùm omnes, maxime hîc Principes tenentur, quorum verba singula vim legis habere debeant, & constantiam, nemo ambigat, plus fiduciæ; in contractibus cum iis rite initis, subditos meritò posse collocare.

§. 26. Cæterum huic libertati quovis seculo, nostro inprimis, Tria se opponunt maximè.

§. 27. (I.) Ambitio Principum, & nón tam latius, quàm acrius, sive, ut Histor. 4. Tac. loquitur, *sine fine dominandi libido*. Cùm tamen excelsum illud Principis vocabulum, nomen sit, non usurpandæ cujusvis, sed delatæ,

tæ, adstrictæ legibus, & subditis profuturæ, potestatis; *Si libet, licet*, Juliæ consilium est, datum olim Antonino: melius & sanctius illud juris gentium; Non licere Principi, quod adversatur illis, de quibus inter Principem & subditos convenit.

§. 28. (II.) Adulatio eorum, qui non jam clam, sed palam, vulgatisque, ingenii, dicam, an nequitiæ, monumentis, Imperantium aures obstrepunt, docentes, Principes posse mutare leges, consuetudines, privilegia, subjectarum sibi gentium, pro alia atque alia temporis ratione, & oblatorum negotiorum diversitate. Neque esse Principis, fidei datæ, legibus, juratisque astringi, neque enim aliàs futurum inter illos, & subditos discrimen; Leges infra Principes, non illas supra hos esse.

§. 29. Sunt denique qui tradunt, non urgente necessitate tantùm, quam facile sit fingere, sed nec illa oblata, pro arbitrio integrum esse Imperanti sequi, abnuere, mutare à subditis præscriptas, à Majoribus acceptas Leges, & observatas, iisque adversas edicere & promulgare.

§. 30. Placet plerisque his rationibus innixum consilium, & adeò, tanquam augendæ dominationi profuturum, sequuntur. Tamen eo ipso non tam plus potentiæ sibi conciliant, quàm minus securitatis, & novam sibi fingunt Imperii formam, quâ ipsius faciunt Imperii

perii jacturam, Seu, quod ſentio, dicam : Illa exacta & ſumma poteſtas in victoribus Principibus quidem culpanda non fuerit, ſed ſoli Principi adſcribi non debet; aliud enim longè eſt victoris, aliud Principis manu, Rempublicam moderari. Victori quidvis licet, niſi quod ipſi licet nihil quo jus gentium violatur. Principi autem tantummodo licet, quantum ei populus voluit licere, itaque id non licet, quo libertas Reipublicæ, legibus certis deſcripta, & jurejurando confirmata, violatur.

§. 31. (III.) Libido Principum, qui accepto, in diverſas ſitu, ac inſtitutis, gentes, Imperio, ſub unâ eâdemque maximâ, acerrimâ dominatione, omnes cupiunt continere, & nihil hoc aliud eſt, quàm ea, quæ diverſæ magnitudinis ſunt, ejuſdem ſpacii anguſtiis velle includere, & quod cum ipſa etiam pugnat natura, ut diverſa non ſint vel maneant, quæ tamen diverſiſſima ſunt.

§. 32. Mutant ſæpe Reſpublicas Principes, ſed cum Principibus, quantumvis latè exporrecta ſint alia eorum Imperia, non mutant libertatem, ſed à Principe non accipiunt aliarum, ſibi ſubjectarum, gentium leges, ſed ſuas præ ſe ferunt, eaſque non commendant tantum Principi, ſed jure & autoritate publicæ libertatis, eas neceſſariò ſequendas, etiam præſcribunt.

§. 33. Verum cum pleriſque Principum corrupta hæc, & iniqua manent, & adulantium

potius

potius nequitiam, quam justa subditorum desideria sequuntur, singulari quadam, in tuendâ libertate, curâ est opus, quam omnem triplici hoc præcepto includimus.

§. 34. (I.) Concors & pertinax inferorum Magistratuum libertas, intempestive præveniendis & magnitudine idoneâ, tam animi, quàm oris, rei tuendæ, omnibus, quibus aliquid decedere possit populi libertati, maximum hujus est munimentum, atque huc vocaverim illam Annal. 14. à Tacito laudatam, cujusque egere Romanam Rempublicam dicebat Pœtus Thrasæa, cujusque in tanta servientium patientia, totque malas Principum artes, totius jam orbis Imperia egent, Senatoriam libertatem.

§. 35. (II.) Nunquam Principi, etiam optimo, quicquam, etiam minimum, concedatur, quod libertati aversetur; neque enim minimum videri debet, quod facilis, quod Principibus magis indies blandientis, quod denique in majoribus maxime nocituri exempli; si tamen contrà urgeat subinde necessitas, adversum quam nulla consilia reperta sunt, aut Leges, necessitate expressum pessimum exemplum, eâ remotâ, damnetur statim, & tollatur.

§. 36. (III.) Vis semper distinguenda est ab umbrâ libertatis, hâc enim maxime libertatem gentium invadunt Principes. Umbra verò libertatis est illa, primo aspectu pulcherrima matrona, quæ tamen in sinu serpentem tegit, quâ

quâ Imperantes vim subditis negant, ac speciem tantum, & nomen relinquunt libertatis, in qua sunt illa Tiberiana sub fin. Annal. 1. Tacito memorata, speciosa verbis, re inania, aut subdola, quæ, quanto majore libertatis imagine teguntur, tanto ad infensius servitium tandem erumpunt. Neque fallet umbra libertatis, si in iis, quæcunque petunt, aguntve Principes, seriò attendatur, quantum è Republicâ, & ejus libertate, ut alibi loquitur Tacitus, petatur aut agatur.

CAPUT VI.

De jure dominationis, quid illud sit? Quomodo id salva æquitate, ab æquitate ordinarii juris deflectat? qui denique ejus supremi termini & leges?

§. 1. Sicut pro populo facit libertas, pro Imperantibus Majestas; ita hæc adnexum sibi habet jus dominationis. Quod licet ab ordinario privatoque jure nonnunquam deflectat, libertatem suam eo lædi, aut minùs curæ Imperantibus eam esse, subditi non debent arbitrari.

§. 2. Nam sicut in rerum, Imperiique administratione, non licet semper, sui privatim commodi, sibique jure debiti, habere rationem, quæ tamen vitio Magistratuum offecit sem-

ſemper, officietque publicis negotiis, (dicente Tacito) ita ſubditis, ſi rectè ſentire velint, fas non fuerit de Magiſtratibus, jure dominationis, ſubinde publica privatis præferentibus, quicquam ſeciùs judicare. Itaque quid, quantumque eo liceat, nunc dicendum eſt, niſi quod ante omnia ſcienda illorum ſententia veniat, qui nullum admittunt jus dominationis.

§. 3. Ajunt illi, aut ſtatuit aliquid Magiſtratus ſummus contra leges divinas, & naturales, vel contra jura contractus, & pacta Reipublicæ, inter eum & ſubditos inita, & iniquè, nec jure id facit; aut nihil facit contra leges prædictas, & jura, ſeu pacta, & dubium non eſt, quin, vi ſummi Imperii, id facere poſſit. Addunt, quod ſi igitur ſummus Magiſtratus aliquid decernat, jubeat, vel conſtituat, quod legibus naturæ ac divinis & conventis Reipublicæ non adverſatur, quis non credat id omne jure Magiſtratûs & ſummi Imperii ab eo fieri poſſe, nec opus eſſe peculiari jure dominationis?

§. 4. At verò, ut à ſummis Magiſtratibus nihil naturæ, nihil gentium juri, nihil pactis, in quæ ſingulatim conventum eſt, derogari poſſe judicamus; ita ab aliis civilibus legibus, ubi Reipublicæ ratio id flagitat, deflectere eos poſſe, arbitramur, idque eorum jus eſt dominationis, & vis Principis, ut 4. Annal. Tacitus loquitur.

§. 5. Eſtque tam neceſſarium & receptum inter

ter gnaros Rerumpublicarum ſapientes, id nomen, quàm neceſſarius, & receptus eſt uſus. Cùm enim civile jus, & proprium ſingularum Rerumpublicarum, pro anguſtiis ſuis, omnibus non poſſit temporibus accommodari, ac primi ejus autores, ſuorum potiùs, quàm ſequentium temporum, habuerint rationem, nec habere potuerint, ob alios atque alios, qui inexpectati quotidie afferuntur, caſus, quos ubi receptâ non licet, quâvis utili in publicum ratione diſpellere, eſt neceſſum. Jus illud dominationis ab omni retrò ævo, & omnes inter gentes laudatum eſt liberrimas

§. 6. Sicut igitur jus naturæ corrigitur à jure gentium, jus gentium à jure militari, jus militare à jure legationis, legationis à jure civili; ita hoc jus civile corrigitur, & quaſi frænum ſibi injici patitur, à jure dominationis, ut rectiſſimè lib. 4. cap. 1. Clapmarius eſt locutus, niſi quod parem aſſenſum non mereatur id, quod adjicit, juri dominationis omnia cedere jura; cedunt enim civilia & communia tantum, non divina, non gentium, non illa, quæ ſibi ſemper integra, nulloque modo violanda, populus ſervavit.

§. 7. Arctius definit, & rectè, jus dominationis eſſe ſupremum quoddam jus, ſive privilegium Imperantium, bono publico introductum, contra jus ordinarium, ſeu commune.

§. 8. Æquitas ejus, non ex privatis, ſed publicis rationibus, non ex ordinario jure, ſed, ſi iſto non liceat uti, aut ex ejus uſu incommodi

aliquid

aliquid acceptura sit Respublica, extraordinario necessarioque jure, quo & mala meliùs, quàm ordinario præveniri, aut longe majora commoda in Rempublicam derivari possint, metuenda est. Quod à populo, & ejus autoribus, non satis distinguitur, qui jus dominationis, ad privati juris rationes exigunt, ideoque ut uniquum & tyrannicum, aversantur.

§. 9. Privatæ rationes sunt, quæ Titii aut Mævii; publicæ sunt, quæ non tam ipsorum, quàm omnium potiùs, & sæpe cum privatorum istorum damno, respiciunt utilitatem.

§. 10. Privatas rationes accuratè observant judices, publicas autem, privatis postpositis, ubi aliter fieri non potest, supremi Magistratus; qui, si boni sunt, privatas nunquam negligunt, si pariter publicis possit satisfieri. Publicas autem, si prudentes sint, semper præferunt, ubi non, nisi privatis rejectis, Respublica potest juvari. Adeò, ut jure, sive arbitrio dominationis, æquissimum sit, quod ordinario & privato jure iniquum est, ac hujus respectu, aliquid ex iniquo illud trahere, à Tacito est affirmatum.

§. 11. Non tamen idcirco, cum Clapmario, legitimam Tyrannidem appellandam censeo, neque enim Tyrannis legitima dici potest, neque idem sunt, Tyrannis, & jus dominationis, cùm hoc ad conservandam, illa ad subvertendam sit comparata Rempublicam. Neque interim abnuerim in Tyranni-

dem facilè illud posse deflectere, si quis facile sequatur, à Clapmario, & aliis, in medium introducta exempla, in quorum nonnullis, flagitium potiùs agnosco, quam jus dominationis.

§. 12. Certi tandem limites definiendi sunt nobis, intra quos omnis æquitas necessario se constringit. Sunt autem isti fines imprimis, (I.) Salus & securitas totius Reipublicæ. (II.) Maximè urgens necessitas. (III.) Rei, in quo jus dominationis usurpatur, magnitudo.

§. 13. Salus Reipublicæ facit, ut jus dominationis justum sit, non quod hactenus & ordinario jure receptum est, sed quod maximè Reipublicæ in præsens est salutare, & lex, ac agendi ratio, quantumvis nova, & veterem subvertat, & quibusdam privatis noxia sit, tantò minus, imò eo ipso nihil iniquitatis habet, quanto in commune plus utilitatis confert. Salus enim populi suprema lex esto. Itaque post eam sunt receptæ ordinariæ leges. Si iis Res non possit juvari, expedit etiam omnia potius in singulos agi, quàm omnes in periculum adduci, & omnium salutem, singulorum anteponi. Nam quicquid hîc in singulos peccatur, respectu juris ordinarii, & privati utilitate, in publicum rependitur, quam sic impendit & promovet, nec aliter obtinere potest jus dominationis.

§. 14. Necessitas, præscribit sæpe novas potiùs inducendas Leges, novasque agendi rationes, quàm veteres & receptas sequendas, si novis illis Respublica magis juvari, aut solis illis, incumbentia mala possint averti. Namque illam

lam necessitatem hîc intelligimus, quæ nulla ratione potest declinari, ac ita præsentem rerum faciem mutat, ut, nisi totius Reipublicæ jacturam facere velimus, mutatione opus sit veterum quorundam institutorum.

§. 15. Magnitudo rerum facit, ut juri dominationis non sit locus, contra jus ordinarium, nisi iis in rebus tantisque, ex quibus, usurpato jure dominationis, longè plus commodi est, quàm ex rejecto ordinario jure, incommodi in singulos quosdam, & privatos, potest derivari. Proportio quippe instituenda est, inter malum, quod, postposito jure ordinario, quibusdam privatis infertur, & bonum, quod, illo dominationis suffecto, in Republica obtinetur: hoc autem, ut maximum sit, necessum est, & hanc ob causam omne ex jure dominationis profectum magnum exemplum appellare Tacitum crediderim l. 14.44. 7. Annal. *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum. Magnum exemplum*: quia in rebus maximis tantùm occupatu; *ex iniquo*; si ad rationes privatas expendatur, non si ad publicas, quod jam dictum.

§. 16. Ex quibus omnibus certò colligitur, quæ censenda sint flagitia dominationis, quæ juri dominationis opponuntur, & alibi vim dominationis Tacitus appellavit; cum enim supremi Magistratus ab æquitate ordinarii juris decedunt, non urgente salute publicâ, necessitate, & magnitudine rei, cum in eo privatæ suæ, & suorum, non verò publicæ, habent rationem, cum solius crudelitatis & libidinis ex-

plendæ causâ id faciunt, cum denique divinum *Numen*, pudorem, fidem, (quæ fræna sunt juris dominationis) negligunt & postponunt, pro laudato jure, iniquissima admittunt & exerunt flagitia dominationis.

CAPUT VII.

De Religione, de ejus in Republica usu, de unâ, & pluribus, & quomodo admittendis.

§. 1. EA, quæ Magistratus subditis, & hi vicissim illis debent, non alia ratione, aut sanctiora fiunt, aut facilius obtineri possunt, quàm si supremam aliquam potestatem, illâ supremorum Magistratuum majorem esse agnoscant & Imperantes & obsequentes, cujus scilicet jussu Imperia sint constituta, injectoque metu gravissimæ pœnæ, in eos, qui aut malè imperaturi, aut debitum obsequium detrectaturi sunt.

§. 2. Id autem, cum tantum & introducto publico Numinis cultu, & divinorum oraculorum autoritate, & sacrorum doctrina ac professione, ac eorum Antistitum concionibus, monitis ac hortatu, judiciis horum possit persuaderi, dubium non est, quin Religio nexus sit & vinculum Rerumpublicarum. Itaque de ea agamus hîc, neque alio fine consideranda est.

§. 3. Est verò Religio, de Deo & divino cul-

tu

tu ejus & voluntate ea fides in animis hominum excitata, qua fit, ut jussis ejus ac institutis refragari summum scelus, & expiandum cujusvis magnitudinis pœna, sicut &, iisdem obtemperare, factum optimum, & divino favore dignum, publicè & privatim æstimandum esse, certò creditur ac docetur.

§. 4. Enimverò in Imperii administratione, & deferendo obsequio, nihil eorum intermissuri sunt facilè Magistratus & subditi, quæ divina autoritate injuncta sibi esse acceperunt ac mandata. Quare inter alias Magistratus curas prima semper existere illa de religione debet, qua & fundata prima, & deinde conservata esse omnia Imperia observamus.

§. 5. Maxima enim sunt, quæ ex religione in Rempublicam derivantur commoda, & quidem ista imprimis: (I.) Summa, & quanta excogitari potest, subditorum in Magistratus veneratio, nam eorum autoritas tanto majoris fit, quantò creditur esse sanctior, neque potest sanctior videri, quàm si persuasum populo sit, à Deo eam esse institutam & approbatam, quo fit, ut, cum Magistratui obtemperat, Deo ipsi se offerre obsequium arbitretur; imo tanto promptius Magistratui obtemperat, quanto magis nefas esse credit in Magistratu Deo non obtemperare.

§. 6. (II.) Summa de subditis Imperantium cura, & quanta in eorum commodis promovendis esse debet, immota fides; nam tanto minus negligunt eam illi, quanto sæpius docen-

tur & certiùs credunt, id divinæ esse præscriptum voluntatis, & Deo volenti id obsequi, hoc unum esse optimè imperare.

§. 7. (III.) Promptæ rerum actiones. Neque enim ea admittere & præstare abnuunt subditi, in quibus humana consilia ac mandata, divinis illis sanctiora reddita & suffulta, illis offeruntur.

§. 8. (IV.) Mutua Imperantium & obsequentium inter se fides confirmata. Enimverò confirmari illa assolet præstitis utrinque juramentis, his verò tota & sola vis est ex religione & metu ultoris Dei, qui perjurio fallentes non dimissurus sit impunitos.

§. 9. (V.) Summa concordia & pax subditorum, inter eos præsertim, qui eadem sacra, ejusdemque cultum religionis professi sunt, neque enim non possunt non idem velle & nolle, qui ejusdem sibi Numinis præscribunt publicè & privatim sequendam voluntatem; sed & inter eos, qui diversi sunt instituti, si suæ nimirum singulis conscientiæ, & in sacrorum suorum professione integra libertas relinquatur. Neque enim displicere possunt eorum Imperia, sub quibus religio potissimum animi humani bonum, ejusque cultus non prohibetur.

§. 10. (VI.) Impulsus publicarum privatarumque virtutum, neque enim ulla tam à veritate aliena est professio sacrorum, quæ non docet, manere eos præmia, qui vitam rectè degunt, & divina supplicia, qui in scelere delabuntur.

§. 11. Adeò,

§. 11. Adeò, ut ex iis quidem omnibus manifestum sit, sine religione esse non posse bene constitutam Rempublicam, præstareque falsam & vanissimam superstitionem esse, quàm nullam. Denique in nulla Republica tolerandos esse, qui aut Deum negant, aut tam novam introductam cupiunt, quam omnem subversam, aut de Deo non sentiunt pro Reipublicæ usu.

§. 12. At verò, cum diversissimarum ferax sit religionum omnis, & præsertim nostra illa novandi adeò cupida ætas, magna profectò in rectè sciendis & admittendis prudentia est opus, neque eadem hîc omnia consilia placuerunt.

§. 13. Equidem una tantum religio vera esse potest, & una Deo placere, sed interim Magistratui placere plures possunt religiones, cum plures, quantumvis falsæ, Rempublicam possint juvare; neque illa tolerantia adversa est aut divinis aut gentium institutis.

§. 14. Itaque si fieri possit, & in ea abunde prospectum sit Reipublicæ, Una, sin aliter expediat ad Reipublicæ augmentum, non tantum una, nec tamen omnis tolerari debet.

§. 15. Neque vero, ut cæteræ tolerandæ sint, ea admittenda videatur, quæ ad negandam aut imminuendam imperantium autoritatem est comparata, qualis hodie est illa Anabaptistarum, qui iniquum esse existimant ac docent, gerere Magistratus bellum, admini-

ſtrare, aliaque ejuſmodi, ſine quibus nec eſſe Reſpublica poteſt, nec conſervari.

§. 16. Ex una religione admiſſa diffiteri non licet, quin ſumma reſultet concordia animorum, ſed & inter diverſas, omnium uſu admiſſo, facile concordia excitatur. Nec audienda itaque Odoardi Weſtonii verba, quæ lib. 3. cap. 14. de Chriſt. hom. officio iſta ſunt: In„ter omnes minùs tutus videtur Princeps, nec „ſane bene ſecurus, qui arbitrarias, in Repu„blica permittit religiones; nam aut in alte„ram partem propendet, vel in medio, & „quaſi in æqui librio ſuſpenſus conſtitit; ſi „aliquo inclinat, adverſaria factio eum pro „hoſte habebit, ſi neutro vergat, ab omni„bus pro Atheo habebitur. Neque proinde „Principis ſalus pati poteſt Contrarios cultus „religionum.

§. 17. Verum enim verò non validum ſatis eſt iſtud ejus argumentum. Tertium eſt, quod hîc agere Princeps poteſt, & licere Principi exiſtimamus, nimirum omnium, quæ haud noxiæ ſint Reipublicæ, religionum cultum, pariter omnibus eadem libertate indulta concedere, ſic enim optime ſecum ſub Principe agi omnes exiſtimabunt, neque pro impio illi adſcribi poteſt, qui & ſuam & diverſam aliis permittit, ita ſuam ſibi conſtanter ſervat & tuetur religionem.

§. 18. Neque tamen temerè, nec niſi publica autoritate implorata admitti debent peregrinæ & diverſæ religiones, nec novarum inſtitutio

tutio cuiquam temere è subditis est permittenda.

§. 19. Adeò ut cautè agendum sit, initiis, si fieri potest, oppressis, si tamen vires acceperint, abstinendum. Sed &, ubi diversæ religiones sunt in usu, expedit unam dominari, hoc est, qui unius ac ejusdem religionis sunt, Reipublicæ præesse, & quantum fieri potest, unam earum promovere.

§. 20. Et nihil magìs Religioni & paci publicæ est adversum, quàm vim usurpare, & acerbitate suppliciorum in eos grassari, qui non ejusdem nobiscum sunt religionis. Nam in negotio religionis divino jure & privatæ unius cujusque conscientiæ, in quam solus sibi Deus imperium servavit, cedere oportet jus dominationis. Ubi tamen, prætextu ac usu novæ, diversæque religionis, pax publica turbatur, pœnam necesse est imponere, sed prudenter imponatur, si titulus non tam novæ & diversæ religionis, quàm turbatæ Reipublicæ imponatur; sic enim in conscientias hominum Magistratus grassari videbuntur.

§. 21. Interim, ut in Rempublicam multitudinem & diversitatem religionum, sic ea nimirum Respublica juvari possit, admittendam laudamus, censemus ita non minus & laudandam summorum Principum curam in prævenienda, quantum licet, multitudine religionum & varietate.

a. 22. Facile enim id obtinere licebit, si in receptis semel sacris nihil temere mutetur, si inutilibus & haud necessariis quæstionibus, de religionis controversiis vulgi ingenia non committantur, si necessaria tantum vulgò offerantur. Si denique suo exemplo, sua pietate, & gratia, eam, quæ promovenda potissimùm videbitur, religionem tueatur ac ornet Princeps.

CAPUT. VIII.

De minoribus Magistratibus & Gestoribus publicorum negotiorum, qui ad ejusmodi dignitates sint evehendi, quid in iis observandum? quomodo denique eorum autoritas conservetur maximè.

§. 1. CUm omnis Imperii administratio, adeo varia, difficilis, impedita, & latè exporrecta sit, ut supremi Magistratus omnibus obsequendis pares esse, aut omnibus pariter interesse non possint, dubitari haud debet, quin ministerio aliorum & consilio, veluti quibusdam dextris suis, uti necessum habeant.

§. 2. Sunt autem illorum alii, qui domi, ut minores Magistratus, aut subalterni, ut Judices, consiliarii, negotiorum publicorum gestores, aut foris in pace ut Legati, in bello ut Militiæ Imperatores, aut in provinciis ut præfecti, & procuratores occupantur, in quos vim & autorita-

toritatem suam transferunt qui supremum in omnibus Imperium acceperunt, quibusque ea propter non aliter, ac his, obsequium defertur. Hi enim, si in absentiam majoribus illis succedunt, & eorum autoritate ac nomine in negotiis publicis occupentur, quoad vim saltem rerum pro majoribus æstimantur.

§. 3. Horum igitur quanta cura esse debet, prudentia, industria, & fides, tanta profectò in iis eligendis cautione est opus. Nam publicæ (ut Symmachus, vetus Scriptor eleganter loquitur) famæ illi sunt custodes, & prospera omnis & adversa rerum publicarum fortuna ex eorum fere vitiis aut virtutibus resultat, quibus consilia, autoritas, judicia, negotia publica, bella, provinciæ, legationes, & alia ejuscemodi mandantur; neque innocentiam tantum in iis, quemadmodum in cæteris privatis, sed singularem prudentiam quandam necesse esse, atque idcirco, qui potissimum, & quando deligendi sint, ad publicas dignitates gerendas, sicut & quo pacto illis muneris ratio ac autoritas constare possit, jam dicendum.

§. 4. Et ante omnia placuerit quidem, nunquam vilioribus aut contemtis in judiciis subditorum, nunquam peregrinis, nisi in bello forsan credi publicos honores. Nam tanti fere est, & fit vis omnis dignitatis, quanti est & fit ille, qui accepit: adeò ut si contemtus sit, autoritas etiam ejus deficiat & flocci pendatur. In peregrinis autem minor peritia earum rerum atque ingeniorum, quibus administrandis, aut

regundis imponuntur, aliquando etiam minor fides, cum vel minor, vel nullus eſt in iis amor ſubditorum.

§. 5. Via igitur ad honores munienda eſt Inquilinis, & iis quidem inter cæteros ſpectatis, in quibus tamen non tam generis, quàm virtutis, non tam meritorum, quæ majores olim contulere, quàm eorum, qui iſta merita referre poſſunt & augere; denique non tam opum, quàm animi & induſtriæ expedit habere rationem.

§. 6. Intereſt enim omnibus, ut omnibus bonis aditus pateat ad dignitates, nam eo quidem fit, ut omnes Rempublicam magis ament, ut plus inter omnes concordiæ ſit, ut in omnibus majus excitetur ſtudium virtutis, & denique in quoſvis Magiſtratus promptiora ſint obſequia ſubditorum. Non enim non vult privatus in publicis honoribus conſtitutos revereri, qui iiſdem ſe aliquando ornandum eſſe poteſt & audet ſperare.

§. 7. Nihilominus tamen, cum inter omnes pares jure conſequentes dignitates multi impares ſint, virtute & fortunæ conditione, interponendum diſcrimen, & optimus quiſque fideliſſimus putandus eſt. Si ſimul optimi ſint, generoſi & nobiles, plebeis propter autoritatem, divites egenis propter potentiam, ſenes juvenibus propter experientiam proponendi ſunt. Sed & pacis publicæ cauſa, inprimis cum genere, opibus & ætate majores minoribus ferè nolint ſubeſſe, aut inviti ſubſint, & queruli.

§. 8. Opti-

§. 8. Optimi autem censendi sunt, in quibus non tantum elucent omnes illæ virtutes, quæ in cujusvis publici negotii administratione necessario requiruntur, ut, integritas, industria & fides, sed vel maxime etiam illæ, sine quibus singula negotia non possunt expediri, quibus admoventur, curentur, ut in Judice scientia Legum, in Senatore experientia, in Quæstore peritia ponendorum calculorum, sed & imprimis qui grati illis sunt & accepti, quos imperio complectuntur, ne pro obsequio dedignatio parendi, & pro gratia obfractus subditorum animus reportetur.

§. 9. Porro cum longe plurima sint, quæ curam publicam merito requirunt, singulis sui ac peculiares & idoneo numero imponi debent Magistratus aut curatores, etiam minimis quibusque, quibus male aut bene habentibus totius populi multitudo plurimum vel atteri potest, vel juvari, ut viæ publicæ, annona, pondera, mensuræ, bona pupillaria, & alia ejusmodi, quæ numerare longum esset, quique ex diverso unius cujusque Reipublicæ usu & statu instituendi sunt curatores.

§. 10. Idoneus autem numerus non tam præceptis, quàm magnitudine curæ & Reipublicæ potest definiri. Interim id generatim affirmaverim, in modico numero, si modo sufficiat, plus & concordiæ esse, & autoritatis Magistratibus conciliari. Nam viliora fere habentur, quæ cum pluribus communicantur. Neque etiam receptus numerus facile augendus

est,

est, aliàs enim latissima, & in posterum vix occludenda, via ambitioni aperitur.

§. 11. Delectis jam ita singulis, limites curæ & mandati præscribendi sunt, quas nec excedere debeant, nec declinare. Illos autem corrigere, immutare, augere, restringere aliquando utile est, prout experiendo cognitum est hoc vel illud magis vel minus Reipublicæ expedire.

§. 12. Est verò illorum limitum fere duplex argumentum, quorum altero contineri debet, quanta cuique vis tribuatur & potestas, altero quem ordinem & modum sequi debeat, in crediti sibi muneris administratione. Neque enim quicquam arbitrio minorum Magistratuum relinquendum est, nisi quod in usu rerum, pro circumstantiarum multiplici diversitate, aliter atque aliter se potest habere.

§. 13. Atque huc retulerim illa præclara Platonis lib.4. de Rep. ubi peculiari & novo nomine Magistratus ministros legum appellavit, non innovandi, ut loquitur, cupiditate vocabuli inductus, sed quod illam salvam Rempublicam demum intelligeret, in qua lex domina est Magistratus.

§. 14. Atque sic quidem limitibus mandatorum descriptis, mandatario publico in usu rerum diligenter iis inhærendum est, cum ex solis illis peti soleant, & reddi tantum possint, eorum, quæ gesta sunt, rationes, si verò quid grave nec definitum incidat, ut fit sæpissime, prudentius & tutius est consulere supremum
Magi-

Magistratum; si eam moram patiatur indoles oblati negotii, quam ex propria aliquid statuere autoritate; hanc enim in reddendis rationibus supremis Magistratibus difficulter admodum probamus.

§. 15. Ex iis quidem dignitatibus aliæ perpetuæ sunt, quarum nimirum continuus in Republica est usus, ut Consulatus. Aliæ ad tempus urgente ejus necessitate instituuntur, & eâ sublatâ diutius non extant, ut Dictatura & Decem-viratus apud Romanos. Novi enim instituendi Magistratus sunt, pro diversa, quæ se in Imperio offert, occasione.

§. 16. Quæ verò perpetuæ sunt, continuantur, vel non continuantur, qui gerunt, quorum quid maxime expediat, in dubio est apud hujus disciplinæ autores, quid tamen statuendum sit, & ratio, & ipse Reipublicæ usus ambigere nos haud sinit.

§. 17. Continuandi igitur Magistratus illi sunt, in quibus plus curæ est quàm Imperii, neque enim in iis expedit, gnaris rerum & exercitis identidem submittere ignaros & inexpertos. Non continuandi sunt illi, in quibus plus autoritatis est & Imperii, facile quippe diuturnitate ejus ad invadendam Rempublicam abutuntur. Adeò quidem, ut temporis modus iis imponendus sit, quibus Imperii imponi non potest; neque quisquam in eodem Imperio diu habendus est, ne dediscat tandem superioribus obtemperare.

§. 18. Si tamen ob alias causas expediat, aut mos

mos jubeat, perpetuas esse ejusmodi dignitates, ad Reipublicæ & supremorum Principum securitatem multum facit, si in plures illæ distribuantur. Singulorum enim conatus, si forsan adversi futuri sint Reipublicæ, plurium, qui fere idem non sentiunt, collegio & societate, facillime infringuntur.

§. 19. Sed & hîc id cavendum, ne sanguinis gradu propiùs se invicem tangentes collegæ adsciscantur, nam haud plures, sed quasi iidem videntur, qui, quanquam numero plures, pietatis impulsu & sanguinis arctissima conjunctione, in ferendis suffragiis à se invicem vix volunt aut possunt dissentire.

§. 20. Ubi igitur plures gerunt non contingendas dignitates, ex usu rerum fuerit, si non pariter eæ ab omnibus deponantur. Sed tempore diverso, quo novi suffecti, rerum, quæ antea gestæ sunt & decretæ, aut nondum omnino confectæ, peritiores per quosdam eorum fiant, qui iis interfuerunt.

§. 21. Sed & hîc cavendum, ne exuentibus gestos honores proximi succedant, nam quasi in iisdem continuari videntur Magistratus, qui in proximos continuò transferuntur.

§. 22. Ad ista Annales, etiam Leges, quibus definita sit eorum ætas, qui gesturi Magistratus sunt, Romanorum exemplo utile fuerit & habere & observare, per quas fiat ut juvenibus permittantur dignitates in quibus plus est laboris, in quibus etiam si peccetur, quod in ea ætate pronum est, summa tamen Reipublicæ non læda-

lædatur. In summa tamen Reipublicæ administranda, Juvenes non fiant pares senioribus, aut illis, in quibus plus est momenti.

§. 23. Quemadmodum ex ejusdem gentis exemplo laudamus certos præscriptosque honorum gradus, per quos à minoribus sensim ad majores, & ex inferioribus ad altioribus proximos perveniatur. Majoribus enim is demum dignus est, qui in minoribus occupatus, majoribus parem se esse jam ostendit, & similitudinem minoris curæ, majori proximæ, optimè nos paramus.

§. 24. Ex quibus, sicut ex iis, quæ jam dicta, satis apparet, Magistratus vendi pretio & exponi non oportere, nam vendunt fere munia,& cum iis fidem qui emerunt.

§. 25. Ne verò vel in publicas, vel in privatorum opes grassentur Magistratus,aut publicorum negotiorum gestores, stipendia iis debentur. Ea autem ex ærario publico solvenda iis sunt,qui iis impositi sunt muniis,quibus in universum Respublica juvatur. A privatis autem solvenda sunt illis, quorum operâ quotidie uti privati habent necesse, sic enim ærarium sublevatur. Quod autem à privatis solvendum est, legibus definiri expedierit, ne ejusmodi Magistratus privatorum sint deglubitores.

§. 26. Stipendia verò, quæ à Republica solvuntur, aut certa esse debent, aut incerta. Incerta ubi merita non possunt, Certa, ubi merita possunt numerari, adeò ut majus aut minus stipendium sit, prout plura aut pauciora horum

horum aut illorum, in muneris sui executione, merita extitere. Nam & sic Respublica juvatur, dum spe majoris præmii, pro magnitudine meritorum reportandi, animati, curam & industriam suam maximè intendunt.

§. 27. Cæterùm, cùm inferioribus Magistratibus vi quadam opus sit, in iis curandis, quæ curæ suæ habent mandata, interest Reipublicæ, & supremorum Magistratuum, ut idonea ac pari negotiis, ac valida autoritate sint instructi, quod ut fiat, situm est in manu Principum & Magistratuum supremorum.

§. 28. Non facile igitur admittere debent illi subditorum, de minoribus Magistratibus, & publicarum rerum, querelas, neque ab iis facta, consulta, & instituta temere rescindenda sunt, aliàs licentia populi in summam rerum irrepet, & nulla vis tandem erit illorum Magistratuum, sine quibus supremi rectè non possunt Imperium administrare.

§. 29. Ex adverso gravissimæ pœnæ constituendæ, nec remittendæ in eos, qui vel verbo, vel facto læserint, stiterint, vel impedierint minores Magistratus. Nunquam igitur patiendum est Majoribus, ut in minoribus autoritas negligatur, quod l. 10. ep. 15. etiam voluit Symmachus, cùm scribit ad Theodosium, optimum Imperatorem: *Honores minorum Magistratuum, auctoribus suis debere esse commendatos.* Et ep. 16. *Principes in iis, quorum ministerio utuntur, factum suumque Consilium perpetuò juvare oportere.*

CA-

Caput IX.

De legibus, earum origine, & diversa in omni Republica ratione, de earundem abrogatione & promulgatione. Denique de pœnis justè & cautè imponendis.

§. 1. Cum non sufficiat in Republica esse supremos & subalternos Magistratus, iisque subditos esse devinctos, nisi hi etiam intelligant, quid isti velint, quidque facere debeant, & cavere, necessaria *Lex* fuit, quam proinde *civitatis publicam Linguam*, non sine causa, veterum quidam appellavit.

§ 2. Ante leges, ratio subditorum & autoritas Principum pro lege fuere, sed post oblivionem rationis, & contemtum autoritatis in subditis hucusque in Magistratibus abusum, natæ sunt Leges.

§. 3. *Lex autem ratio quædam est, quæ supremorum Magistratuum autoritate, vel communi consensu civitatis definita, aut jubet quid, & quomodo quidque agendum sit, aut quando agendum vetat, boni omnium obtinendi, aut declinandi mali causa, constans quidem, & sine affectu, sine gratia, & odio*, ut Tullius alibi loquitur, *Magistratus.*

§. 4. Leges autem aliæ atque aliæ sunt; sunt enim quæ Imperii & Imperantium majestatem, libertatem populi, institutionem, ordinem,

nem, vim Magiſtratus,& ſummam Reipublicæ concernunt, & fundamentales ferè dicuntur, de quibus in præcedentibus agebamus alibi.

§. 5. Hæ à majoribus acceptæ, & ſanctiſſimè ſemper obſervatæ tam debent eſſe æternæ, quam ad obtinendam Reipublicæ æternitatem ſunt comparatæ: ut verò æternæ maneant, nec cum mutatis Magiſtratibus ſubinde mutentur, omnino condendæ ſunt leges quædam earum cuſtodes, quibus ſeveriſſimæ in eos conſtituantur pœnæ, qui de iis mutandis aut abrogandis vel aliquid in medium tantum ſunt allaturi.

§. 6. Neque cuſtodiendæ ſolum iſtæ,ſed novæ ſubinde ſuper addendæ ſunt,quibus nec veteres ullatenus infringantur, & quarum perpetuus,ſemperque ſalutaris in Republica uſus futurus providetur.

§. 7. Sunt & quæ privatorum inter ſe lites & controverſias, perſonas, res ſpectant,& actiones civiles, & forenſes ferè appellantur. Illæ à majoribus itidem traditæ & ſingularum ingenio gentium adæquatæ, non obſervari tantum religioſè debent, ſed augeri, ſi quæ fortè lites ſeſe offerant, quæ à majoribus non ſint definitæ. Sed etiam corrigi oportet, ſi quæ duritie veterum conſtitutæ, & primis iſtis, rudibuſque temporibus accommodatæ, ſimul cum his expediat mutari. Quin etiam interpretandæ & illuſtrandæ ſunt,ſi quæ aut ambiguè,aut obſcurè ſe habeant, aut ad præſentis temporis malas artes, calliditateſque profligandas non ſatis comparatæ.

§. 8. No-

§. 8. Novis hîc ſubinde legibus eſt opus,cum novæ quotidie cauſæ offerantur, nam ***arbitrio Iudicum non eſt permittendum, quod legibus poteſt definiri***. Cùm, ut alibi Juſtinianus loquitur, longè rectiùs, mùltoque utilius ſit, ſi lites non hominum voluntate, ſed Legum autoritate dirimantur.

§. 9. Mutatis ſubinde ac correctis legibus hîc opus. Nam cum tempore ſæpe Reſpublica mutatur, ideoque receptæ leges mutandæ; neque enim Reſpublica eſt propter Leges, ſed propter Rempublicam ſunt Leges inſtitutæ. Neque leges artis cujuſdam & diſciplinæ ſunt, quæ mutari non poteſt, ſed prudentiæ, quæ diverſa probat, pro diverſa rerum & temporum conditione.

§. 10. Denique mutatis ſæpe & illuſtratis veteribus Legibus eſt opus; nam creſcente hominum calliditate, pariterque malignitate, creſcere etiam debet aſtutia legum, quarum vetus ſimplicitas doloſa interpretatione facilè alias poſſet everti.

§. 11. Sunt poſtremo etiam leges quædam, quæ ſpectant totius Reipublicæ diſciplinam; hæ, quid cuique agendum, quid non agendum præſcribunt, & non agenti, vel contrà agenti indicunt pœnam, & cum rectiſſimo nomine cenſoriæ poſſunt appellari,

§. 12. Quicquid ad ornatum, augmentum, & pacem Reipublicæ augendam vel minuendam facit, harum legum eſt argumentum, quæ mala jam facta judicant talia, ne in poſterum fiant

fiant impune, quæ his similia facile fieri possent, ut præveniantur, quæ hactenus facta non sunt bona, & fieri necesse est, ut fiant. Finis harum legum est institutum. Quæ quidem Leges, cum sæpe fieri non possint sine aliqua privatorum quorundam noxa, horum causâ, si modò cæteræ multitudini utiles futuræ sint, differri non debent. Præstat enim in Republica paucis quibusdam nocere, & reliquis omnibus prodesse, quàm paucorum quorundam causâ omnibus nocere.

§. 13. Cæterum istæ quidem leges, cum non versentur circa malum & bonum, quod semper tale est, & morale vulgò in scholis appellatur, sed circa illud, quod semper tale non est, sed tale tantum æstimatur ex judicio legum, & politicum dicere rectè possimus, perpetuæ ut sint, non est necesse. Quæ enim jam bona sunt, mala, quæ jam mala, bona aliquando possunt videri, pro diverso temporum usu, necessitatisque ratione. Laudanda autem est mutatio priorum istiusmodi legum, si sublata sit earum causa, si manente ea, modus, qui iis definitus est, melior sese offerat, quo ad finem legis possit perveniri. Si denique neque præcipitis judicii sit, quoad Magistratus, neque, quoad subditos, improvisa.

§. 14. Denique autoritas ac vis legum est à legis latoribus, à publica promulgatione, à sententia earum aperta, consummata, à sententiæ ratione, confirmata ab eo, quod possit fieri, quod fieri debeat, ab eo, quod fieri expediat, à mutuo auxilio

auxilio legum, à constanti & æquali in eos obsequio, ab ipsa earum, quanta obtineri potest, constantia, denique à metu injecto ex decreta in eos pœnæ severitate, qui non obsequuntur. Neque enim ulla Lex valida est sine pœna, cùm eâ nolentes etiam & inviti ad observationem legis constringantur, qui enim ratione non possunt, terrore corriguntur.

§. 15. De pœnis autem generatim ita statuendum est, veluti Rempublicam, & se, punire eum Magistratum, qui nimius est in exigendis pœnis, qui non punit, quo oportet, eo tempore, loco & modo, qui denique in puniendis nocentibus est crudelis, & sic odium populi, veluti pœnam quandam derivat. Neque enim sufficit, æquas esse pœnas, nisi etiam prudenter, & cum usui Reipublicæ sint, imponantur. Speciatim verò ea, quæ sequuntur, accuratè observanda sunt.

(I.) Præstare pœnam legibus definiri, quàm arbitrio Magistratus relinqui, ita enim fiet, ut non ex odio aliquo, aut adfectu privato, sed præscripto legis pœnam exercuisse videantur.

(II.) Graviores pœnæ per leges indicentur, quæ, postquam peccatum est, exigantur. Ita enim accuratius leges observabuntur, quanto major ex iis terror erit injectus.

(III.) Circumstantiæ temporum, rerum, ordinis, ætatis, aliaque ejusmodi, ob quæ quis immunis à pœna, aut mitiùs puniendus videri possit, non inferantur legibus, sed arbitrio & judicio Magistratus relinquantur. Sic enim minùs

minùs peccabitur,& quiſque teneri ſeſe ad legis obſervationem, aut ad pœnam, exiſtimabit.

(IV.) Ceſſet ſubinde potiùs pœna, quam ſi exacta, redundatura ſit, in eos, qui exigunt, neque interim credendum eſt, pœnâ legis ceſſante, legem etiam ceſſare.

(V.) Ne à quibuſvis Magiſtratibus inferioribus remiſſa pœna, diſſolvatur autoritas legum, utile fuerit, ita ſtatuere, ut remittere pœnam non ſit inferiorum Magiſtratuum, ſed tantum ſupremorum.

(VI.) Pœnæ omnes crimina imitentur, ſic enim criminum gravior non eſt futura pœna, & quod æquitas imprimis requirit, proportio ſit inter delictum & ſupplicium.

(VII.) Gravior tamen ſingulari delicto ſit pœna, ubi tale offertur, quod facile poſſit perpetrari, & facile perpetraturi alii metuantur, niſi graviſſimæ in id pœnæ conſtitutæ ſint. Quæ enim alia ratione avertere non poſſumus delicta, quorumque aliàs fœcunda & noxia ſeges ſit futura, averti debent magnitudine ſuppliciorum, neque enim hîc pœna comparanda cum ſingulari delicto, ſed cum pluribus illius delicti futuris exemplis, niſi ſeveriſſimè puniatur.

(VIII.) Ubi à ſummis viris admiſſum crimen eſt, ſi ſupplicium exigatur, metuendi veniunt motus, ideoque conſultum eſt, inter Imperii arcana pœnam, quæ ſpeciem honoris habet, excogitare.

(IX.) Ubi à pluribus commiſſum flagitium eſt,

eſt, nec agnoſci, ac deprehendi poſſunt autores, nec flagitium manere debet impunitum, paucis, ſorte lectis, pœna imponatur, nam ſupplicium in paucos validum eſt ad terrorem cæterorum, ***multorum ſupplicium clades eſt*, *non medicina***, ut Germanicus apud Tacitum loquitur.

(X.) Ubi à multitudine peccatum eſt, & deprehendi poſſunt autores, parcendum multitudini, non autoribus, quippe *ne pœna ſit latrocinium*, optimè, plures ubi peccavere, in uno aut paucis autoribus puniantur, dum & iidem ſuum delictum eſſe intelligunt, propter quod unus, aut pauci puniuntur, & ideo unius aut paucorum ſupplicio corriguntur, *licet pœna exempti, tamen pœnitentiis ſervati.*

(XI.) Prudentiæ etiam eſt, ad præveniendos graviores motus, ſi ita ſeſe inter flagitioſos ſubinde gerant Magiſtratus, ut videri potiùs poſſint inveniſſe bonos, qui mali ſunt, quàm eos, qui peccarunt, pœnis bonos facere voluiſſe.

(XII.) Sed & ſæpius pœnitentia, quàm pœna, oportet eſſe contentum.

(XIII.) Quin & Reipublicæ expedit omnia ſcire, ſed non omnia exequi Magiſtratum.

(XIV.) Cavendum inprimis illi, qui punit, ne pœnis delectari, ne perſonam, quàm flagitium potius punire videatur, ne etiam veterum ſuppliciorum, auctis iis, aut novis additis, atrocitatem intendat.

(XV.) Lento remedio & pœnarum opus eſt

C contra

contra mala, quæ jam omnium ſunt inveterata & fœcunda, non ut ſtatim deſinant, ſed ne ulterius progrediantur, mox ut decreſcant, tandem ut tota extirpentur. Nam naturâ, ut Tacit. loquitur, infirmitatis humanæ tardiora ſunt remedia quàm mala.

(XVI.) Ubi ab omnibus peccatum eſt, unius ſaltem & alterius, illuſtrioris inter cæteros, ſupplicio contentus eſſe Magiſtratus poteſt. Quantò enim quis ſplendidior majori mole prociderit, tantò in cæteros diſpergitur plus terroris.

(XVII.) Supplicio noxii, non lapſi, afficiantur.

(XVIII.) Supplicio denique omni ſuus ſit oportet modus, non tam rei cauſâ, quàm ſeculi & Imperantis. Quippe, ut æquitatis eſt punire eos, qui peccarunt, ita æquum eſt, deflectere ſubinde à ſtricta æquitate, nec minùs prudentiæ lex eſt, ut clementes ſint Magiſtratus.

§. 16. Clementiæ autem duæ ſunt partes, aut remittere pariter crimen & pœnam, aut non remittere, ſed tantùm mitigare.

§. 17. Remitti omnino poſſunt crimen & pœna, ubi & rei ſervati non nocituri creduntur Reipublicæ, aut privatis, & puniti cæteris exemplo non ſunt profuturi. Servati interim prodeſſe poſſunt, clementiæ Magiſtratus auctâ famâ, ubi ſe ita res habet, profectò miſericordia melior privatis eſt, quàm Principibus rerum, adfectûs.

§. 18. Non verò remitti, ſed tantùm mitigari debet pœna, ubi & intereſt Reipublicæ, iiſque

ſe

ſe offert reus, idque crimen, in quo expediat judicem ſeverum pariter videri ac miſericordem.

Caput X.

De opibus Reipublicæ acquirendis & conſervandis, de vectigalium ac Tributorum, Ærariorumque in Republica ratione.

§. 1. Cum non ſufficiat autoritas Magiſtratus & leges, de quibus dictum hactenus, niſi idoneis poſſit opibus propugnari, magna in iis acquirendis & conſervandis ſupremo Magiſtratui cura eſſe debet.

§. 2. Opes autem omnes Reipublicæ, aut cum Republica natæ ſunt, aut ex privatorum fortunis colliguntur.

§. 3. Cum Republica natæ illæ ſunt, quæ primo Imperiorum exordio non occupantium ſingulorum, ſed occupantis Reipublicæ fuere, & poſtmodum occupantis Reipublicæ fuere, & poſtmodum manſere. Publicè enim & ſingulorum interfuit, ut quædam non eſſent ſingulorum, ea nimirum, quibus non tam ſinguli, quàm conjunctim omnes debebant, ac ſolis poterant juvari.

§. 4. Sub tribus autem ferè iſta conſiſtunt, *in fundis*, *in ſingularibus beneficiis naturæ*, denique in *peculiaribus quibuſdam juribus*, uſui Rerumpublicarum ſervatis.

§. 5. *Fundos* voco, loca publica, in quibus ſedes eſt aut ſolennis Magiſtratuum, ut in curiis, aut omnis, ut in foris, theatris, templis, aut quorundam ordinum, ut de cæteris omnibus nunc non dicam, lanionum in macellis, pro poſtremorum indulto uſu, ut aliquid in Rempublicam ab utentibus conferatur, & inſtitutis & moribus ubique fere receptum eſt.

§. 6. *Singularia beneficia naturæ*, quæ maximum conferunt in Rempublicam emolumentum, voco ea bona, quæ in ſingularum gentium ditione nulla humana induſtria præſtantur, ſed arcano quodam conſilio providentiæ, & favore benignitatis divinæ, non tam in ſingulorum, quàm omnium uſus natæ videntur, quæ ſub initio Rerumpublicarum Principes & Magiſtratus idcirco in uſus publicos ſervavere, ut, E. G. huc referri poſſunt fodinæ metallorum, ſuccini proventus, ſylvæ, flumina piſculenta, aliaque ejuſmodi, in quibus nullam privatorum agnoſcere eſt induſtriam, poſſuntque eâdem de cauſâ huc revocari omnia alia iſta bona, quæ *regalia* vulgò appellantur.

§. 7. Cùm enim, ut imparia iſta bona dividerentur, neceſſum erat ſanè, ut Reſpublica non excluderetur, ut domi in Magiſtratibus autoritatem & pompam poſſet tueri, ut foris adverſus hoſtes poſſet eſſe valida, ut denique, cum autoritas publica major debeat eſſe potentia & viribus ſingulorum, privatorum fortunas Reſpublica poſſet ſuperare.

§. 8. Ex illis opibus nihil unquam imminui debet,

debet, aut alienari, &, si negligentiâ & improvido consilio Magistratuum quid imminutum sit, semper agi possunt repetundarum. Nam quicquid publicum est, expedit continuò augeri, neque præscriptione temporis, ut JCti loquuntur, adversus Rempublicam uti licet, ut enim pupillo negligentia tutorum, ita Reipublicæ nocere non debet negligentia Magistratuum, cùm instar populi tutorum sint.

§. 9. Possunt tamen opes istæ privatis, urgente necessitate, pro certâ pecuniâ, quâ præsenti Respublica subinde opus habet, pretio in annos aliquot oppignorari, dominium sibi interim Respublica servat, cùm & alias soleant Regalia ejuscemodi, pro certo annuo pretio maximè offerentibus privatis, elocari. Sed & ratio est, quâ publica bona conferri possint in privatos, ita, ut non minùs interea iis ipsa Respublica juvetur, quod, ut alibi, ita in feudis licet observare, nam in iis conservantur, velut ipsæ Reipublicæ opes, dum, qui feuda acceperunt, singularem fidem, & quædam legibus circumscripta obsequia, Reipublicæ, aut Principi, præstare tenentur.

§. 10. *Singularia autem jura*, quibus augeri Ærarium publicum potest, certi sunt proventus, qui in solam Reipublicæ utilitatem cedunt, ut est jus fisci, jus adeundæ hereditatis, ubi, heredibus non relictis, privatorum quidam è vitis excessere, & diversa alia, quæ apud cordatas gentes in usu sunt.

§. 11. Cæterùm, cùm ista, auctis necessitati-

bus, plerumque non sufficiant, opes aliæ quædam supersunt, & inventæ sunt, quæ per tributa & vectigalia ex privatorum opibus colliguntur. Quæ quidem, ut majores, & faciliùs possint obtinere, ad curam publicam maximè pertinere existimamus opes privatorum, quantum liceat, tueri ac augeri.

§. 12. Cura autem ista potissimùm consistit in conditis legibus sumptuariis, & observatis, in rectâ monetariæ rei, in ponderum & mensurarum, ratione, denique in commerciis, & opificiis promotis, &c.

§. 13. Per leges sumptuarias, rectus opum usus inter privatos, per monetariæ rei, ponderum & mensurarum rationem, pretium rerum, & res pretio adæquatas, per commercia denique, & opificia florentia, rerum omnium abundantia obtinetur. Et ita auctis quidem subditorum opibus, & conservatis, tributa possunt imponi.

§. 14. Sunt autem illa in omni Republica, vel ordinaria, vel extraordinaria. Ordinaria sunt, quæ certam, & statam requirunt præstationem, ordinariis publicis impensis adæquata. Extraordinaria, quæ certam & quotannis recurrentem præstationem non inducunt, sed propter oblatam & inexpectatam sæpe necessitatem, subinde præstantur, subinde non exiguntur, quales apud Romanos *Indictiones* fuere.

§. 15. Sunt autem vel definitæ, vel indefinitæ: Definitæ, cùm certum rei pretium indicitur, eujus nomine exigitur, qualia pleraque esse

con-

consueverunt. Non definita autem sunt, quæ quidem autoritate publica, certo tamen modo, aut pretio non præscripto, à privatis exiguntur, qualia *Oblationes* apud Romanos fuere.

§. 16. Sed & tributa omnia, colligi vel solent à publicis personis, vel privatis elocari, quæ utraque ratio laudabilis & utilis est, pro diversâ ratione earum rerum, quibus tributa imponuntur. Colligenda enim ea sunt, quorum certa iniri potest ratio, è Magistratu quibusdam ad eam rem delectis, non aliter atque in Batavorum Republicâ, tributa, quæ ædium, Caminorum, agrorum nomine exiguntur, ita colligi consueverunt. Elocanda autem privatis ea sunt, quorum certa ratio iniri non potest, & in quibus utilior & major est futura privatorum, suo interim commodo etiam incumbentium, quàm publicam gerentium personam, cura, ut in eadem Batavorum Republica, vini, E. G. & Cerevisiæ nomine, exigenda vectigalia, non colliguntur, sed elocantur privatis.

§. 17. Ea verò elocandi ratio, & utilissima, & tutissima Reipublicæ futura sic est, si ejusmodi Tributorum annuorum Conductores, vades, & Fidejussores idoneos, afferant Reipublicæ qui præstare debita possint Reipublicæ, si in iis præstandis, forte conductores non sufficiant, quemadmodum in eadem Batavorum Republica fieri solet.

§. 18. Cæterum, ut in imponendis tributis prudentiâ quâdam opus est singulari, ita ad ea,

quæ generatim nunc subjungimus, maximè est attendendum.

(I.) Ea tributa probanda maximè sunt, quæ peregrinos magis, quàm domesticos, & cives, afficiant, ingentibus nimirum tributis impositis in merces, quæ ad exteras nationes evehuntur.

(II.) Unde necessariò requiritur tributa maxima exigenda esse, earum rerum nomine, quas à nobis solis, nec aliunde exteri petere possunt, aut obtinere, quarumque, penes nostram Rempublicam, quoddam quasi, ut ita dixerim, monopolium est.

(III.) In mercibus, quæ ad pompam & delicias tantum faciunt, quibusque carere licet, multò graviora, quàm iis, quorum necessarius inter omnes usus est, debent imponi tributa, quales, E. G. sericum, vinum generosum; Non tamen rebus, seu mercibus, non necessariis, gravia nimis imponi debent, aliàs enim ab earum usu plerique abstinebunt, nec quicquam ex iis commodi ærarium publicum reportabit.

(IV.) Iis igitur, quibus carere nemo potest, modica imponenda esse, vel ex eo apparet, quod in iis præstandis, difficiles se subditi sint præstaturi.

(V.) Ea insuper etiam laudanda tributa sunt maximéque admittenda, quæ singuli vix gravia sentiunt, & ab omnibus interim exacta, ærarium publicum plurimum possint juvare, hac enim ratione futurum est, ut in rebus maxime

necessa-

necessariis & gravioribus facillimè se omnis Respublica sit expeditura.

(VI.) Prudentiæ etiam pars magna hîc est, titulo fictæ, aut metu exspectatæ necessitatis, vectigalia subditis imponere, ut incumbenti necessitati par esse, & respondere Respublica possit.

(VII.) Semel imposita non facile tolli debent, causâ licet & necessitate sublatâ. Nam cum odio imponuntur, & cum difficultate obtinentur, & causa ac necessitas eadem iterum possunt offerri.

(VIII.) Præstat inveterata augere, quàm novos motus, novis impositis, pro obsequio reportare.

(IX.) In tributis, æqualitatis maxima habenda ratio, quæ in eo potissimum versatur, ut par sit eorum ratio, ac paria hîc onera sentiant, quorum, in diversis rebus, positæ, sitæque, sint opes.

(X.) Tributa sine injuriis exigi debent, & imperari certis legibus, non præstitis tantum, sed in vulgo editis, ex quarum præscripto in exigendis tributis publicani versentur.

(XI.) Mollia nomina, quantum licet, ex necessitate imponere tributis expediat, quo facilius ea admittant privati.

(XII.) Captanda imponendorum tributorum occasio, cum res populo placituræ gerendæ, aut gestæ sunt, quæ maximè placuerunt.

(XIII.) Cùm maximum emolumentum reportet Respublica ex iis tributis, quæ singulorum

opibus, pariter æſtimatis, imponuntur, eaque maximè privatis gravia ſint, legitima exceptio, apud Magiſtratum, quibuſvis privatorum, permitti debet.

(XIV.) Cæterum graviſſimæ in eum conſtituendæ, nec remittendæ, pœnæ ſunt, qui publicanorum induſtriam, fraude, & malis artibus, ſunt eluſuri.

(XV.) Quò facilius etiam tributa tolerent privati, ab iis præſtandis excipi non debent Magiſtratus, nam rem per ſe ingratam, populo gratiſſimam reddit Imperantium exemplum.

(XVI.) Denique juſta tributa ex imponente, ex fine, ex forma, ex modo, & uſu, æſtimantur: Ex imponente, cum imponit, qui imponendi habet autoritatem, ex fine, cum boni publici cauſa impoſita eſſe intelliguntur; ex forma, cum ſine injuriâ, vi, & tumultu, exiguntur; ex uſu denique, cum collectæ ex iis opes, non niſi in utilia Reipublicæ, & neceſſaria, impenduntur.

§. 19. Portò acceptæ ex iis opes, tantæ eſſe debent, ut omnibus, quos Reſpublica facere cogitur, ſumptibus, poſſint reſpondere; cum Imperio enim hic calculus imponendus eſt, quod, in Trajano ſuo, Plinius commendavit.

§. 20. Si interim jam ſatis gravia tributa impoſita ſint, nec exigi poſſint majora, nec exacta tamen ſufficiant publicis impenſis, conveniens fuerit, mutuò pecuniam petere à privatis, reddi-tis, poſt difficultates temporum ſublatas, ſorte & uſuris, in quo, niſi accuratè fidem ſuam habeant Magiſtratus, utiliſſimi hujus remedii, quo ſolo

solo subinde potest Respublica juvari, faciunt jacturam.

§. 21. Ærariorum denique, quibus istæ inferuntur opes, cum diversa apud plerosque sit ratio, dubitari non debet, quin ea omnium sit optima, cum singula singulis majoribus rebus, & necessitatibus, æstimantur. Quemadmodum de Augusto prædicat Tacitus, ad expediendas castrenses expensas, ærarium ab eo fuisse institutum, in quo reconditæ opes, non nisi militiæ impendebantur, unde & militare appellatum est.

CAPUT XI.

De Fœderibus, eorumque diversa ratione.

§. 1. HActenus de iis à nobis actum est, quibus domi Respublica confirmatur. Cum autem sæpe Respublica domi non sibi sufficiat, vel destituta à necessariis, quæ aliunde peti debent, vel cum potentioribus bello commissa, foris etiam, & auxiliis alienis, necessariò debet stabiliri.

§. 2. Id verò per fœdera potissimum obtinetur, ad quæ impellunt, & ipsum jus naturæ, quo, quæ natura huic, aut isti, negavit genti, gentibus tamen omnibus necessaria, aliunde peti possunt, ac debent: Jus etiam gentium, quod amat, & urget, totorum inter se populorum societates: Vis denique necessitatis, quâ, po-

tentia majorum, & iniquitate, sæpe minores populi opprimerentur, nisi majores, ac potentiores, certis fœderum legibus & conditionibus electi, subsidio venirent.

§. 3. Est igitur fœdus, duorum, vel plurium Principum, vel Rerumpublicarum, publica de amicitia, societate, mutuis commerciis, mutuisque auxiliis præstandis, pactio, seu solennis conventio.

§. 4. Soli autem illi Principes ac populi, qui jus habent Majestatis, nulliusque alterius supra se imperium agnoscunt, contrahere fœdera, ac inire, possunt. Ex quo liquido quidem apparet, fœdus, injussu ejus initum, penes quem summa potestas est, non tenere, & fœdera à subditis, sine supremorum Magistratuum autoritate, cum aliis Principibus, aut populis, percussa, non esse fœdera, sed conjurationes.

§. 5. Cæterùm, aut cum remotis, aut cum vicinis, fœdera ferè ineuntur. Cum remotis, commerciorum, aut communis hostis causâ; si commerciorum causa, hoc agendum, ut tuta sit navigatio, aperti portus, mutuus intercursus negotiorum, quæ beneficia, iisdem redditis, facilè obtinentur. Si verò communis hostis causâ, hoc agendum, quantum licet, ut in fœderatum, aut tota belli moles, aut pars saltem ejus, transferatur, quo minus nobis cum communi hoste negotium sit.

§. 6. Interim tamen ad vicinorum fœdera potissimum est attendendum; si enim communis omnium vicinorum hostis sit, unum, & commu-

ne

ne omnium fœdus, salvâ cujusque, in cæteris, imperii majestate, inire expedit. Nam, qualiscunque vicinorum fortuna, non negligenda est, adversus communem hostem, dum quâvis, vel prosperâ, vel adversâ, nos etiam everti possimus, & juvari.

§. 7. Adeò ut in iis quidem fœderibus, hoc (I.) agendum sit, ut finiantur, decidanturque, si quæ, inter istiusmodi vicinos, natæ sunt lites & simultates. (II.) Illud, ut ex fœderis lege, ex omnium fortunis, idoneæ, ad propulsandum communem hostem, vires, decernantur.

§. 8. Porrò fœdeaa, quæ inter vicinos sanciuntur, non ejusdem omnia indolis, causæ, & conditionis sunt. Nam cùm vicinis, aut majoribus, aut paribus, aut inferioribus, ineuntur, ac proinde diversa ratio singulorum est.

§. 9. *Cum majoribus*, prudenter fœdus init inferior, si auxilium potius accipiat, quàm conferat, sique, ejus obtinendi causâ, non ad ea, quæ viribus suis majora, quæque ad vim Reipublicæ dissolvendam faciunt, & majoris, potius auctura, quàm inferioris confirmatura, sunt imperium, præstando se non astringat: Si denique accepti ejusdem auxilii causa, majori in manus non tradat claustra Imperii, minores enim, specie delati auxilii, facile à majoribus opprimuntur.

§. 10. Sin verò *vicini multi majores* sunt, & iidem inter se commissi, quantum licet, fœdus, & amicitiam omnium, inferiorem oportet amplecti, quò ita per singulos se tueatur, inferior

rior ille, sive Princeps, sive populus, de cujus imperio invadendo, cæteri omnes contendunt, quod jus, & fœdus, *Neutralitatis* ferè vocatur, estque nihil aliud, quam omnium partium amicitiâ uti, causâ tamen omnium intactâ. Interim verò, id si impetrari non possit, fœdere transgredi expediat in partes ejus, qui cæteris sit major, quò cum nobis causa maximè cognata, quique ad ferendum nobis auxilium, adversum alios, nobis propior existat.

§. 11. *In accipiendo* tamen *à majoribus auxilio*, singulari quâdam prudentiâ est opus, quâ neglectâ, per fœdera, malum potiùs, quam bonum publicum, promovetur. (I.) Igitur haud unquam nimium auxilium est accipiendum, nimium autem illud voco, quod majus est viribus, & copiis eorum, qui juvantur. (II.) Nunquam summa rerum auxiliaribus copiis fœderatorum, inferioribus est permittenda, si enim id fiat, est id nihil aliud, quam aliis tradere vim Majestatis. (III.) Non, nisi urgente summa necessitate, externa fœderatorum auxilia admittenda sunt, quia avarè ferè, & ambitiosè, & cum contemtu illorum, quibus juvandis veniunt, agunt auxiliares ejusmodi copiæ, sed & difficulter admodum, semel admissæ, dimittuntur. (IV.) Denique, ubi id fieri potest, ex Reipublicæ usu, causa potius belli præcidi debet, quàm externa fœderatorum auxilia admittenda sunt, ob eas scilicet rationes, quas jam reddebamus.

§. 12. *Si cum vicinis, paribus*, in fœdera con-

conveniatur, in quævis pariter omnes constringi conducit, ubi nimirum eadem singulorum est causa, & singuli, divisi, maioribus essent impares futuri, singuli enim pugnantes, tandem universi vincerentur. Fœdera ista, cæteris omnibus validiora sunt, & minùs periculosa, quia cum paribus ineuntur.

§. 13. Quo autem idoneus ex hisce fructus possit reportari, unum, vel generale, fœderatorum collegium, sive ordinarium, sive extraordinarium; pro frequentia offerendorum negotiorum, instituendum est, in quo fœderatorum Legati, belli & pacis suprema consilia socient, ac vim fœderis, & vinculum, tueantur.

§. 14. *Cum inferioribus*, fœdera à majoribus ferè ineuntur, si iis, exauctis illorum, conservatisque fortunis, hostibusque repressis, suo etiam Imperio conciliare possunt securitatem. Securitas verò illa conciliatur per inferiores, si illi, in fœdus assumti, & justis auxiliis sustentati, communem hostem detinere possint, sistere, aut propulsare.

§. 15. *Fœderum* istorum omnium alia æterna sunt, alia certi temporis spatiò sunt adstricta. *Æterna* esse debent, quorum causa perpetua. *Tempori adstricta*, quorum causa cum tempore inverti potest, aut mutari.

§. 16. Sanctè autem omnia & solenniter debent iniri, &, eadem fidei sanctitate observari. Fides enim data publico fœdere, servari etiam debet Heretico, infideli, hosti, & rebelli; si enim turpe sit, fidem illis servasse, imo ne quidem dari

dari ei debuit, si non debuerit servari. At ista servanda etiam est, cùm ex rupto fœdere plus referre possimus utilitatis, plus enim, quavis occasione oblatâ, semper utilitatis est, ex servatæ fidei famâ.

§. 17. Denique etiam servanda est, quamquam metu, & necessitate, ad ineundum fœdus compulsi simus. Quanquam enim civili jure privato rescindere liceat id, quod vi aut metus causâ quis gessit, aut promisit, non tamen id licet in publicis gentium fœderibus, nam si necessaria sint fœdera, ut sunt, sique nulla, sine vi, metu, aut necessitate ineantur, ut nulla ineuntur, apparet, iis de causis, eoque prætextu, rescindi fœdera, nec deberi, nec posse.

§. 18. Quare etiam ob levia quædam, à Republica, aut privatis, adversus leges fœderis, commissa, sancita fœdera statim non expediat infringi, quare & gentium jure, quo inter injurias privatas, salva maneant publica fœdera, inventum est jus *Repressaliarum*, quod vocant.

§. 19. Ne etiam, interpretando, facilè possint fœdera violari, eorum Leges, planis, apertisque verbis, concipiendæ sunt, simulque omnia, ex quibus, post initum fœdus, lites & controversiæ novæ possint excitari, expressis, quantum licet, conditionibus, prævenienda, explicanda, & certò definienda, sunt, sic enim durabile robur fœderibus maximè conciliatur. Si interim quid controversiæ oriatur, ex fœderis diversâ interpretatione, quemadmodum id fit sæpissime, optima illa censeri debet & æquissima,

quæ

quæ ad finem & institutum fœderis adsequendum maximè est comparata.

§. 20. Denique inita ita & observata fœdera finiuntur aut cum tempore, cui sunt adstricta; aut mutuo consensu eorum, qui iniere; aut legibus fœderis non observatis, ab iis, quibuscum conventum est: quod fit, cum aut non præstantur ea, quæ ad vim fœderis maximè faciunt & promissa sunt, aut contraria aguntur fœderis instituto, quorum alterum qui committit, ut perfidus est & iniquus; ita si ea de causa alii non stent, contra initi fœderis leges ex gentium omnium jure, judicio ac merito facere censentur.

Caput XII.

De jure belli, de bellorum administrandorum recta atque cauta ratione.

§. 1. Cum plurimi Principes ac populi sint, qui hostes esse malint, quàm amici aut fœderati, quomodo eorum conatus adversus Rempublicam sistendi, profligandique sint, jam videndum nobis: justo autem bello & justi belli causa, administratione id obtinetur potissimùm. Adeò ut duo nobis hîc veniant expendenda imprimis. (I.) *Ea quæ juris.* (II.) *Ea quæ prudentiæ sunt*, in indictione, & administratione bellorum.

§. 2. *Ac jus* quidem omne bellum permittit, ju-

re

re enim naturæ necessaria; jure gentium, ea, quæ singulorum & omnium; jure civili etiam sua cuique si erepta & negata sint, vi armorum reposcere licet.

§. 3. Neque tamen sufficiat, ut ea ratione bella omnia justa sint, *nisi etiam necessaria* sint. Non igitur *justum est id bellum, cujus justa tantùm causa, sed quod justum pariter ac necessarium*. Est autem necessarium & justum, cum alia ratione jus nostrum nobis non possimus vindicare.

§. 4. Igitur *justitia bellorum*, ad tria ferè capita revocatur suprema. (I.) *Ad defensionem* sui & aliorum, quibus ea ex fœdere aut naturæ aut gentium lege debetur. (II.) *Ad exactionem ejus aut vendicationem*, quod nostrum aut nostri juris est. (III.) Denique *ad pœnam*, qua ob læsam Imperii nostri Majestatem, vel ob læsas subditorum nostrorum fortunas, bello indicto alii alios veluti supplicio publico punimus.

§. 5. *Defensio* itaque est, qua adversus insidias, conatus, ac vim aliorum, nostra bello tanquam gentium omnium sanctissima quadam ac necessaria lege tuemur. *Exactio* sive juris nostri, sive nostrorum vindicatio est, qua agimus repetundarum, & quæ nobis nostrisque ablata, vel cum deberentur, non præstita sunt, bello reposcimus. *Pœna* denique est, qua violatam majestatem Imperii, attritas subditorum fortunas, violata gentium jura, bello, velut justa ultione vindicamus.

§. 6. *De-*

§. 6. *Defensio publica & privata* multum differunt. *Privata* juris momentanei est, & absente judice tantum permissa, ad cujus autoritatem privato homini alias est provocandum. *Publica* verò durat quamdiu bellum, & alter alterius judicium quam suum sui ·re necesse non habet. *Privata* etiam defensio .um demum justa est, si præcesserit alterius aggressio & de facto. *Publica* autem defensio etiam justa est ante alterius aggressionem, & de futuro, ut ita dixerim. Unde colligitur, justam indictionem belli censeri non tantùm adversum irrumpentes, sed etiam irrupturos. Et minæ bellorum ae apparatus inter alios justum faciunt bellum eorum, qui ob metum, ex minis & apparatu aliorum, sine bello securi esse non potuerunt.

§. 7. Neque minùs justum est bellum, quod ex titulo exactionis nascitur, dum ea, quæ nostra tantùm sunt, aut quæ nostra pariter & omnium sunt, & quæ aliena licet, tamen ex fœderis aut humanæ societatis lege etiam ad nos pertinent, bello repetimus.

§. 8. Itaque invadendi tantùm aut acquirendi alterius Imperii, aut nostri augendi causa, bellum non debet administrari.

§. 9. Cæterum bellum ex justissimis illis causis natum, justissimum censeri debet, quamdiu geritur, etiamsi ablata aut negata, quorum causa indictum bellum est in manus nostras, aut in potestatem nostram, vi armorum sint redacta, id ob rationes gravissimas. (I.) Quia in delicto,

delicto, quo noxa illata est, sublata noxa virtute ac felicitate eorum, qui bellum indixerunt, nondum sublata creditur eorum pœna, qui ante bellum noxam intulerunt. (II.) Quia, qui semel Reipublicæ nostræ nocuit, prudenter creditur adhuc nociturus, atque ob noxam primo illatam tamdiu jure bello licet instare, donec ita attritæ sint ejus vires ac debellatæ, ut, etiamsi velit, non possit nobis in posterum nocere. Ob quas etiam rationes jure ejusmodi bella etiam in posteros extenduntur.

§. 10. Interest tamen societatis humanæ bella finiri aliquando, itaque, ut Tacitus loquitur, ultioni modum esse aliquando satis sit consultum, satis autem consultum erit, ubi securitati Reipublicæ nunc adversum eos, quibuscum bello fuimus impliciti, satis erit prospectum.

§. 11. Pœnæ verò titulus, cui subinde bella diximus iniri, in eo persequendo consistit, quod non nisi damno alteri per bellum inflicto resarciri potest aut reparari. Nam aliæ res ablatæ aut negatæ tradi vel restitui possunt, in quibus exactio nimirum habet locum, res verò aliæ sunt, quæ restitui non possunt, in quibus locus est pœnæ, quæ per bella infertur, inter quas numerari possunt jus violatæ Legationis, aliaque omnia, quibus verbo aut facto in Principum aut Rerumpublicarum majestatem peccatur.

§. 12. Interim non ob omnia ejuscemodi bella gerenda, sed gravissima tantùm. Nam extremis demum malis extrema remedia veniunt appli-

applicanda. Adeò ut quædam aliis pœnis, quædam bello sint persequenda, nam magnum aut majus delictum, addit hîc aliquid, aut demit, indicti belli æquitati. Itaque prosequi bello licet delicta in jus naturæ, jus gentium, & majestatem, adeò quidem ut jura gentium in aliis gentibus violata quivis Magistratus supremi & Principes belli jure possint vindicare.

§. 13. Nam supremi isti Magistratus dupliciter considerantur. Vel qua suis imperant, vel qua nemini parent, nisi jure gentium & naturæ, cui utrique cum obnoxii & subditi sint, utrique inviolatam vim & sartas tectasque leges, non tantum pro suis, sed, si possint, etiam pro aliis debent tueri.

§. 14. Propter delicta tamen sic aliis illata, nobis haud nocentia, minùs necessarium, sed tamen justum propterea; nobis autem nostrisque nocentia, & justum & maximè necessarium est bellum, neque enim quisquam cogi potest, ut bello agat causam alienam, quisque interim cogitur, ut suam agat & suorum.

§. 15. Sed & illud ad leges æquitatis hîc facit, unius vel paucorum privatorum culpam publicam haberi, & propter eam publicam belli pœnam inferri non oportere totis gentibus, nisi sciverint Magistratus, & cum conscii essent potuerint prævenire. Ubi enim unus vel pauci in alterius Rempublicam peccarunt, ignaris Magistratibus, aut non valentibus impedire, æquum profectò est, ut non tam publico bello, quàm noxiorum deditione, aut alia singulari

pœna

pœna commissum crimen expietur. Si verò culpæ conscii fuerint, & autores Magistratus supremi, & non prohibuerint, cùm possent, & pœnæ vel noxæ non dederint eos, qui peccarunt, gentium jure non unius vel paucorum, sed totius Reipublicæ crimen esse creditur, & eo nomine bellum justum infertur. Quippe ex hujus juris præscripto singulorum, quemadmodum dixi, commissa culpa universitati imputatur, nam peccasse omnes videntur, ubi uni vel paucis peccantibus obsistere omnes potuerint, nec tamen obstiterint.

§. 16. Atque id quidem de bellorum jure; restat autem ut *ad prudentiæ leges*, in dicendis atq; observandis nunc nos convertamus. Enimvero ubi jus belli, iis, quos jam laudavimus, titulis non prudenter expenditur, an jus nostrum bello persequi, an non persequi, & quomodo persequi expediat. Sæpe enim expedit Reipublicæ jus suum bello non committere, majoris evitandi mali gratia, quod dubiæ sint bellorum fortunæ, quod tarda, quod sumtuosa, quod sæpe noxia sint ea bella, quorum justissima est causa. *Sæpe etiam expedit Reipublicæ, jus suum non statim bello persequi, sed præstolari opportunas persequendi occasiones*, neque sic minus justæ causæ ea bella sunt, quanquam inter eorum causam & executionem spatium temporis intercesserit. Nam jus suum semper integrum creditur Respublica servare. *Iuris igitur est, meritò posse, prudentiæ est, suo & tempore, & loco, & ex Reipublicæ usu bellum administrare.*

§. 17. Ab-

§. 17. Abstinendum verò ab iis bellis omninò est, quæ, quantumvis feliciter expedita, laudem modicam, modicum victoriæ, ut loquitur Tacitus, pretium, improsperùm autem cadentia, magnum ludibrium, nec minus damnum sint allatura. Nam ut loquitur idem Tacitus 2. hist. *Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an, quod inchoatur, Reipublicæ utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certe non arduum sit*, quod si alibi, in bellis maximè, expendendum est.

§. 18. Sed neque cum istis etiam, quamvis justissimo bello, illigandi sumus, quorum est tanta potentia, ut adversum clades omnes insurgere possint, quique, ut illud Senecæ, diutius pugnare possunt, quàm nos vincere.

§. 19. Optima autem omnium belli inferendi occasio est, *cùm non tantum virtutis nostræ in executione rerum, sed etiam vitiorum, quæ inter hostes exorta, aut à nobis procurata sunt, usus nobis esse potest*, ut cum civilibus bellis, cum bellis aliis, cum defectu militum, aut ærarii inopia, aliisque ejusmodi publicis malis affliguntur.

§. 20. In ordine rerum bella gerendarum attendere maximè convenit, *ne atteramus aut distineamus in modicis vires, sed maxima & capita rerum aggrediamur*, quæ, subacta vi sua, cætera omnia facilè sunt tractura. Sic enim tempori parcitur & militi, & impensis, & minùs nos obnoxios reddimus dubiis fortunæ. Sin tamen non nisi per modica primùm debellata,

bellata, ad majora subjuganda possit deveniri, prudentioris longè ordinis est à modico auspicari.

§. 21. Maxima verò illa capita rerum, ea hîc intelliguntur, per quæ certa sit in hosticos sedes, certus quamvis ingruente fortuna receptus, per quæ mittenda hostibus auxilia eripiantur, denique quorum oppugnatio & peditio cæteris deditionis & agnoscendi nostri Imperii imponit necessitatem.

§. 22. Sed & id cavendúm imprimis, ne unius prælii casui, qui præter expectationem sæpe adversissimi adferuntur, totam vim Reipublicæ, aut summa consilia, post quæ nulla supersint, committamus. *Cùm ergo prælio cum hostibus committendi sumus, tantum ex alea prælii servare expediat, quantum sufficiat restauranda, si forsan adversa incubuerit, fortuna.*

§. 23. Enim verò ubi bello illigati sumus, duplices idoneæ Reipublicæ copiæ debent esse ad manum. Aliæ, quas hostibus & casibus fortunæ, aliæ, quas adversæ in bello fortunæ & victoribus hostibus opponere possimus.

§. 24. Cæterum in bello plurimum obtinet *bonus Imperator*, & *miles*, & *sanctè observata militia* disciplina. *Imperator*, ut de aliis nunc non dicam, quæ in eo esse oportere, facilè quivis intelligat, consiliis potiùs agat, quàm autoritate & manu, & libera potiùs utatur, quam mandatorum legibus adstricta libertate, præsertim iis in bellis gerundis, quorum diversi casus

casus ante consilia & mandata non possunt provideri, quippe in his longe potius fuerit, ut Imperatoris consilia, ipsos casus & circumstantias temporum ac rerum, quam inutilium sæpe mandatorum limites sequantur.

§. 25. *Militis* verò ex domesticis, quàm extraneis, major & melior usus habeatur; melior, quia in eo plus fidei; major, quia domesticæ copiæ extraneis sunt majores, majorem in iis Respublica habet fiduciam securitatis.

§. 26. Pro amicis autem & adversum hostes prudenter reperta est *militiæ disciplina*, quam ideo castrorum matrem & triumphorum alumnam vetus scriptor appellavit. Vis autem disciplinæ militaris in legibus, & pœnarum, propter delicta etiam levissima nunquam remissa severitate consistit, nam ferocia sunt castrensium ingenia, & maxima ex rebus minimis neglectis, aut male administratis, in bello discrimina oriuntur.

§. 27. Sed neque susque deque est, quomodo jus nostrum bello persequamur, itaque & de eo est aliquid dicendum. Modus igitur ille duplex est, aut enim in invadendo hostem, aut *offensione*, ut loquuntur, vel nobis propugnandis, *aut defensione*, consistit.

§. 28. *Defensio* est, cùm nostros intra limites avertimus hostem, ejusque insultus propulsamus; sola illa laudabilis est, ubi cum iis hostibus commissi sumus, qui majores nobis longè sunt & validiores. Vis ejus ac usus in tuendis limitibus consistit, ex architecturæ militaris,

qualis hodie recepta eſt, lege, locis, per quæ ad interiora noſtris ditionis aditus eſt, vallo, foſſa, propugnaculis, aliaque ejuſmodi opera communitis, quibus ut adverſum longas obſidiones, de iis, quæ bello & vitæ neceſſaria, ſuſtentandis, abunde proviſum ſit, neceſſe eſt.

§. 29. *Offenſio* eſt, cùm extra limites caſtra promovemus & invadimus hoſtem. Illa laudabilis eſt, ubi cum infirmioribus bello certamus, & cùm donii nobis adeò aperti & infirmi limites ſunt, ut irrumpentibus, niſi alibi reſiſtatur illis, facile ceſſuri metuantur. Vis ejus in idoneo exercitu conſiſtit, qui hoſtili par, aut major ſit, qui interim major non ſit, quàm ut in hoſtili agro ſuſtentari poſſit.

§. 30. *Finis belli victoria* eſt, fructus autem victoriæ ejuſdem uſus eſt. Rectè enim *victoria uſu cenſenda eſt*, quæ neque in prudentiæ, nec clementiæ leges peccavit. *Lex clementiæ* eſt, ut poſt partam victoriam, poſt civitates totas ſubjugatas, omnibus iſtis parcatur, quæ victori in poſterum non ſint nocitura, aut victis in poſterum adverſum victorem aliquando ſint profutura. *Lex prudentiæ* eſt, ut ſi quid ex devictis hoſtibus forſan ſuperſit, quod aliquando Victori poſſit nocere, ſecuritatis potiùs publicæ, ac belli juris in ferro ac flammis, quàm inconſultæ ac noxiæ clementiæ ratio habeatur.

CA-

Caput. XIII.

De pactis, quæ nomine publico cum hostibus ineuntur, præsertim Induciarum ac pacis, quibus tantùm differuntur bella, aut penitus tolluntur.

§. 1. CUm & totius humani generis & singularum etiam gentium intersit, bellis finem aliquando imponi, finis iste obtineri non potest, neque malis bellorum potest intercedi, nisi per pacta, quæ cum hostibus ineuntur: præstat enim iis præveniri majora mala, quàm per bella inter ancipitem fortunam, sumtus plurimos, nec minores sæpe clades, ea, quæ jam inflicta sunt, perpetuò ulcisci, & quod accedit, quod nullum bellum justum sit ipso gentium jure, quod pacis causa administratur. Non igitur bellorum causa tantùm justa esse debet, sed & finis, *justitia verò finis in eo consistit, quod pacem appellamus.*

§. 2. Cæterùm pacta ista, quantum plus periculi habent ex personis, quibuscum ineuntur, tanta majori cautione sunt ineunda, semper enim, quanquam amicitiam simulet ac pacem, eamque afferat, metuere illum debes, quem læseris, & tanquam læsum per blanda pacis nomina eum habere suspectum, qui semel lædere est conatus.

§. 3. *Pactis igitur istis, aut causa belli pariter*

& bellum tolluntur, aut causa integra bellum tantum tollitur & differtur.

§. 4. *Causa belli* & bellum pariter tolluntur, ubi inter pactorum leges remisit quisquam, quicquam hactenus in alium & prætendit, & ut obtineret, vi bellorum alium est persecutus. Ea autem pacta omnium securissima debent æstimari, neque enim ad bellum rediturus facilè creditur, qui causam belli tradidit ipse ac pacto transscripsit.

§. 5. *Integra & salva causa tolluntur saltem bella*, vel ad tempus differuntur, cùm bello quidem imponitur finis, jure tamen, cujus titulo hactenus bellum gestum, cuivis parti integro servato, quæ quidem pacta secura minus censenda sunt, dum hoc vel isto prætextu facilè violaturus creditur pacta ille, qui belli causam in omnes occasiones integram sibi servavit.

§. 6. Interim causa belli, pactis cum hostibus initis, non facilè permitti debet, præsertim si in ea aliquod magnum Reipublicæ sit momentum, si etiam meliores offerri possint temporum conditiones, quibus felicius Jus nostrum persequi possimus, post initorum pactorum finem.

§. 7. Pacta ipsa aut brevissimo aut longioris temporis spatio, aut ejus æternitati sunt adstricta, quorum ista *armistitia*, illas *inducias*, hæc *pacem* appellamus.

§. 6. *Armistitia* sunt, post quæ statim ad bella reditur, in quibus potiùs bellum non geritur, quàm sublatum est bellum. In his ad tria est attenden-

tendendum. (I.) Ne occasiones rerum gerendarum, per admissa ea, carpantur. (II.) Ne, iis durantibus, vires hostibus accedant majores. (III.) Denique, ut armatus etiam miles sit, ac velut in procinctu stet, inter otia armistitiorum.

§. 9. *Induciæ* sunt, quibus revera bellum differtur, quarum prudenter ineundarum leges, ad hæc fere capita possunt revocari. (I.) Hostium commodo illæ non sint; indulgentur autem illæ hostium commodo, ubi, rebus feliciter à nobis gestis, penè victi illi jam toti sint ac prostrati. Quippe, qui hic aliter agit, blandientis sibi fortunæ cursum cohibet ac sistit, & faventem hostibus, veluti transscribit. (II.) Exporrigi vix debent ad hominis ætatem, si enim eò usque extendantur, post finem induciarum, novo iterum bello exorto, priori ante inducias bello, exercitus inde Reipublicæ est defuturus. (III.) Alibi, ubi id licet, induciæ cum eodem hoste ineundæ, alibi cum eodem gerendum est bellum, ita enim futurum est, ut non desit militi negotium, in quo possit occupari. (IV.) Providendum imprimis ne per inducias, translatis in alios hostium armis, per eorum latera, & jugum clam & aliud agendo ipsi impetamur. (V.) Induciæ ita habendæ sunt, ut licet bellis ad tempus sopitis, tanquam quæ certò reditura sint, sit apparatus. Nam prudentiæ est de bello cogitare, quod post finitas inducias, haud dubiè sit erupturum.

§. 10. Pax est, quæ (ut cum Rom. loq.) cum

cœlo & terra duratura initur, atque extat magis nomen ejus, quàm usus inter mortales. Quàm enim dubiæ sunt res humanæ, quam fluxa hominum fides, quàm facile inferuntur injuriæ, & illatæ creduntur, tam nihil in pace æternum, & facile pax in bellum commutatur.

§. 11. Itaque uno isto & præcipuo præcepto est opus, pax omnino bona fide habenda est, tanquam semper duratura, dubia interim & cum suspicione belli eadem habenda est, tanquam ex qua facilis negotii inimicitiæ possint excitari.

§. 12. Denique sive armistitium, sive induciæ, sive pax, per pacta conventa, obtenta sit, deposita licet bellorum usu, curæ tamen, & consilia, adversum bella imminentia, nunquam deponantur.

CAPUT XIV.

De mutationibus ac eversionibus Rerumpublicarum, ac præcipuis causis.

§. 1. REbuspublicis constitutis ita, & domi, forisque confirmatis, neque æternitatem quandam liceat polliceri. Restat igitur, ut libro primo imponat finem finis & exitus, qui fere omnium imperiorum esse consueverit. Equidem rerum omnium humanarum, æterna quadam lege, quæcunque, optime licet ratione instituta, & confirmata, tandem aut mutantur,

aut evertuntur, quod perinde in Rebuspublicis locum habet, quarum quædam aut mutationes aut eversiones sunt.

§. 2. Mutationes Rerumpublicarum illas appellamus, cum vetus earum status, & forma, in statum alium, formamque aliam, convertitur. Eversiones illas vocamus, quibus fit, ut Respublica aliorum subjiciatur dominationi.

§. 3. *Causa mutationum* sunt vel in Magistratibus, vel in ingeniis subditorum. *In Magistratibus*, cùm illi vetere Reipublicæ forma tanquam pro autoritate suâ minus faciente, ita abutuntur, ut tandem planè novam, magisque pro autoritate sua facientem, amplectantur. *In ingeniis subditorum* causa mutationis est, cum illi, pro innata sibi judiciorum varietate, veterum pertæsi, novâ, non tam quâ meliora, quam quia nova, amplectuntur. Mutationes, ex his causis natæ, efficiunt, ut præsentes Imperiorum formæ, in proximas, & cognatas, commutentur. Aristocratia in Monarchiam, Democratia in Aristocratiam, & hæc denuo in id Imperii, quod populi, appellamus.

§. 4. *Causæ eversionum*, diversæ sunt, quibus fit, ut aut alterius subeatur dominatio, ut summo dominationis nostræ juri plurimùm decedat. (I.) Verò est abstrusa quædam ratio providentiæ divinæ, ex cujus arbitrio, & beneplacito, sæpe incognitâ nobis ratione, aliis erepta Imperia, in alios transferuntur, atque sic fatales periodos, sive circuitus Imperiorum, Plato appellavit. Est (II.) dissolutio quædam partium

& dissensus animorum, quo aut inter se, factionibus eò mittuntur subditi, & membra Reipublicæ, ut subditi & Magistratus à se invicem divelluntur, quam partium dissolutionem, totius corporis dissolutio sequi ferè consuevit. Quod & significavit idem Plato, mutatis numeris, mutatâque musicâ, necessariò etiam Rempublicam everti, musico & numerorum nomine consensu publico illecto, quam harmoniam alibi appellavit. Accedit & (III.) Vastitas Imperiorum, quæ cum ambitione Imperantium terminos non habent, & quotidie latiùs proferuntur. Sensim imminui & everti tandem necesse est. Nam sicut, qui semper progreditur, nunquam firmus consistit, ita Principes, & populi, qui ad occupanda quævis, consilia convertunt, nihil immotum, nihil æternum, pro Republica possunt polliceri, adeò ut hic, vel imprimis ambitiosis votis, ponenda sit meta, ne Imperium pariter ac fortunam fatigemus. Sed & (IV.) inter causas mutationum meritò censuerim, supremum fastigium publicæ felicitatis. Ad quod, ubi evecta sunt Imperia, corruptos suorum mores, & per eos novercantem tandem & sævientem fortunam experiuntur, plerique enim acceptæ fortunæ magnitudine abutuntur. Quin verò & huc (V.) faciunt, leves & modicæ quarundum in Republica partium, subinde institutæ mutationes integrarum formarum, & ex his eversiones Imperiorum nascuntur. Atque ita, veluti principia sunt, ad quæ reliquæ omnes causæ particula-

culares, quibus everti aut mutari Respublicas videmus, nullo negotio possumus revocare.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De diversis Rerumpublicarum formis, de Theocratia, seu Republica Hebraeorum.

§. 1. POscit jam rerum ordo, ut diversas Rerumpublicarum formas inspiciamus. Nam gentes, aut singuli Principes, aut pauci, aut populus, regunt. Inde *Monarchia*, in qua singulis: *Aristocratia*, in qua pauci: *Democratia*, in qua omnes, præsunt.

§. 2. Quæ quidem omnis diversitas formarum nata est, ex diversitate ingeniorum, quæ alia atque alia, diversas inter gentes, inveniuntur. Aliæ enim plus, aliæ minus libertatis, sub Imperantium dominatione retinendum sibi putaverunt. In *Monarchia* minùs libertatis est, quia unius: In *Aristocratia* plus libertatis est, quia plurium arbitrio omnia reguntur: In *Democratia* maxima omnium libertas est, dum in ea cuivis licet, ad conservandam promovendamque libertatem, studia sua, ac curas conferre.

§. 3. *Monarchia* & *Aristocratia* omnium

antiquissimæ & primæ fuisse meritò videntur. *Democratiam* verò serius progressu seculorum natam lubet judicare. Hanc enim primò vix alicujus gentis fuisse, sed amore libertatis, aliis istis formis, alibi quasi successisse, ex eo verissimum mihi videtur, quod credibile non sit, cum in constitutione Imperiorum primâ, summa quadam prudentia & autoritate esset opus hominum excellentissimorum, populum autem idcirco minoris autoritatis, idoneam Imperii vim, inter Imperii inexpertes exserere non potuisse.

§. 4. Quæ autem regendi ratio & forma optima sit, non tam anxiè, ut fieri solet, perscrutandum putamus. Utique enim, ut generatim dicam, quod sentio, ea optima censenda, quæ ad ingenia suorum, & commoda, maximè est comparata. Neque enim omnibus tantâ morum, locorum, temporum diversitate omnia conveniunt.

§. 5. Atque ita quidem gentium sapientes tradiderunt, Græci præsertim, qui rationes inventarum legum & primas origines publicarum societatum sibi deberi gloriantur. Interim verò illi ignoravere aliam quandam, & antiquitate temporum, & sanctitate legum, primam Imperii formam extitisse, quam cum Josepho Θεοκρατίαν appellamus. Est autem quasi Imperium aut Respublica Dei. Atque hâc usus est populus Hebræus.

§. 6. Quanquam enim ductores primò suos, Rectoresque Mosen, & Josuam, divinos viros, dein Judices, tandem Reges habuerit, non tamen

men Monarchiam aut Aristocratiam in ea gente licet appellare. Nam in omnes illos & Rectores & Judices & Reges, peculiare & excellens fuit Imperium Dei, qui, ut ubique est, & cœlesti majestate omnia implet, ita Hebræis singulari quodam modo semper assedit, qui, ut regit omnia & sustentat, ita in usitatam aliis gentibus ratione tenuit Rempublicam Hebræorum. Ex hujus enim præscripto Magistratus constituti & conditæ leges, ex hujus oraculis publica consilia sunt petita, in hujus sinu sita erant arcana hujus Imperii, denique tot admirandis modis toties vires ejus Reipublicæ versabantur.

§. 7. Adeò ut inter divini, ejusque singularis limites mandati constricta fuerit omnis illa Hebræorum Imperantium potestas, nec novarum, ut alibi, legum latores erant Hebræi Magistratus, sed earum, quas cœlitus acceperant, custodes. Hujus Reipublicæ specimen alibi haud unquam existit, & in Judæis in formam provinciæ redactis sub Romanis, & sub Tito Cæsare penitus eversis ac ejectis, tandem omnino defecit.

CAPUT II.

De Monarchia, de Principatu ac Dominatu, de Electione, atque successione.

§. 1. MOnarchia, Respublica est, in qua uni alicui & soli suprema & præcipua Imperii cura est demandata, cui ex eo Regis aut

Principis est cognomentum. Estque illa & antiquissima, & facillima, & si recta habeatur, tutissima imperandi ratio. *Antiquissima*, quia primi omnium gentium Magistratus Reges extitere. Nam ad continuandam in obsequio multitudinem, autoritate summa opus erat, quæ in uno, quàm pluribus validior est, & magis spectatur. *Facillima*, quia minimæ & nullæ dissensiones, ubi ab uno Imperium exercetur, quæ in plurimorum Imperio graviores & plures solent excitari. Unius quippe & semper simili sibi ingenio, faciliùs, quàm diversis plurium ingeniis subditi accomodantur. *Tutissima* denique est, quia pravæ spes aliorum ac destinationes in occupandis Imperiis, ubi unius, vel unius domus imperium est, meliùs præciduntur. Nam ubi inter plures distributus est honos Imperii, & plures administrandi Imperii sunt capaces, ut in Aristocratia & Democratia, à pluribus persæpe illud affectatur.

§. 2. Cæterum non eadem omnis Monarchici Imperii vis est aut ratio, nam aut Principatus est, aut Dominatus. Principatum vocamus, ubi ita uni permissum est Imperium, ut pluribus pro libertate repertis institutis ac legibus adstringatur, adeò ut Principatus & libertas sub malis Principibus, ut dissociabiles hîc optimè conjunguntur. Dominatum vocamus, ita uni permissam, aut ab uno occupatam Imperandi rationem, ut pro libidine omnia possit administrare; adeò ut unius arbitrio libertas subditorum sic constringatur.

§. 3. Prin-

§. 3. Principatus forma ferè est, ubi consensu & electione populi ad summam rerum Principes sunt vocati. Dominatus ferè est, ubi Imperia facta sunt occupantium, & inter eas gentes, quæ vi ac terrore ad obsequium sunt compulsæ, quem tamen, cum in atrocissimam tyrannidem deflecteret, pleræque gentes exuerunt: ita quidem, ut hodie Dominatus, si Turcas, Moschos, & alios paucos eximas, alibi vix sit inveniri. Dominatus enim plerisque invisus est, & grata est cordato populo ea administrandi forma, quam Principatum appellamus. Principes enim omnia subditorum Imperio possident, non Dominio. Dominus autem non Imperio tantum, sed etiam Dominio possidere se existimat, non fortunas saltem, sed vitas etiam ac sanguinem subditorum, adeò ut sub Principe obsequium cum libertate, sub domino obsequium cum servitute sit conjunctum.

§. 4. Porrò eliguntur Principes aut succedunt. *Electio* in suffragio Procerum aut populi versatur: *Successio* autem est, qua jure nascendi eum excipit in imperio, ex quo natus est, aut cùm sanguinis propinquitate proximè contingit.

§. 5. Quæ verò major ac laudabilior sit, successio, an electio, inter dubia rationum momenta multis disceptatur, & pro utraque gravissima quidem sunt argumenta. Nam in Electione plus diffidii est, sed & plus libertatis. In succeſsione verò nihil quidem diffidii, sed

& nihil

& nihil libertatis. Præterea judicia, ut sic dixerim, naturæ, ut aliquando recta, ita sæpe cæca sunt, dum ex optimis Principibus aliquando pessimi nascuntur: Judicia hominum certa magis sunt, sed & hæc sæpe fallunt ac falluntur, dum haud rarò illi eliguntur, qui Imperio jam impositi, indigni Imperio & impares deprehenduntur. Pro utraque igitur, ut compendio dicam, & contra utramque militat ratio, in hac aut illa servandum esse partium institutum.

§. 6. Bene verò electus est Princeps, qui, nisi electus, nasci debuisset: Bene natus est, qui, nisi natus esset, eligi debuisset.

§. 7. Cùm verò nunquam vacuum esse debeat Imperii nomen, aut caput, ne fiat occupantium, aut adhuc superstite, aut statim defuncto Principe, eligi successor debet ea in Republica, in quâ Electionis jure hæc omnia transiguntur.

§. 8. Ad illa tollenda diffidia, & malè feriatorum hominum ac ambitiosorum machinationes, plurimum facit, vota Electionis inter eandem familiam continere, si ea semper digni Imperio inveniantur. Sicuti enim periculosi transitus rerum, nec minus discriminis habent mutationes familiarum, ex quibus Principes eliguntur.

§. 9. Sed omni interim modo providendum est, ne ex eo discrimen oboriatur libertatis. Ex eadem enim semper familia electi ac domo, assiduo Imperii usu, jure successionis tandem deberi

beri sibi putant, quod tandem electionis jure consequuntur.

§. 10. Ubi verò jus successionis habet locum, nec proximi sanguine supersint, qui succedant, defectus ille naturæ testamenti factione, scripto hærede, aut etiam adoptione, sicut inter veteres Romanos receptum erat, potest suppleri. Est enim adoptio initiatio naturæ, quo, aliis in liberos pro liberis assumtis, vitium orbitatis superamus.

§. 11. Hujus aut Testamenti factionis, aut adoptionis, & certa & tempestiva cura facit, ut, qui in præsens rerum potiuntur, quietius Imperium ad posteros transmittant. Tempestiva cura est, cùm humanæ fragilitatem vitæ; & festinatos cogitantis fore fati casus, de hærede & successore continuò tam certi sumus, quàm incerti sumus diutius nos victuros. Certa cura hîc est, qua ita, ac tam rite, ac apertis adeo verbis describimus hæredem, ut de herede instituto, post nostrum excessum, nullæ agitari turbæ possint, ac dissensiones.

§. 12. Ne autem facilè deessent principalis sanguinis posteri & successores (transitus enim isti cum metu semper aliquò sunt conjuncti) quædam olim gentes, & nostrorum temporum nonnullæ, jure successionis sequiorem etiam fœminarum sexum ad sceptra admisere. Quamquam enim populorum omnium, ab omni retrò ætate, judicio, fœminæ, ob inopiam judicii, ob imbecillitatem & ignaviam sexûs, non à publicarum modò, sed etiam civili jure, à privatarum

tarum quarundam rerum administratione meritò excludantur, qui ætatis tamen & securitatis publicæ interesse populis visum est quibusdam, ut masculo sexu deficiente, ad intercipiendas aliorum spes, & spe masculæ prolis suscipiendæ & ne facilè Principatus in alias familias, inter plurimas postpositorum turbas migrarent, imperia ad fœminas quoque devolverentur.

Caput III.

De Monarchici status arcanis, sive interioribus consiliis.

§. 1. Quemadmodum diversis gentibus diversæ placent species Rerumpublicarum, ita diversis speciebus, diversa sunt arcana. Sunt autem non nisi interiora consilia ad præsentis status Reipublicæ conservationem, ad præveniendas, profligandasque mutationes, quæ ex mobilitate populi, ambitiosorumque conatibus facilè nascuntur, propriè comparata.

§. 2. Horum in Monarchia tantò major est ratio, & accuratior habenda, quantò majus est illud imperium, ideoque populo invisius, & eandem magnitudinem affectantium immodicis desideriis magis expositum, itaque, ut cum Tacito hic Annal. 4. loquar; Quemadmodum plebe valida, vel cùm patres pollerent, noscenda est vulgi natura, & quibus modis temperanter

ter habeantur, senatusque & optimatum ingenia qui perdidicerunt, callidi temporum creduntur: sic ubi non nisi unus imperitat, hæc conquiri tradique debent.

§. 3. Ab Arnoldo Clapmario, egregio sanè autore, pleraque eorum exposita sunt, vulgato *de arcanis* opere, sed interim haud pauca & necessaria visus est præteriisse, quæ nos non in comparationem curæ & ingenii, sed explendi hujus argumenti causa, compendio, ut cætera hactenus, perstringemus.

1. In id incumbendum est Principi, *ut justo, eoque à populo aut Proceribus confirmato titulo teneat Principatum*, quo nemo inter subditos, aut exteros sit, qui majore aut justiore titulo vim rerum invadere possit, aut sibi arrogare. Est autem eo tituio, & publico consensu imprimis opus in transitu rerum & familiarum, nimirum ubi diversa antea Reipublicæ forma, in Monarchiam mutatur, aut movetur loco, qui hactenus gessit Principatum, aut denique regnatrix domus convertitur. Sic enim fit, ut irriti reddantur aliorum conatus, & æquissimas populus judicet, & probandas omnes, ex justo adeò titulo profectas, Principis in administrando Imperio leges & actiones.

2. Neque minùs laboret, *ut more majorum*, quantum quidem licebit, iisdem omnibus, quibus priorum Principum, solemnibus ac ritibus *inauguratio peragatur*, quo non justus tantùm titulus sit accepti Imperii, sed etiam modus.

Nam

Nam meliorum omnium gentium judicio, hoc quoque pertinet ad legitimas rationes indipiſcendi Principatus, & hac ratione judicium ſuum populus ac proceres quaſi obſignant, & cum in ſolemnibus aliquid religionis ſit, ſanctior redditur Principis perſona, & aliquid horum neglectum nonnullis Principibus, ut illegitimis, nonnunquam legimus objectum.

3. Sub accurata cuſtodia habeat, *ut ibi occupet, ubi non poſſunt nocere, eos, quos ex certo judicio metuit,* hoc aut iſto titulo inducto, ad invadendum Imperium aliquid auſuros. Sic enim futurum eſt, ut nocere non poſſint, etiamſi velint; ante omnia autem id curandum, ne ad exteros aut vicinos Principes tranſgreſſi, horumque vi ſuſtentati, foris accipiant, quibus impugnent Principatum.

4. Ita faſtigio impoſitus, & adverſum ſui imprimis ſanguinis rivales confirmatus, *acta priorum Principum quæcunque licet, juſſa & decreta ſeverè ac ſanctè tueatur,* neque facilè ex iis aliquid convellat. Tanti enim quiſque Principum ſit, quanti ipſe eos facit, quibus ſuccedit.

5. *Quibus obſervandis legibus ſe obſtrinxit, ſi religioſe obſervet,* maximè ſe & Principatum eſt confirmaturus, alias enim, quantum juratis à ſe legibus detrahet, tantum, pro obſequio, odii, ubi occaſio tulerit, exerendi, ſubditi ſuperaddituri ſunt.

6. Summa, ubi juſtè id licet, *pœna ſeveritate eos omnes proſequatur, qui Majeſtatem in præceden-*

cedenti Principe, cujus jam implet locum, *læsisse deprehendentur*, quicquid enim tale non punit, aliis itidem, velut licitum, in se permittit.

7. *Nullum pœna aut contemtus* aut minùs æstimatæ Majestatis *exemplum ipse statuat in eum, qui eandem gerit personam*, paremque in suos autoritatem alibi accepit. Tanti enim fit inter suos Principes & alios, quanti potestate similes sibi aliarum gentium Principes facit.

8. *Haud facilè aut cum iis fœdus ineat*, aut iis auxilio sit populis, *qui Principes suos Imperio exuêre*, quam enim subditis invisi sunt Principes, tam facilè adversum suos sequantur exemplum à suis Principibus probatæ promotæque defectionis.

9. Fixum & immotum iisdem sit, *non facilè omittere sedem imperii*, seu caput rerum, hoc est, urbem eam, sive ditionem, unde in omnia regimen est. Absentia enim Principis, & vacua Imperii sede conjurati, ad invadendum imperium ferè abutuntur.

10. *Neque longè, neque in remotis terrarum oris arma sua peregrinari patiatur*. Ab his enim defectus & nudatus domi se tueri non potest, contra eorum insidias, qui ambiunt Principatum.

11. Idcirco & intra *terminos coërceat Imperium*, neque alia aut plura appetat, quàm quæ commodè possit continere, qui enim ubique cupit dominari, neque ob sparsas, distractasque res ubique par esse potest, continendæ dominationi se prostituit, & Principatum, ut impar & infirmus.

12. *Cer-*

12. *Certas condat*, aut consensu publico condendas aut confirmandas *leges* curet, quibus definiatur certus locus, certusque solemnis modus, in quo & quo solo Principes possint inaugurari, istiusque ipse loci, ut &, si quæ sint solemnium ornamentorum, præcipuam curam habeat. Ita enim fiet, ut alibi aut alio modo à conjuratis salutato Principi aliquid desit eorum quæ ad legitimi Principis inaugurationem ex instituto ac lege necessariò requiruntur.

13, *Regale corpus, regalemque aulam, idonea custodia militari diligenter muniat*, eorumque custodum amorem in se, constantiam ac fidem, quavis ratione, promereri ac conservare contendat. Quanquam enim maximum, ut loquitur Plinius, munimentum, Principis sit, munimento non egere, eaq; arx sit inaccessa Principalis securitatis, interim non satis tuta Majestas sine viribus, contra insidias maleferiatorum, præsertim ubi armis quæsitus est Principatus.

14. *Hæredem & successorem certum designet, neque* interim se vivo *hæredis* faciat apud alios, aut *fieri patiatur mentionem*, imprimis si à liberis destitutus, ipse in alios transferre necesse habeat Principatum. *Solem enim occidentem deserunt plerique, & in orientem convertuntur.* Sed & qui cognoscunt hæredes se designatos, à propria seu aliena ambitione impulsi, malunt plerumque Imperium capere, quam expectare.

15. *Liberos & proximos sibi sanguine eos fidelissimos*, suæ proximis, id est, *maximis dignitatibus imponat*, sic enim & tutior erit fide

ac

ac dignitate suorum, & suo sanguini vi præcipua rerum permissa, plurimis insistet munimentis.

16. Si à cujus nimiè eminentibus, & plus quàm civilia promittentibus virtutibus, fama & gratia inter milites, aut inter cives domi sibi metuat, *militares* eorum *dignitates togatis, & togatas militaribus commutet.* Hac enim ratione nimia in eos populi, aut militum studia, adversus Principem, iis non facilè sunt profutura.

§. 17. *Nemo præter Principem Rei præclarè gestæ gloriam in se trahat*, caveatque imprimis, ne quis laudationibus privatis & publicis supra Principem celebretur, quamvis optimè meritus, namque ejus præcipuè gloria esse debet, ex recto aliorum ministerio, cujus sunt auspicia. Sunt autem Principis solius, & aliter si fiat, quantum in alios convertitur, tantum obsequio, timori & venerationi subditorum in Principem decedit.

18. *Quæsitissimos publicos honores*, supplicationes, & vota publica pro incolumitate, quæque alia ejus generis sunt, *haud unquam cùm aliis, quantumvis summa cum virtute viris, patiatur commutare*, quàm enim Majestatem supra cæteros extollit, tam honorum & publicorum judiciorum quædam debent esse insignia, quibus in solum Principem collatis, quivis intelligat eum supra eminentissimos quoq; eminere.

19. *Præmia decernere militum*, stipendia augere, & civium commoda, publicam libertatem exercere, dignitates conferre. *& alia istiusmodi,*

modi, quæ gratiæ sunt, & quibus gratia militum ac civium captatur, soli vendicet sibi ac servet. Præcipua quippe vis Principis est in amore subditorum, itaque solius Principis est, in manu habere sua ejus promovendi instrumenta.

20, *Earum ditionum, ex quibus vis dependet*, ac salus totius Imperii, *præfecturis potiùs imponat eos, qui privatim minoris potentiæ, quàm qui majoris sunt.* Magnitudo enim fortunæ privatæ, aucta magnitudine publicæ dignitatis, si quis malè uti velit, in præsentissimum discrimen adducit Principem & Principatum.

21. *Anxiè imprimis ad eos attendat, quorum privatæ opes & potentia* præsertim multis cognatorum & affinitatum munimentis innixæ, privatum, ut alibi Tacit. *modum sunt egressæ*, non quò eos deprimat, & quæ ipsorum sunt, eripiat ipsis, vel accidat, (quod non Principum est, sed Tyrannorum, & recta consilia stabiliendæ dominationis, non flagitia inculcamus hîc) sed ut cautè neget iis occasiones, quibus, si malè forsan velint, non tamen possint in Principem insurgere, aut assurgere ad Principatum, hactenus enim, id est, inter hos prudentiæ limites suspectum esse Principi, id omne debet, quod privata potentia publicè aliquando possit nocere.

21, *Obviam comitatem, promtos aditus*, patentes semper aures civium querelis, & ejusmodi alia, quæ humanitatis sunt, *imprimis necessarias Principis virtutes atque artes arbitretur.* Quan-

Quanquam enim omnium Magistratuum illa esse debeant, in unius tamen quàm plurium Imperio, majori cum discrimine negliguntur, Ubi enim plures præsunt, nec æquè difficilis omnes sunt ingenii, unius atque alterius inhumanitatem alterius facilitate licet supplere. Ubi verò uni tantùm summa rerum est mandata, ab unius istius asperitate recurrere non licet subditis, nisi ad ejusdem odium, & cupidinem ultionis ac mutationis. Sed & tantò plus subditi permittunt Principis Majestati, quantò in ea experiuntur plus esse humanitatis.

23. *Neminem unum*, cujuscunque conditionis sit, *ita attollat & amet, ut per eum solum aulæ & Principalis gratiæ cæteros omnes potiri patiatur.* Talis enim, manente penes Principem nomine, vim Imperii habet,& supra Principem colitur, & sic facilè Principi insidiatur.

24. Cùm, ut apud Tac. alibi Tiberius loquitur, Princeps non possit cuncta complecti, sapienti hominum consilio ita utatur, ut *suam demum sententiam post aliorum auditam,atque quid fieri debeat cum multis tractet, quid verò facturus sit,cum paucis,*quibuscum voluerit,aut secum constituat. Illud enim,si non observetur, non tam consilia offeruntur Principi, quàm adulationes, si hæc secreta non manebunt, quæ sicut plurima talia sunt, sciri haud debent, nisi cùm sint peracta.

25. *Inter prima autem consilia*, primasque deliberationes, *ea sint, quibus semetipsum idonea induat autoritate,* Perniciosi enim ordinis

res

res est, si negotia Imperii curare aggrediatur Princeps nutantis adhuc autoritatis, & nondum satis ipse confirmatus, adeò ut huc retulerim illud prudentissimi senatoris, qui ad novum Principem de componendis religionis dissidiis agitantem rescribit: de sceptro primùm, mox de templo solicitum eum, Principem esse oportere.

26. Interim *nulla unquam consilia amplectatur, quæ totius, aut pleraque multitudinis judicio ingrata sint ac diversa.* Cùm enim, quanquam unus & solus Princeps major omnibus subditis esse debeat, nec major esse possit, ni omnium aut plerorumque amore fruatur, manifestum est, unum illum nullum esse & invalidum, si omnium aut plerorumque odio sit expositus, & si multitudinem suam cœperint numerare.

27. *Neque unquam ea contumacia se opponat desideriis subditorum, ut ipsi arma corripere, & ipse cum armatis tandem transigere habeat necesse.* Plebs enim armata cum Principe imperium partitur, & qui cum armata transigit, non tam imperat, quàm paret, & cogitur, quo uno maximè prostituitur vis Majestatis.

28. *Nihil eorum exequi differat, quod ad jus suum spectare*, quæque subditi, non esse differenda, *arbitrantur*. Ejusmodi enim dilata, velut vacua à Proceribus aut populo occupantur, & semel occupata, non facilè ad vim Principis sunt reditura.

29. Denique cùm non possit non uti ministerio

sterio alieno, iis legatis, *actoribus, & rerum suarum procuratoribus*, *vicariisque utatur, qui in subditorum bona & sanguinem injurii non sunt*, quod removeat subditis invisos : injuriæ enim ministrorum Principis ægriùs tolerantur, quàm Principis, ideoque per istas magis, quàm per suas ipse exponitur odio subditorum.

§. 4. Atque ita generatim & breviter isthæc ferè omnia consilia interiora, additis eorundem rationibus, nobis exposita sunt, quibus observatis aut neglectis, Principes Principatusque aut florere, aut intercidere, omnis ævi experimenta loquuntur.

CAPUT IV.

De vitio Monarchici status, id est, Tyrannide, de artibus, quibus ad tyrannidem callidè grassantur, & eam tandem crudeliter exercent Principes.

§. 1. CUm ad Imperium unius raro conferat Princeps animum, qui aut infinitam frenet potestatem, aut eas pro libertate repertas leges observet, in quas juravit, Monarchicus status in vitium facilè excedit, quod Tyrannidem appellamus.

§. 2. Est autem Tyrannis tale unius Imperium, in quo oppressa libertate, legumque ac Magistratuum cæterorum omnium violata autoritate, cum subditorum pernicie, ad unius Imperantis Imperium omnia conferuntur.

§. 3. Adeò ut Tyranni sint, qui emicant usurpata magis undique potestate, quàm necessaria videtur.

§. 4. Sunt verò aliæ artes, quibus clam & prudenter libertatem invadunt, aliæ, quibus palam crudeliter Tyranni grassantur.

§. 5. Possunt autem ista ad sequentia 13 capita ferè referri.

§. 6. (I) Munia Magistratuum & legum, uti Tac. loquitur, paulatim invadunt. *Munia Magistratuum* : dum præcipua & vim rerum sibi vendicant, manibus ac cum odio conjunctis Magistratibus relictis, & præsertim suffragiorum ipsis adimunt libertatem, & in eorum, qui excessere, locum substituunt pronos augendæ Principis dominationi. *Munia legum* : dum titulo eas fermè perferunt, interim pro se eas interpretando, vim earum convellunt : paulatim verò, quia intervallis ac spiramentis temporum esse opus judicant, ad ea penitus exercenda, quæ palam exercendæ iniquissimæ dominationi, quam obtendunt, possint opponi, quæ si uno ictu persequi instituerint, in ipso initio à florentibus, ac totam libertatem adhuc spirantibus civibus, ipsi opprimerentur.

§. 7. (II.) Etiam ubi inter initia fortè palam aliquid ausi sunt, contra leges & superiores Magistratus, ex adverso grati non nihil, quo earundem legum, eorundemque Magistratuum jus attolli iterum magis videtur, quam attollitur, subinde interponunt, quo acceptum propter priora ausa odium exuatur ac minuatur.

§. 8.

§. 8. (III.) Superiores Magistratus, quibus scilicet præcipua mandata est libertatis causa, dissensionibus ac simultatibus inter se quavis arte committunt, quò minùs unanimibus suffragiis validum aliquid adversus nimia affectantem Principem decernatur.

§. 9. (IV.) Sæpe etiam potius putant ea, quæ adversa sunt libertati, blanditiis, precibus, persuasionibus, denique prætextu publicæ utilitatis obtinere, quàm vi usurpare. Ita enim in instituto suo, quod est iniquissimum, in autoritatem eorum, qui tueri debent libertatem, promoventur maximè & confirmantur.

§. 10. (V.) Ita sensim aucti ac proinde facti audentiores, præstantes, magni erectique viros animi è medio tollunt, aut saltem de fastigio dejiciunt rerum suarum ac dignitatum; eorum enim magnanimitatem ad depellendæ tyrannidis jussum, ne cæteri accendantur & impellantur, formidant.

§. 11. (VI.) Non facilè procerum patiuntur aut civium conventus, liberaliaque studia, & bonas artes quàm maximè cupiunt exulare. Nam vocatis in unum civibus aut Proceribus, omnium judicio ac votis fieri possent contra tyrannidem decreta, & per liberalia studia, cogitatione libertatis ac æstimatione animi omnium facillimè imbuuntur.

§. 12. (VII.) Dant vel imprimis id quoque operam, ne inter se, quantum fieri potest, noti, familiares, & invicem sibi fidentes sint cives, & ne amicitias magnas ac cognationes, per ma-

trimonia aut aliam ejuſcemodi rationem, intra ſeſe contrahant, ex eo enim multorū quaſi muro familiæ ac amore conſpirationes metuunt.

§. 13. (VIII.) Neque minus id agunt, ut ab exploratoribus ac delatoribus obſeſſæ paſſim, viſcoſæque ſint civitates. Eorum enim metu diſtricti ſubditi, de tyrannorum artibus vix quicquam inter ſe queruntur. Unde minor animorum, adverſus tyrannum, motus, ſed & hac ratione initia prima & leviſſima conjurationum ſtatim tyrannis queunt innoteſcere.

§. 14. (IX.) Quàm maximè, ut diffideant inter ſe ſubditi laborant, hi enim ſecum commiſſi pro revocanda libertate, non facilè cum Tyrannis committerentur.

§. 15. (X.) Quavis etiam ſtudent ratione, ad incitas redigere ſuos, & extremam paupertatem, per vectigalia, per immiſſa deliberato animo infortunia, per ſublata aut turbata commercia, per bella non neceſſaria, vel temerè irritata; opibus enim ſubditi non inſtructi, non facilè tyrannos aggrediuntur, & quia tueri ſe non poſſunt, quævis patiuntur.

§. 16. (XI.) Servit & libertis, hoc eſt, ut generatim, & ex uſu omnis Reipublicæ dicam, omnibus tenuioribus, & infra aliorum potentiam depreſſæ fortunæ hominibus, & maximam indulgent licentiam, & maximam ſæpe offerunt dignitatem, nam ſic fit, ut eorum promptiſſima opera pro ſe utantur, utque major diſſenſionibus occaſio ſit, dum ægrè ferunt potentes ad tantam fortunam evehi tenuiores, ſed & ſic fit,

ut

ut dignitatibus pauperes impositi ac abjecti, ob privatam primò tenuitatem, dein ob defectum potentium amicorum, dignitatibus adversum tyrannum non abutantur.

§. 17. (XII.) Peregrinis magis & exteris delectantur, quàm civibus & domesticis, cives quippe hostes credunt, ut quibus nocuere, metuit enim quisque eum, quem læsit. Peregrini autem, ut non læsi, ita ob accepta beneficia tyrannis obnoxii redduntur.

§. 18. (XIII.) Ideoque, ut quæ jam dicta sunt, & alia, quæ huc referri possunt, breviter complectamur, Tria potissimùm tyranni moliuntur. 1. ut minuant subditorum animos, ne audeant insurgere. 2. ut impotentes eos ac imbecilles reddant, ne possint insurgere. 3. ut dissentientes pariter non velint insurgere.

§. 19. Sed munia subditorum jam expendenda sunt per partes, neque susque deque æstimari debet, quomodo sub tyrannis & adversus eos quisque se gerat.

§. 20. Igitur adversus triplicem illum, quem jam retulimus, tyrannorum scopum, triplici etiam consilio ac remedio opus est.

§. 21. (I.) Constantia quadam animi immota, ut ejus magnitudinis cives prima initia tyrannidis, aut nondum nata jam planè ac penitus queant disturbare.

§. 22. (II.) Indissolubili quodam vinculo, ac infracto animorum consensu; quo connexi inter se cives conatibus quibusvis Tyrannorum avertendis pares reddantur.

§. 23. (III.) Moderato usu virium atque opum suarum, quibus integris & sufficientibus, declinare cives possint ingruentem tempestatem.

§. 24. (IV.) Sed nec facilè, qui mali sunt Principes, pro tyrannis haberi, nec facile ejici debent, & modestia, ac multiplici, nec nocitura tamen patientia, omnia alia tentanda sunt, priusquam Principes & obsequium exuimus.

§. 25. Quæ quidem qualis modestia sit, Lib. IV. c. 20. v. 3. Annal. in persona Lepidi acutissimè Tacitus exponit: *Hunc ego* (inquit) *Lepidum, gravem & sapientem virum temporibus illis (nempe Tiberianis) fuisse comperio. Nam pleraque à sævis adulationibus aliorum in melius flexit: neque tamen temperamenti egebat, cùm æquabili autoritate & gratia apud Tiberium viguerit. Unde dubitare cogor, fato & sorte nascendi, ut cætera, ita Principum inclinatio in hos, offensio in illos: an si aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam & deforme obsequium pergere iter, ambitione ac periculis vacuum.*

§. 26. Quid verò illud in nostris consiliis sit, idem c. 42. v. 7. in vita Agricolæ, sub pessimo Principe Domitiano viventis, sic expressit. *Sciant quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsit, eò laudis excedere, quo plerique per abruptam, sed in nullum Reipublicæ usum, ambitiosa morte inclaruere.*

§. 27. Pa-

§. 27. Patientiam verò quod spectat, sequendus Marcelli istius modus, qui apud Tacit. 4. hist. c. 38. 3. *se meminisse dicit temporum, quibus natus sit, quam civitatis formam Patres avique instituerint, ulteriora mirari, præsentia sequi, bonos Imperatores voto expetere, qualescunque tolerare.*

§. 28. Namque ferenda sunt Regum ingenia, neque usui sunt crebræ mutationes, ut est ap. eund. Tacit. Ann. XII 11. 3.

§. 29. Ubi tamen ad summum iniquitatis gradum devecta est tyrannis Principum, & modestia, patientiâ & supplicationibus nihil est profectum, tollere Principes, aut eos ejicere, eorumque Imperium exuere, omnino licitum esse existimamus.

§. 30. Interim æstimatio ista summæ iniquitatis, non in vana & levia mala pro gravissimis habente opinione, sed in rerum summo pondere, & gravissimarum rerum momentis debet fundari.

§. 31. Cùm enim rerum omnium maximâ sit, agnoscere Principem divinitùs datum & constitutum, cui sanctissimè religione jurisjurandi sum obstrictus, maxima hic tantum habere locum non debet dubitari.

§. 32. Igitur, ut id compendio dicam, ad exuendum Tyranni imperium, deveniendum est, ubi sub eo deventum est ad extrema libertatis, neque enim tantisper patientiam impendere expediat, donec deventum est ad extrema servitutis.

§. 33. Quippe ubi in extremo discrimine libertas versatur, multis jam modis fracta & accisa, justa ac gravis satis causa ejiciendi Principis subditis offertur, cum par ratio sit vitæ & libertatis; vitam autem utique tueri naturæ & gentium omnium legibus indultum est.

§. 34. At verò ubi ad extrema ventum est servitutis, ut ut adversus Principes gravior adhuc sit timor, & melior causa subditorum, desunt tamen & exhaustæ sunt vires, per quas subditi in libertatem se possint vindicare.

§. 35. Extremum enim in libertate dicimus, cùm per Principis iniquitatem ea facere & obtinere subditis non licet, quæ, si salvi manere velint, sanctasque conservare fortunas, facere debent ac obtinere.

§. 36. Extrema autem in servitute definimus, cum adeò disjectæ & attritæ sunt opes ac fortunæ subditorum, ut potiùs jam supersint vota, quàm instrumenta necessaria revocandæ libertatis.

§. 37. Itaque fixum hîc & immotum esto, irrita & elusa patientia Tyrannorum libidine non exponenda esse ea bona, quibus opus est ad reposcendam libertatem.

§. 38. Cæterùm autoritate publica ac imprimis illius, qui Principis proximè contingit autoritatem, ea Principum vel Imperii propter tyrannidem mutatio instituenda est.

§. 39. Neque enim temere privatorum & publicorum negotiorum non satis gnarus judicium de Principibus est permittendum.

§. 40. Qua-

§. 40. Quare eorum ſententiam ut iniquam & ſubvertendis Rebuſpublicis repertam proſcribimus, damnamus, qui privati cujuſdam, plebeique hominis furori occæcato, licito velut ſpolio Principum vitam exponunt & ſecuritatem.

§. 41. Neque etiam ob alterius Principis autoritatem & mandatatum exuere ſubditi aut poſſunt, aut debent, obſequium ei debitum, qui alium ſupra ac juxta ſe parem in imperio non agnoſcit.

§. 42. Quare proſcribimus ac damnamus, qui excommunicandos (ut loquuntur) Reges, & ſubditos à juramento fidelitatis pro libitu ſolvendos ſuſceperunt; ſubvertunt enim iſta & turbant jus dominationis.

§. 43. Denique Tyranno ejecto, vel eadem Imperii forma retinetur, vel nova excitatur, quarum rationum ultimam omnium cautiſſimam eſſe exiſtimamus.

§. 44. Nec enim mala tantùm exſciendenda ſunt, ſed malorum metus, nec abeſſe metus poteſt, quamdiu eædem ſuperſunt malorum occaſiones.

§. 45. Igitur cum peſſimo Principe, ſi fieri poteſt, amovendus quoque Principatus.

§. 46. Sin autem contra formam Imperii non mùtare expediret ob peculiares diverſarum gentium mores & rationes, mutanda ſaltem familia eſt, ex qua nati & electi hactenus Principes fuerunt.

§. 47. Sin verò & illud publica pax & ſe-

curitas non permitteret, ea cautione ejusdem familiæ alteri deferendus est Principatus, ut Principi minimum in posterum autoritatis, subditis plus solito libertatis relinquatur.

§. 48 Nam potentia ejus imminuta arctioribusque circumscripta legibus & præcipuis ferendæ libertatis instrumentis populo aut senatui permissis, si fortè pessimus esse velit, nequicquam tentabit opprimere libertatem.

CAPUT V.

De Poliarchia sive imperio plurium, imprimis de Aristocratia, sive optimatum statu, & diversis ejus speciebus.

§. 1. POst Monarchiam sive unius Imperium descriptum, sequitur illud Imperium plurium, quod Græcorum sapientes Poliarchiam appellarunt.

§. 2. Quod qui non esse aut bene, ac pro utilitate publica habere se non posse arbitrati sunt, nimio vel amore Monarchici status, vel sinistro judicio functi admodum falluntur. quanquam enim ut apud Tacit. Ann. 1. est, Unum sit Reipublicæ corpus, & unius animo regendum, ille unus idemque animus inter plures potest obtineri, excitato scilicet eodem inter eos consensu, eademque in publico bono conspiratione.

§. 3. Equidem multitudo omnis discors, rectæ Imperiorum administrationi adversa est, optima tamen, si in unum quodam modo coalescit,

lescit, quandoquidem neque multitudo ulla diu consistere queat, nisi utilitate aliqua contineatur, ac proinde civilis quoque societas dissipatur, quæ unitate quadam, tanquam anima, constat, nisi quapiam ratione multitudo unita efficiatur.

§. 4. Unio verò illa ex plurium inter se concordia resultat, cùm autem concordia illa difficulter obtineri possit inter plures, suo arbitrio judicioque relictos, ac diversis proinde sententiis obnoxios, excitari tamen ille ac contineri facillimè potest legibus certis ac non movendis, in omnia quæ summam imperii concernunt definitis.

§. 5. Quanquam enim in omni Imperio utilissimæ sint leges, in illo plurium, maximè necessariæ sunt, qui plurium animi, ut numero, ita studiis diversi, unicè conciliari possint.

§. 6. Vis igitur præcipua & pax Poliarchici omnis status sit, ac ad ejus imprimis facit æternitatem, paucissima, hoc est, ea tantum, quæ legibus comprehendi non possunt, Imperantium arbitrio permittere.

§. 7. Sic enim futurum est, ut plures isti, quoad capita rerum, planè inter se conveniant, & à pluribus quasi quoddam unius Imperium referatur, non aliter atque ex diversis numeris collectis, & conjunctis, unum aliquod, idque singulis majus, validiusque conficitur, quod summam appellamus.

§. 8. Cæterùm duæ sunt Poliarchici omnis imperii species, Aristocratia, sive optimatum,

& Democrátia, sive totius populi imperium, de quarum ista primò nobis est dicendum.

§. 9. Aristocratia autem ea imperii forma est, in qua in partem civium minorem, eamque genere, censu, & virtute imprimis excellentem, suprema omnis potestas est translata, adeò ut eam indepti, diversis, ubi opus est, inter se muneribus & curis, in singulos alios ex populo, etiam genere & privatis fortunis similes Imperium possint exercere.

§. 10. Alibi illi Senatores, alibi ordines, Patricii nonnunquam, plerumque optimates appellantur.

§. 11. Istorum verò certus est numerus, major alibi, alibi minor definitus, neque de eo certi quid licet præscribere. Sunt quidem qui putant, quo numero isti fuerint pauciores, durabilem magis & pacatum esse optimatûm statum, quod pauci facilius inter se, quàm plures, possint sententiis convenire, quibus tamen ex adverso regerere licet, paucos facilius corrumpi posse, quam plures, atque iterum unum ex paucis, si malè forsan velit, & in se unum transferre omnem Imperii statum, facilius posse paucos, quàm plures superare, atque in eos & populum Tyrannidem usurpare. At ista, ubi plures præficiuntur, plura consilia sunt, & pluris habent autoritatis, & plurium, qui illustris generis, & fortunæ & maximæ virtutis Imperii cupiunt esse participes, votis satisfacere licebit, inde ubi multi tales ab Imperii administratione exclusi, &

pau-

paucis quibusdam ejusdem secum conditionis, obnoxii sunt, facilè motus & res novæ excitantur.

§. 12. Porrò species Aristocratici Imperii diversæ existunt, quales quidem inter veteres etiam fuisse, 4. Polit. Aristoteles, disertam injicit mentionem, quibus præmissis, eas modò, quæ nostra ætate in usu sunt, hîc spectaturi sumus.

§. 13. Sunt enim aliæ, in quibus ex totius populi multitudine, cujuscunque sint conditionis, generis aut fortunæ, meliores summæ Rei præponuntur, quæ quidem laudatissimæ meritò debent judicari, non modò enim optimè in eam Rempublicam sunt animati, in qua quoad supremas dignitates omnium virtutis ratio habetur, sed & ad virtutis cultum tantò acrius omnes animantur.

§. 14. Nemo autem existimet, eas Aristocratici Imperii species, etiam in Democratia seu populari imperio esse, quanquam enim id inter se habeant commune, quod ex tota multitudine populi delecti Imperio imponantur, id tamen intercedit discrimen, quod in Democratia ex populo delecti, non tam ipsi præsint, quàm præsit populus, ex cujus mandato, arbitrio ac consensu omnia debent administrari, ubi verò in Aristocratico Imperio, ex populo delecti ad Regimen Reipublicæ vocantur, populo illi obnoxii non sunt, sed exercent supremam in se translatam potestatem.

§. 15. Sunt alii, ex quibus non ex totius populi

puli multitudine, sed tantum certis quibusdam ejus ordinibus & classibus leguntur, qui summam Reipublicæ sunt curaturi, in quibus nimirum aut generis tantum aut divitiarum ratio habetur, nunquam interim exclusa nobilium aut divitum virtute, quæ ubi abest, & generis tantum & divitiarum habetur ratio, vitium ejus status est, quem Aristocraticum appellamus. In his igitur aut tantum nobiles, aut divites, aut tales, qui certùm possident legibusque præscriptum censum, ad supremam curam evehuntur. Atque ea quidem Reipublicæ administrandæ ratio, in qua tam multi genere ignobiles ac tenuioris fortunæ excluduntur, turbatur facilè, nisi à nobilibus aut ditioribus quàm blandissimè Imperium exerceatur.

§. 16. Sunt & aliæ, in quibus ut autoritate, ita honore, loco, & reverentia optimates omnes inter se sunt pares; Sunt etiam in quibus unus aliquis Principis nomine atque insignibus supra cæteros excellit, in quo uno externa species Majestatis totius Reipublicæ repræsentatur, ita, ut vis interim ejus penes omnes maneat, unusque ille non majoris, quàm cæteri sunt autoritatis.

§. 17. Ex quo quidem manifestè apparet, Aristocratica quædam imperia existere, & eo nomine meritò appellanda esse, in quibus tamen Regium nomen & Regia insignia, ut in Monarchico statu inveniuntur. Non enim ex nomine aut externis insignibus, sed supremæ autoritatis vi, prout illa penes unum, aut inter plures

plures divisa est, de Monarchicis & Aristocraticis Imperiis est judicandum.

CAPUT. VI.

De arcanis seu interioribus consiliis, quibus Aristocraticus status, ille imprimis in quo Patricii soli Reipublicæ præsunt, adversus totius plebis conjurationem, & Patriciorum singulorum ambitionem confirmatur.

§. 1. ATque ita de arcanis Optimatum consiliis est dicendum, quibus cavetur imprimis, ne aut populum, aut in unum aliquem vel paucos ex Optimatibus suprema Imperii potestas devolvatur.

§. 2. Nam nisi hæc imprimis impediantur plebs avida libertatis, quam in occupata vi & licentia potestatem consistere arbitratur, & ambitio summa affectantium, & in se omnem autoritatem collegarum transferre conantium, non diu stabit Respublica.

§. 3. A collegis & optimatibus, ut primo loco dicam, quæ imminere possint discrimina, his fere rationibus depelluntur.

§. 4. (I.) Sicut optimatum senatus immortalis est, in eumque semel adlectum, quamdiu superest, neque moveri loco promeruit, haberi oportet, ita publicæ aliæque majoris momenti dignita-

dignitates, ad tempus tantùm gesturis deferuntur.

§. 5. Ita enim futurum est, ut nemo vi ad invadendam publicam dignitatem autoritate abutatur.

§. 6. (II.) Quod privatam & publicam pompam & alia ejusmodi judicia spectat, quibus capiuntur & acquiruntur judicia vulgi, certi eorum modi, ultra quos exorbitare nemini, quamvis majoris, quàm collegæ autoritatis, liceat, immota lege deferuntor.

§. 7. Nam hoc pacto illi fortuna majores, in judicio vulgi haud majores, quàm cæteri, habebuntur.

§. 8. (III.) Arces munitas iis præsertim in locis, in quibus momentum aliquid rerum sit, privata autoritate nemini optimatum extruere liceto.

§. 9. Sunt enim sedes ad invadendum Imperium, & aliorum inhibendam autoritatem comparatæ.

§. 10. (IV.) Non ipsi, neque eorum liberi cum Principis liberis matrimonium iniri permittuntor.

§. 11. Talibus quippe familis illigati, in pari cum collegis autoritate nolunt consenescere, & à propinquis impulsi, eorumque robore sustentati, ad eadem exempla & summa Imperii aut ipsi impelluntur, aut Principes, quibus juncti sunt, aut suos junxerunt, cupiunt promotos.

§. 12. (V.) Tituli & ejusmodi nomina & insignia

signia majorum, quæ ab exteris Principibus sunt delata non admittuntor.

§. 13. Nam iis donati supra pares se evehunt, & alii potiùs, quàm suæ Reipublicæ obstringuntur.

§. 14. (VI.) Sed & publica Optimatum autoritate novi inusitatique tituli, in neminem collegarum, quamvis præ cæteris optimè meritum, conferuntor.

§. 15, Nam in plurium imperio id fixum maneat, quæ ab singulis Optimatum bene gesta sunt, non in unius virtutes, sed omnium pariter auspiciis debent æstimari.

§. 16. (VII.) Haud plures ejusdem familiæ, quam unus supremo senatui Optimatum intersunto, neque in majoribus dignitatibus multi ejusdem sanguinis loco eodem aut tempore occupantor.

§. 17. Alias quippe ex mutua & pietate expressa conspiratione animorum adversus præsentem statum Reipublicæ facilè oriri possunt perniciosæ conspirationes.

§. 18. (VIII.) Certus Optimatum numerus, extra quem irrita habeantur decreta, consulta & leges, pauciorum imprimis definitor.

§. 19. Ita enim fiet, ut pauci nihil facile pro se adversus alios decernant, vel si decreverint, nullarum virium decreta ejusmodi habeantur.

§. 20. (IX.) Ubi majoris momenti curæ se offerunt, & rerum indoles id permittit, plures

potiùs

potiùs optimatibus, quàm unus ex iis occupantor.

§. 21. Ea enim ratio plurium præsertim optimatum Imperii est, ut in eo majora pluribus tutiùs quàm uni committantur.

§. 22. (X.) Nullarum nobilium familiarum, eorumque, qui in honoribus publicis olim positi fuere, posteri excluduntor aut opprimuntor, quavis potiùs ratione juvantor, promoventor.

§. 23. Exclusi enim & oppressi cupidine vindictæ, plebem adversus rerum potientes concitaturi sunt.

§. 24. (XI.) Si, cujus unius autoritas apud populum, bonis licet artibus quæsita, nimia jam facta fuerit, & cæteris formidolosa, non tam indicto Ostracismo, Græcorum olim majoribus laudato, aut aliis ejuscemodi iniquis modis, sed eo in posterum in his, in quibus gerendis, aut acceptam autoritatem augere, aut accepta abuti posset, non occupanto, cæteri optimates occurrunto.

§. 25. Ut enim nocere nunquam possunt Reipublicæ summæ, eam administrantium virtutes, ita facilè nocere potest, præsertim in plurium optimatium Imperio, in quo de singulis paria expedit judicia subditorum, major fama ex iis reportata.

§. 26. (XII. Denique ubi ea placuit Aristocratici Imperii forma, in qua penes unum, quasi Principem, residet species & pompa externa Majestatis, accuratis singularibusque ad augendum

dum & ad confirmandum optimatium statum comparatis legibus, veluti vinculis, facilè vincire ausuris, ejus ambitionem cæteri constringunto.

§. 27. Leges enim & instituta, quæ uni alicui in plurium Imperio plurima permittunt, ne quis ea in perniciem convertat libertatis, aliis continuò frænari debent & cohiberi.

§. 28. Atque his quidem ita se habentibus, inter se Patricii securitatem sibi possunt polliceri.

§. 29. Quare jam restat, ut ea quoque, quibus plebis adversus patricios conjurationes præveniri possunt, persequamur, quæ quidem, omissis iis, quæ Aristoteli memorata olim politicum usum habuerunt, præcipua ista sese offerunt.

§. 30. (I.) Patricii cum plebejis matrimonia non ineunto, aut si inierunt, aditus eis ad honores præclusus esto.

§. 31. Ejusmodi enim imparibus connubiis fit, ut quæ patriciis solis debita sunt, plebs sibi etiam deberi arbitretur, & per patricios ad summam rerum irrepat, & dignitas ac æstimatio patriciorum haud parum imminuatur.

§. 32. (II.) Injurias ac contumelias Patriciis à plebeis illatas severissimè vindicanto.

§. 33. Ita enim singulis metu pœnæ omnium autoritas conservatur.

§. 34. (III.) Injuriæ & contumeliæ à Patricio plebejo illatæ, haud minus serverè puniuntor.

§. 35. Quis-

§. 35. Quisquis enim odit, mutatumque cupit eum Reipublicæ statum, ubi Imperantium superba & iniqua ingenia subditi experiuntur.

§. 36. (IV.) Patricii, qui jam rerum potiuntur difficillimis quantumvis temporibus sedem Imperii & curias non deserunto.

§. 37. Aliàs enim plebs quasi vacuam Rempublicam est invasura.

§. 38. (V.) Si quæ patritiæ familiæ imminuantur, atque ad pudendam paupertatem dilabantur, publicâ liberalitate sustentantor, & ad tollendós liberos ea ratione invitantor.

§. 39. Sic enim qui Rempublicam gerere possint, non facilè sunt defuturi.

§. 40. (VI.) In Patritiorum, nobilium, vel equestrem ordinem, nunquam aut rarò ob exquisitissima merita plebei cooptantor, atque ab exteris Principibus cooptati, supremorum tamen honorum gerendorum capaces non agnoscantor.

§. 41. Alias enim plebeji, emendicato aut empto nobilium titulo circumvestiti, veris patritiis tandem exclusis & superatis, totam tandem Rempublicam nullo sibi negotio vindicabunt.

§. 42. (VII.) Prædia nobilium, ex quibus hac ætate, nomina & tituli desumuntur, quocunque tandem titulo plebejis possidere non liceto.

§. 43. Si enim aliter hoc fiat, progressu temporis plebejorum posteri, iisdem nominibus assum-

assumtis, pro patritiis sese incipient vindicare.

§. 44. (VIII.) Sed & nobilium familiarum censores, quos Heroldos vulgò nunc vocant, constituuntor, hique seniorum eorum matrimonia ac posteros cum cura ac fide annotanto.

§. 45. Ea quippe ratione futurum est, ut veri à falsis patritiis nobilibusque statim dignoscantor.

§. 46. (IX.) Plebejorum invicem conventus non admittuntor, aut si admittere subinde necessum sit, quidam ex patritiis Magistratibus iis præsunto.

§. 47. Hoc enim pacto multitudinis adversus patritios conjurationes commodissimè præveniuntur.

§. 48. (X.) Si quæ partitiorum inter publica consilia extiterint dissensiones, illæ in vulgus non propalantor, sed inter ea, quæ incognita plebi esse oportet, diligentissimè habenor.

§. 49. Enim verò, nisi id fiat, Plebeji in stu-ia abituri, & Imperium, ut divisum, invasuri ınt.

§. 50. (XI.) Ubi id obtineri potest, armata ebs non esto, & arma civium sub patritiorum ıstodia sunto.

§. 51. Expedit enim, ut in plebejorum maı non sint instrumenta invadendæ dominanis.

§. 52. (XII.) Quemadmodum Patritios sin-laribus quibusdam privilegiis, supra plebejos

jos eminere haud absurdum est, ita populo gravibus non gaudento, & in judicio paribus cum plebejis ambulanto.

§. 53. Nam si in his quodam jure plebeji cum Patriciis non contineantur, horum imperium immotum stabileque haud esse poterit vel diuturnum.

§. 54. (XIII.) Denique ad tributa & vectigalia præstanda, ad plebejorum instar patricii tenentor.

§. 55. Cùm enim patriciorum agri plerique sint & majores opes, ægre fert reliqua multitudo subditorum, suis tantùm, iisque tenuioribus fortunis, ærarium publicum juvari.

§. 56. Atque hæc potissimùm illa capita sunt, quibus observatis, & cum blando Imperio conjunctis, suum plebi Imperium maximè probant, & adversus quaslibet conjurationes tutiores semper consistunt.

Caput VII.

De vitiis Aristocratici status, Oliarchia & Tyrannide, & ejusdem eversione, sive in Monarchicum aut Democraticum statum conversione.

§. 1. CUm ea proximè exposita nobis sint, quibus recta Optimatum Respublica constituitur & confirmatur, morbos quoque ejus, sive vitia & excessus, sive conversiones videamus.

§. 2. Sunt

§. 2. Sunt autem, in quibus maximè corruptus ille est, vitia imprimis duo, Tyrannis & Oliarchia.

§. 3. Neque enim tyrannis in unius tantùm, sed & in plurium Principatu subinde invenitur. Est autem illa, cùm Optimates evertunt leges, quibus sunt astricti, & cum pernicie subditorum, proprii tantùm commodi augendi studio feruntur.

§. 4. Oliarchia idem est, ac si tu dixeris, Imperium paucorum; Est autem illa, cum pauci quidam ex Proceribus per injuriam, vim, ambitus, aliasque subdolas artes in se ac suos continuò transferunt Imperii summam, cæteris ejusdem conditionis, & æquè ac isti regundæ Reipublicæ capacibus cum contumelia præteritis atque exclusis.

§. 5. Ita ut Oliarchia hic dicatur, non tam quòd pauciores numero, quam legibus difinitum est, administrationi Imperii imponantur, quàm quòd non admissis aliis, quibus id jure etiam debetur, imponantur tantum, qui aut ejusdem vel cognatæ familiæ sunt, aut ejusdem factionis.

§. 6. Adversum Tyrannidem magno se animo opponit populus, ac Democratiam ferè statim eligit, cumque eo sibi reddit libertatem.

§. 7. Adversus Oligarchiam vires, animosque pariter conjungit populus, & qui à cæteris præteriti sunt Optimates, ex quo quidem sæpe fit, ut mixtum aliquod nascatur Imperium, cui præsunt partim populus, partim Optimates.

§. 8. Sed

§. 8. Sed & aliud etiam nunc superest, quo hæc Reipublicæ forma evertitur, & in aliam commutatur. Ambitio nimirum unius inter plures qui cùm pares pati non possit, in se unum transferre vim omnem contendit. Et cum populus, progressu temporis, opibus atque potentiis magis magisque auctus, idcirco ab Imperii administratione, diutius sese haud patitur excludi, unde Aristocratia in Monarchiam, aut Democratiam facillimè transire consuevit.

§. 9. Quomodo ejusmodi ambitioni frænum imponi, & conversiones istæ præveniri possint, præcedenti capite ita explicatum est, ut ea hîc denuò repetere non sit necesse.

CAPUT VIII.

De Democratia, sive Imperio Populi, & genuina ejus constitutione.

§. 1. SEquitur jam ut postremam Imperiorum speciem, Democratiam nimirum, id est, statum popularem, inspiciamus.

§. 2. Est autem Democratia ejusmodi Reipublicæ forma, in qua omnes, quotquot sunt, & cujuscunque sint conditionis, pari æqualitate summorum honorum, participes sunt, & Reipublicæ gubernationis, in qua manente interim penes populum vi Imperii & majestate, à paucis idoneo numero, à populo ex populo electis,

ctis, ex arbitrio populi, qui per convocatas conciones, collegia, classes, centurias, aut tribus, vel pariter de creandis Magistratibus & publicis consiliis, vel de creandis tantum Magistratibus ad tempus Rempublicam gesturis consulitur, Imperium exercetur, quam quidem æqualitatem Arithmeticam rectissimè Aristoteles appellavit, utpote in qua non generis aut aliarum ejuscemodi rerum, quibus cives à civibus distinguuntur, sed viritim singulorum ratio habetur, non qui pariter in Democratia imperent, quotquot sunt ex populo (id enim confusio multitudinis esset, non Imperium) sed cum suffragio & autoritate totius populi, aut eorum, quibus eam partem populus demandavit, quidam vicissim imperent, quidam vicissim obsequantur.

§. 3. Nam in Democratico statu non continuantur Magistratus, sed ambulant, dumque quis deponit publicam personam, privatam item induit, estque quasi quædam Imperii atque obsequii vicissitudo.

§. 4 Porrò ita ab omnis ævi sapientibus fuit judicatum, omnium formarum gerundæ Reipublicæ minus idoneam esse illam, quam δημοκρατίαν appellamus.

§. 5. Est enim Democratia detrimentum veluti quoddam publicæ Majestatis, quæ tantò minor est & apparet in populi multitudine, quantò magis elucet, cum non tantum cum paucioribus, sed cum uno tantum communicatur.

§. 6. Scatet insuper Democraticum Imperium consiliorum, quæ pro Reipublicæ capienda sunt difficultate ac varietate. Leves enim & contumaces pariter populi animi sunt, tàm mutari subinde faciles, quàm tenaces aliquando eorum consiliorum, quæ pro Republica aliquando mutari præstaret, quod notatum à Tacito Annalium XIV. ubi tradit vulgo minus esse sapientiæ, & propter privata commoda minus publicæ curæ, & propter tenuitatem, quæ in plerisque est fortunæ, non tantam esse æstimationem periculorum Reipublicæ incumbentium.

§. 7. Accedit, quod ubi consulenda est tota populi multitudo, nihil extemplo, nihil pro necessitate & occasione rerum, vix quicquam pro publica Majestate decerni possit aut obtineri.

§. 8. Cæterum verò, quanto minus apparet in Democratia Majestatis, tantò plus est libertatis, nam populi Imperium juxta libertatem est, paucorum autem dominatio Regiæ libidini proprior est, quemadmodum VI. Annal. Tacitus est locutus.

Caput IX.

De Arcanis sive Interioribus consiliis, quibus Democraticus status maximè continetur & conservatur:

§. 1. Cum Democratico Imperio præcipuum immineat discrimen, partim ex iis,

iis, qui opibus & genere præ cæteris excellunt, partim ab adverso ex iis, qui viliοris & abjectissimæ conditionis, moribus plerumque turbulentis & corruptis, ne summa Imperii in horum aut istorum partem redigatur, accuratissimè est providendum.

§. 2. Itaque hîc etiam operæ pretium erit necessaria consilia opponere, quibus & ambitioni primorum, & licentiæ infimorum pariterque pessimorum obviam eatur.

§. 3. Adversus conatus eorum, qui excellentioris sunt fortunæ, hæc inprimis sunt factu necessaria.

§. 4. (I. Mediæ fortunæ ac conditionis homines, iique meliores, ad curam Reipublicæ promoventor.

§. 5. Illi enim nec eâ sunt potentiâ, ut vim rerum sibi solis possint vindicare, nec ejus dispellendæ causâ ad mala consilia animum sint applicaturi.

§. 6. (II). Sin verò eminentioris fortunæ homines pacis Publicæ causâ ad curam Reipublicæ simul cum aliis Reipublicæ admovendi videantur, numero eos mediæ fortunæ homines superante.

§. 7. Itaque quippe & illis erit satisfactum, hi ut numero, ita vi & autoritate & suffragiis ituri sunt superiores.

§. 8. (III.) Ne verò ambitus & honorum ensatione plures ex majoribus istis irrepant, ta multitudo, ubi mutandi sunt Magistratus, quot insigni virtute & gravitate viros eligito,

 ab iis

ab his autem à populo electis statim, morâ non interpositâ, Magistratus eliguntor.

§. 9. Sic enim ambitus hic non inveniet locum, cum scire non possint ambitiosi, quos populus electores, ut sic dixerim, Magistratuum creaturus sit.

§. 10. (IV.) Plures prudentiâ & sanctitate probati viri à populo instituuntor, veluti censores, hi nomine populi administratæ Reipublicæ rationes frequenter poscunto, in vitam Magistratuum, acta, consilia, judicia diligenter inquirunto.

§. 11. Nam qui dependent à judicio & censurâ alienâ, quibusque non licet, quicquid libet, & ob malè gestam Rempublicam parata sit pœna, quique obtegere jam non possunt adversa sua libertati consilia, non facile vim rerum ac multitudinis autoritatem invadent.

§. 12. (V.) Leges populares, hoc est, maximè publicæ & communes, quæ nimirum totius potiùs multitudinis, quàm paucorum habeant rationem, & ausa paucorum eminentium impediant, eisque occasionem invadendæ Reipublicæ eripiant, conduntor, atque immotè servantor.

§. 13. Legum enim autoritate impediti, intra limites suos facillimè se continebunt, & leges ad instar hominum precio, aut aliis malis artibus, quibus maximè valent eminentes, non corrumpuntur.

§. 14. (VI.) Civium multitudo tota armorum usui & meditationibus vacato.

§. 15. Su-

§. 15. Supra quorumvis quippe ambitionem semper futuri sunt armati.

§. 16. (VII.) Magistratus in Democratico statu accusare cuivis è populo concessum esto.

§. 17. Hoc enim pacto futurum est, ut malæ eorum artes destinationesque in apertam lucem continuò producantur.

§. 18. (VIII.) Quivis denique è populo, qui in se fuisse ludi Rempublicam aut libertatem existimabit, à Magistratu ad populum provocare liceto.

§. 19. Ita enim fiet, ut adversus Magistratus injuria aut iniqua usurpantes omnium libertas in singulis & omnibus defensa maneat & intemerata.

§. 20. Ad infimæ sortis hominum licentiam ambitionemque inhibendam, ista ferè sunt observanda, quæ nunc subjungimus.

§. 21. (I.) Ne plebs inferior cum penuria rerum necessariarum conflictetur, quin è contra ut rerum affluentia quædam sit, imprimis Magistratus hîc providento.

§. 22. Ea enim afflicta aut ipsa affectat ad clavum Reipublicæ sedere, melius, ut putat, sibi prospectura, aut captat gratiam eorum, qui eminent inter cives, eosque spe meliorum sub his temporum quâvis oblatâ occasione imperio præficere contendit. Unde & facilè fit, ut Democraticus status in Aristocraticum convertatur.

§. 23. (II.) Dæmagogos quoque infimos quosque ad nova consilia impellunt, eosque invisos reddunt Magistratus consuetos, &

è populo meliores procul è Republica amovento, aut ut præsentem Magistratum magis quàm corruptam multitudinem ament, vi & beneficiis astringunto.

§. 24. His enim aut amotis, aut ita Magistratibus obstrictis, autores factionis aut Duces plebs non est habitura.

§. 25. (III.) Delicta quævis summâ pœnarum severitate, nullo gratiæ aut impunitati relicto loco, iidem Magistratus excipiunto.

§. 26. Ita enim fiet, ut metu pœnæ melioribus artibus assuefactus inferior ille, inque turbas pronior ordo, malas artes non conferat, ad promovendam pessimorum autoritatem.

§. 27. Atque hæc præcipua consiliorum capita sunt, in quibus pax, salus & securitas est fundata.

Caput X. & ultimum.

De vitiis Democratici status, Ochlocratia, sive Imperio infimæ & corruptæ multitudinis, & Anarchia sive nullo Imperio.

§. 1. DEmocratici Imperii haud melius, quàm cæterorum fatum est, in quibus, quemadmodum vitia in quæ degenerant, à nobis jam descripta sunt, ita quoque corruptam ejus formam proponere aggrediamur.

§. 2. Quantò enim in eo plus est libertatis, tantò promtiùs in licentiam deflectit, infimorum

rum

rum imprimis hominum judicio & opinione, qui in licentia quidvis impunè agendi, & melioribus opprimendis vim libertatis sitam esse arbitrantur.

§. 3. Quo fit ut duo imprimis vitia lædant & evertant Democratici status integritatem, quæ à sapientibus Græcorum, Ochlocratia & Anarchia dicuntur.

§. 4. Ochlocratia est, quasi tu dixeris infimi populi & corruptioris vulgi in meliores Imperium, in quo non tantum ab administratione Reipublicæ omninò arcentur virtute & fortunis præstantiores, sed à pessimis habenas publicas pro libitu moderantibus, quavis ratione opprimuntur.

§. 5. Unde quidem abunde patet immane illud, quod inter Democratiam & Ochlocratiam est discrimen. In Democratia enim cura Imperii est penes illos ex populo delectos, qui honestatis æqualitatisque maximè observantes sunt & cordati. In Ochlocratia autem penes eos ex infimo populo, qui dignis Imperio virtutibus destituuntur. In illa æqualiter ad omnium commoda, in hac verò ad horum tantum augendas fortunas ditioribus oppressis contenditur: In illa recta æqualitas ista creditur, in qua æquales civium fortunæ æquali curâ observantur. In hac æqualitatis vis in eo creditur versari, ut qui inæquales sunt fortunis, per nefas & injurias ditioribus illatas æquales reddantur. In illa denique, ut præclare Aristoteles judicat, imperium est quasi penes Dominos, in hac è contra quasi

penes servos, per Dominos paribus Reipublicæ gerendæ, per servos factis ad obsequium à natura, & fortuna denotatis.

§. 6. Neque verò propter respectum meliorum civium, de quibus supprimendis continuò laboratur, Ochlocratiam omnium immanissimam tyrannidem judicamus, cum haud dubio gravius sit, plurium infimorum iniquam tyrannidem experiri, quàm unius principis aut aliquorum Procerum.

§. 7. Interim cùm in ea omnia furibundè convertantur, ordo omnis sensim tollatur, & despectui infimis sint ex infimis delecti Magistratus, & cùm pessimi sint etiam pessimis metuendi, tandemque precario imperent, & pro accepta à pessimis autoritate, reddere & præstare pessimis quævis agendi licentiam cogantur, haud illa persistere potest, & ut per Ochlocratiam Democratia corrumpitur, ita Ochlocratia per Anarchiam tandem tota debellatur.

§. 8. Est autem Anarchia, quasi tu dixeris, nullum Imperium, funus ipsum, ut ita loquar, Imperii, & cadaver, in quo pessimi, quorum major ferè est multitudo ubique, non jam jussa diutius sibi Magistratuum similium, sed vesanæ libidinis suæ impetum sequuntur.

§. 9. Quod omni tyrannide & corrupto Imperio majus malum est, cum omnium etiam bonorum intersit, malos potius, quam nullos, Rempublicam administrare.

FINIS.

MARCI ZUERII BOXHORNII

DISQUISITIONES POLITICÆ,

Id est,

SEXAGINTA CASUS POLITICI

Ex omni historia selecti.

UBI.

De singulis variæ Sententiæ, ac Decreta, variique Eventus proponuntur, & exactum de iis Iudicium fertur.



AMSTELODAMI,

Apud CASPARUM COMMELINUM,

CIↄ Iↄ C LXIII.

MARCI ZUERII BOXHORNII

DISQUISITIONES POLITICÆ,

Ex omni Historia desumptæ.

QUARUM PRIMA EST

DE

Matrimonio Principali seu Principis.

CASUS I.

ERAT LUDOVICO XIII. Galliarum Christianissimo Regi Soror nubilis, in præsens tantùm unica. Petiit eam in matrimonium *Carolus* Magnus Britann. Monarcha, pace jam cum Gallis initâ, postquam paulò antè Rupellarium rebellium Gallorum defendendorum causa, infesta in Galliam arma intulisset. Itaque in Galliarum Regis Consistorio quæsitum est: *An Soror Regis* in matrimonium Britanno dari, an aliis, & utilioribus Galliæ nuptiis servari deberet?

SENTENTIÆ.

Censebant alii in Matrimonium Britanno dari eam non oportere, quòd ex eo parum vel nihil utilitatis in Gallorum Regnum & publicum bonum redundaturum esset. Enim verò si quid esset ex illo utilitatis eventurum, hoc forè

ut initæ pacis obſervantior Britannus eſſet, non fœderis tantum, ſed Matrimonii vinculo conſtrictus & alligatus. Jam autem cogitandum, ſine matrimonio interveniente aut obſervaturum pacem Britannum aut non obſervaturum. Si obſervaturus eſſet, quare in illum rei uſum Regia ſoror deſponderetur. Si autem non eſſet obſervaturus, matrimonio infeſtum ejus animum & cupidinem proferendi imperii non facilè poſſe placari. Neque enim in matrimoniis ſanguinis affectum & officia pietatis, ſed Rempubl. à Principib. cogitari. Amores conjugum in Penates Principum ferventiſſimos eſſe: nullos è contra aut frigidos extra eos, ubi ad publicum attendendum. Quòd hoſtes iidem conſpecti fuerint ac Agnati. Socerum ac Generum, Cæſarem ac Pompejum extitiſſe: non tamen ideò minùs infeſtis inter ſe armis decertaſſe. Itaque cenſebant illi, ad alios has curas converti oportere, quorum Ditiones Gallis & proximæ & neceſſariæ Sorore Regia in Matrimonium datâ acquiri tandem poſſent ac obtineri; ad Lotharingum imprimis, cujus Regio Gallis & proxima & per tot ſecula infeſta. Paucos ejus ſanguinis ſupereſſe. Itaque connubiali fœdere tot ſeculorum diſſenſionibus ac bellis imponi poſſe magnum diem: certamque ſpem allucere, ut cum Gallorum Regno Lotharingiæ corpus hoc ſaltem pacto coaleſcat.

Contra alii & diverſa urgebant, intereſſe omnino Galliarum ſecuritatis, ut à Sorore Regia vacuus Britanni thorus occuparetur, ſi non a-

liam

liam ob causam, saltem ob eam maximè, quòd eidem Hispaniæ Monarcha immineret, qui nisi præveniatur, pro innata libidine dominandi, & artibus, quibus per aliorum latus alios invadit, omnia Gallis adversa in vicino Britanniæ Regno sit excitaturus.

Id Hispanorum consilium liquere ex Philippi nuper cum Britanna nuptiis, quæ nisi sterilis extitisset, jam Hispanorum propaginem in Britannis rerum potituram fuisse; consilia interim Hispanorum certissima apparere.

DECRETUM.

In postremam hanc sententiam itum est, & Regiæ sororis nuptiæ Britanno sunt permissæ.

EVENTUS.

Voto ille respondit: spes enim Hispanorum hac saltem ratione præcisæ sunt ac interceptæ: & Britannis hactenus nihil contra Gallos molientibus, rerum alibi præclarè gerendarum occasiones Gallis sunt relictæ.

JUDICIUM.

Ubi in magni & publici momenti disceptationibus utilitatis habetur ratio, ea semper consilia præferenda sunt, quibus non tam obtinentur inpræsens magna bona, quam ingentia damna præveniuntur: quibus non præventis frustra petuntur, & tandem intercipiuntur omnia illa bona quæ ex diversis consiliis exspectantur. Plurimum in Repub. pro se

profecit, qui providit, ne nocere possint, qui nocituri creduntur. quod nisi fiat, pereunt consiliorum omnium spes & eventus.

CASUS II.

Ejusdem ferè, sed paulum diversi argumenti.

ERat *Ludovico* XII. Gallorum Regi filia tantum unica, cui *Claudia* erat cognomentum; quæ ex præscripto Salicæ, sive fundamentalis Gallorum Legis imperii paterni propter sexum adire non poterat hæreditatem. Erat interim eidem *Ludovico* ex *Patruele* nepos *Franciscus Valesiæ Dux*, quem cum deesset mascula proles, *Ludovicus* indubitatum Regni successorem habeat. Interim *Claudia* minorennis consilio Patris jam ante primogenito *Castellæ* Regis filio, *Carolo* Lucemburgorum Duci desponsata. quæsitum est in consistorio Principis, An non contractus ille, cum Lucemburgio Duce initus, esset rescindendus? Etiam An non Gallorum Regno maximè expediret, si Franciscum Valesiæ Ducem desponsata filia eundem & filium & hæredem Imperii haberet.

SENTENTIÆ.

Rex *Ludovicus* ardui id negotii argumentum arbitratus; Primò omnium statuit, non esse fidei Regiæ aut Majest. subvertere fidem datam, & contractum cum Castellæ Regis Primogenito filio initum violare. Itaque impediri se asserebat, quo minus satisfacere posset petitioni Procerum Regni ac Subditorum, qui ex nuptiis cum

eum Valesio ineundis maxima in Gallorum Regnum bona derivari posse, haud obscurè colligebant. In eam sententiam Proceres ac subditi plerique veniebant, quod viderent ad *Claudiam* post mortem patris plurimas in Italia, Gallia, vicinoque Belgio Ditiones, multarumque terrarum Dominia Successionis jure perventura. Quæ omnia, si in alienam familiam nubens aliò transferret, magno Regis Regnique detrimento fore ac periculo, prævidebant. Id enim nihil futurum aliud erat, quàm Regni Claves, naturâ Gallorum hostibus, quales *Castellani* erant, in manus dare; propter quæ vel retinenda vel augenda vel etiam repetenda inde à *Castellanis*, hinc à Regni successore *Valesio* gravissima & continua bella essent exarsura. Neque enim credibile, aut in publicis saltem consiliis facilè credi oportere, matrimonio *Claudiæ* cum Lucemburgorum Duce arctiora fœderis ac Societatis vincula *Castellanis* cum Gallis futura. Pestem enim nullam majorem esse inter Principes in amicitiis quam in plerisque imperandi cupiditatem, & propagandi Imperii certamen, ex quo inimicitias maximas semper inter amicissimos & maximos Principes extitisse. Itaq; censebant ut ne hæc omnia hæreditaria *Claudiæ* & annexa Gallis bona in *Castellanorum* familiam devolverentur, atque ita ex Provinciis finitimis ad intestinas Regni munitiones aditus facilè præberetur, contractum illum initum non tantùm meritò sed facto & jure rescindi oportere. Cujus juris duæ adferebantur gravissimæ rationes.

nes. Primò enim statuebant, Regiam Majestatem conscientiæ suæ & honori longè meliùs consulturum, si Regni saluti securitatique prospiciens inconsulta, aut etiam pro temporis necessitate prudenter olim inventa rescinderet, quàm si fidei exteris præstitæ nimium observans in præsentissimum discrimen Rempubl. adduci pateretur. Maximam enim fidem esse, quâ Reipubl. Principes sunt obstricti. II. Præterea addebant, Filiæ *Claudiæ* ut ignaræ, ut minorennis, matrimonium in conventionem deductum non esse. Quòd tamen matrimonium præ cæteris omnibus Contractibus liberam adeò voluntatem desideraret, ut nullis pollicitationibus, nullave conditione, Lege tam Canonica quam Civli prohibente possit arctari. Accedebat & illud, quòd vinculum Sponsaliorum adhuc nullum inter Lucemburgi Ducem & Claudiam intervenisset.

DECRETUM.

Rex iis rationibus & cura Reipubl. permotus irritum fecit, quicquid cum Lucemburgico Duce contractum; & pacis duraturæ causâ, *Claudiam* in matrimonium *Francisco Valesio* dedit.

EVENTUS.

Experiendo cognitum est, & Castellanorum diversa Gallis consilia hoc matrimonio esse intercepta; & cum finitimis pacem *Francisco Valesio* fuisse, cum *Claudiæ* matrimonio finitima quæque sub suam acciperet Ditionem.

JU-

JUDICIUM.

In matrimoniis Principalium liberorum exteris Regibus Principibusque destinatis duo maximè considerandа sunt. I. Quantùm ad eundem vel per eum transeat matrimonio, cum quo matrimonium initur? II. Quid boni aut mali ab exteris expectari possit, qui Regiam Prolem, pignora Imperii & instrumenta, in alias & exteras familias nuptiarum beneficio statuit transferre.

DISQUISITIO.

De justa, Provida & tempestiva ab iniquo & Tyranno Principe defectione.

CASUS III.

Ex celeberrimo horum temporum argumento.

Lusitani, Gens Hispaniæ contermina, vi potius quam jure ab Hispanis occupatam Dominationem per annos jam plurimos toleraverant. Cumque indies sub eorum Imperio magis magisque domi ac foris sua vel perire vel invadi viderent, increscere etiam tyrannidem; Proceres suos neglectos; Populum delectu aut tributis exhaustum dolerent: de defectione non cogitare tantum, sed inire consilia cœperunt. Quæsitum igitur est in Clandestino Procerum Conventu, An satis justa esset defectionis causa? Et si justa, An in præsens Lusitanorum rebus utilis esset & tempestiva?

SEN-

SENTENTIÆ.

Justam defectionis causam necessitatem esse, ferè omnium assensu comprobatum est.

I. Quia illegitimus Lusitanis Rex Hispanus deprehendebatur; cæterorum nempe Brigantiorum imprimis, potiori jure postposito, eum tantum & felicitatem in armis invenisse.

II. Quia super id, quod illegitimus Rex esset, illegitime hactenus regnabat, oppressâ ac occupatâ Imperii libertate. Itaque quæ justa defectionis causa futura esset à Legitimo Principe, justiorum hic in illegitimo offerri.

III. Denique & postremò, quia, ut absolvam verbo, extrema jam illata erant libertati Hispanæ Dominationis iniquitate.

Censuere igitur justissiman esse jam causam ne, ut videbant jam extrema libertatis, tandem sublata omni remedii spe ferre cogerentur extrema servitutis.

At verò, An inpræsens consultum esset desciscere, haud ita inter eos convenit.

Quibus intempestivum illud videbatur, hæc pro Consilio suo rationum nomenta expendenda aliis offerebant.

I. Regem Hispaniæ, ut Potentissimum Principem, ita ubique accinctum jam ferè esse & armatum; facilè igitur obviam iturum initiis defectionis, & ulteriora ejus prohibiturum.

II. Facilè illum ac necessariò aliis in quibus bellum gereret desertis locis, vim omnem in Lusitaniam coacturum, ut cæteris omnibus potio-

tiorem, quaque amissa præcipua Imperii robora accisa sibi esse intelligat.

III. Vix Lusitanos magnitudini consilii tantæque rei esse pares: à Sociis autem & fœderatis vix spem idonei præsidii impræsens offerri, singulis fermè aut bellorum impensis exhaustis, aut in sua adversus Hispanos causa defendenda satis superque occupatis.

IV. *Catalauniam* Hispaniæ etiam Ditionem jam existere rebellem. Itaque magnæ prudentiæ futuram partem, si alieni consilii alienæque defectionis eventum specularentur; qui prout aut prosper eveniret aut improsper, de ordienda aut differenda defectione Lusitanos posse cogitare. Prudentiæ quoque futurum locum, si ad Hispaniæ Regis plurimorum jam bellorum attenderint Eventum, Quæ si prospera illi vel improspera futura, prosperam Lusitanis aut adversam futuram defectionem.

V. Id imprimis considerari expendique volebant, bona plurima & opes & fortunas Lusitanorum in Hispania inpræsens sita esse, quarum jacturam facturos privatos, quamprimum ex publici Lusitanorum consilii autoritate defectio esset audita.

VI. Plures suæ nationis & inter eos Procerum quosdam in Madritana Aula, aut alibi in eadem Regione domicilii sedem fixisse, quibus hercle non nisi carceres, supplicia aliaque imminerent, si Lusitanorum natio inpræsens ab Hispanis descisceret.

VII. Notabant illi experiundo jam olim esse

esse cognitum *Antonio* Priore *Lusitanorum* Rege salutato, cum jam autoritatem Philippus Hispaniæ Rex in se conferri postularet: Philippum ferè 40. dierum spacio *Antonio* Priore & omni ejus factione expulsis, totius Lusitanici Imperii potitum fuisse. Itaque ea vestigia meritò Lusitanos terrere nunc oportere.

Contra alii Magnificis aliorum in speciem rationibus subversis, pro se & sua sententia urgebant.

I. Frustrà arma regia quaqua diffusa in medium proferri; Nam ubique districtum nusquam totum esse aut singulis parem, nec facilè aliunde ab eo evocandas in Hispaniam copias videri. Nam nec integrum esse, Belgium deserere aut imminuere isthic militares copias, Gallis ac Batavis acrius quotidie instantibus. Nec occidentis Indiam, in qua opes & ideo rerum Caput: Nec Italiam; cui continuò Galli immineant: Nec Germaniam, sociorum aliorumque armis afflicta Austriacorum fortuna. Si prospera, tantò graviora Lusitanis imminere successu rerum auctâ libidine Hispanorum & dominatione; si verò improspera Hispanis ea essent futura, jam indubitatam esse sui consilii de defectione prosperitatem.

II. Frustrà socios prætendi & fœderatos ut auxilio non venturos. Non posse enim non eam æstimare pro causa etiam sua hujus ab Hispano defectionis momentum, neque ideo de auxiliis desperandum. Ad quod accedat sociorum bellis alibi Hispano distento se etiam juvari.

III. Fru-

III. Frustrà eventum expectandum Catalauniæ rebellis, in moram & impedimentum Lusitanorum defectionis proferri. Non enim tam spectari à se defectionem Catalaunensium, quam pari defectione juvari ac promoveri oportere. Itaque utramque gentem in iisdem consiliis invicem sibi consilio & solatio futuram. Atque tantò magis considerandum id Lusitanis offerri, quòd reductis ad obsequium Catalaunensibus, credibile sit, futurum ut Hispanus acrius, acerbiusque premat contineatque eas Gentes in quibus similem defectionem aliquando excitandam possit exspectare. Lusitaniam autem Hispano ita suspectam esse, abunde esse compertum.

IV. Frustrà prætendi bona Lusitanorum privatorum, quæ in Hispania possiderent. Nam privata publicis postponenda; & ne privatis defectio noxia sit, prudentissimum præsentissimumque remedium offerri. Cum enim plurimi in Lusitania bona Hispani possideant, iis etiam injici posse manus, si domi Lusitanorum bonis manus injiciant Hispani.

V. Frustrà etiam prætendi, tot Proceres aliosque è vulgo Lusitanos, in Hispania commorantes; esse Hispanæ nationis tales plurimos nunc in Lusitania, in quos cœpta defectione in Custodiam datos statui posse, quod in Lusitanos statuerent Hispani.

VI. Frustrà veteris temporis veterisque Cladis memoriam nunc refricari. *Antonii* enim Prioris tempestate expeditum Hispaniæ Regem

gem & jam accinctum fuisse expeditioni, & tunc Lusitanos domi dissensionibus fuisse commissos, tunc eos auxiliis Anglorum externis fuisse innixos: nullam autem externorum in alios satis magnam esse aut curam aut pietatem. Denique eos Cladibus aliquot in Africa acceptis sistendis Hispanis non satis pares extitisse.

VII. Nunc omnia contra esse: Imprimis considerandum indolem & vota & consensum totius Populi, qui à natura Hispanorum hostis factus, plus odii induit, Hispanorum iniquitate hactenus vexatus, adeò ut hac defectione externum potius quam civile aut domesticum bellum esse videatur gerendum, omnibus domi consentientibus in defectionem, & ideò infestis armis in Hispaniam ipsam & Castella translatis.

VIII. Delectu militum exhaustam nunc esse Hispaniam, ac proinde non parem adversus impetum improvisum.

IX. Si unquam alias afflictissimum nunc esse ejusdem ærarium. Annuos enim proventus ex India intercipi aliquando & plurimum & in præsens sisti in portubus & Batavorum eruptionibus obsideri.

X. Esse Bragantiæ Duci in Mandatis datum ut aliquot Lusitanorum millia conscribat, quibus uti se posse, & interim Hispanum spe & exspectatione maximâ tanti subsidii posse frustrari.

XI. Improsperas nunc esse ubique Hispanorum res, id ubique eventum testari.

XII. Cum vi pleraque Hispanus possideat, etiam

etiam proxima quædam Hispaniæ Regna; eos populos erecto hic signo libertatis rebellium exempla secuturos.

XIII. Esse sibi opum abundè ad longi etiam temporis tolerandas impensas.

XIV. Nisi in tempore deficiant jam Lusitani, exui eos omnibus quæ in occidenti India à majoribus suis occupata adhuc reliqua haberent. Nam Batavos Hispanorum & Lusitanorum Principes quamdiu agnoscerent hostes, res suas cum Lusitanorum damno quotidie iis in oris magis promovere. Quid ni igitur hostem malint Hispanum, quàm Principem aut amicum, cujus improspera dominatione hostilia & damna maxima paterentur? Cur non malint etiam Batavos amicos, quam hostes, quorum bella ipsis felicia, sibi infelicissima experientur.

XV. Nulla tam adversa fingi posse ex hac defectione eventura, quin ea cum exitio Libertatis jam tolerarint; & nisi deficiant, majora sint toleraturi.

XVI. Et postremò, deliberasse jam se de defectione ac ideo audere debere: Qui enim deliberant, desciverunt; & in ejusmodi consiliis periculosius est deliberare quàm audere.

DECRETUM.

Igitur ob eas rationes Lusitani desciverunt.

EVENTUS.

Arridet hactenus & respondet voto; Cætera adhuc in incerto.

JUDICIUM.

Justissima defectionis causa est, ubi iniqua aliorum

aliorum dominatione ad extrema libertatis est deventum; maximè autem tempestiva defectio est, ubi omnibus utriusque expensis, iniquius tempus quidem pro ea defecturis, non autem æquius quam præsens potest offerri.

DISQUISITIO.

De Induciis cum Hoste ineundis aut non ineundis.

CASUS IV.

Ex horum temporum historia petitus.

Cum circa initia hujus seculi millesimi & sexcentesimi, in ipso bellorum æstu Hispani in Belgio Batavis inducias offerrent, & bella hactenus gesta Batavis quam Hispanis extitissent prosperiora; Item inter Ordines in consilium est, & quæsitum, An oblatas Induciarum conditiones amplecti impræsens è Republ. esset?

SENTENTIÆ.

Varia inter multos extitit deliberatio; alii enim omnem de admittendis induciis cogitationem consultationemque omnem postponi debere existimabant.

I. Quia ad bellum hortabatur, & in eodem favebat hactenus Batav. rebus fortuna; cujus cursum intermittere ac intercipere velle per inducias, post quas haud dubiè expectandum iterum & gerendum esset bellum; nihil aliud esse quàm se deserere, & malle impensas bellorum hactenus tolerare, quam fructum experiri.

II. Quia

II. Quia per inducias intervalla tantùm & spiramenta temporum, quibus vires iterum ac animos recolligerent aut instaurarent, hostibus permitti videbantur; quod in eos beneficium nullis magis postea noxium futurum, quam concordantibus, majori armorum vi mox urgendis.

III. Quia jam in Batavis de & illustri & imprimis utili & Hispanis maximè noxia in Occidentis Indiam instituenda expeditione operam & opes offerentibus privatis seriò nunc agebatur; cui per inducias positis armis, mora dum & sufflamem injiceretur. Quæ occasio oblata si per inducias differretur (qua nempe interea eæ Ditiones quibus nunc parum provisum facillimè invadi possent) induciarum intervallo, ad magis muniendas eas ditiones Hispanos uti posse, & haud dubiè usuros, cum eo intendi intelligant consilia Batavorum.

IV. Quia in Inducias vix conveniendum cum eo hoste videbatur, qui cum rebelles Batavos agnosceret, solito Dominationis jure oblata occasione & initis pactis conditionibusque se haud astrictum putaret. Idcirco induciarum tempore necesse futurum, ut in præsidiariis locis idonea adhuc militum manus haberetur, adversus quosvis inopinatæ perfidiæ insultus. Cum igitur eædem ferè induciarum & belli impensæ futuræ sint, belli potius sequendam esse prosperitatem quam id quod beneficio Induciarum hostibus potius quam sibi faveret.

V. Quia admissis Induciis delapsurus vete-

ranus miles & aliò trahendus credebatur, à quo post exactas Inducias destitutam Remp. velut nervis incisis imparem hostibus futuram.

VI. Quia cautè metui & merito posset, Hispanum impetratis inter Belgas induciis clam & aliud agendo, per aliorum latera alibi Belgas oppugnaturum. Enim verò turbatis Germaniæ rebus & harum ditionum libertate & Cæsare imminente translatis Hispanorum in Germaniam armis in auxilium Cæsaris & ad debellandos, quod vocant Principes protestantes annexum Germaniæ Belgium meritò sibi metuere debere.

Præterea commeandi licentia per Inducias impetrata, Emissariorum conatibus & clandestinis consiliis id acturos, ut seminibus discordiarum jactis, sive propter sacra sive propter alia pacem Batav. & securitatem domi turbarent.

VII. Aliis alibi bellis Hispano districto, militem suum posse continere eum in Exercitio militiæ & disciplina. Interim Belgarum pactis cum Hispano induciis, nullis bellis distentorum militi non nisi torporem & inertiam superesse. Censebant igitur illi certum & hactenus prosperum bellum, Induciis Reipubl. longè utilius futurum.

VIII. Frustra pro intermittendo bello, inopiam ærarii prætendi. Enimverò, si hostibus offendendis id haud sufficiat; saltem defendendis suis rebus suffecturum; quietam autem & securam defensionem intutis & insidiis induciarum longissimè esse præferendam.

Contra tamen sentiebant alii & testabantur:

I. Haud

I. Haud respui oblata oportere, præsertim cum ea talia essent, quæ nisi oblata amplectantur qui bellum gerunt, bellum ut ut justissimam causam habeat, iniquum existimari. Dulcedine enim induciarum & gustu, ut ita dixerim, pacis tactos Belgarum animos post inducias facile in pacem conventuros.

II. Superiorum bellorum impensis attritas exhaustasque ærarii opes, quibus instaurandis pacem induciarum, ut unicum remedium offerri.

III. Victorias hactenus reportatas pro Clade potius Reipubl. quàm commodo esse; cum devictæ Civitates tantis periculis & impensis oppugnatæ, tantis præsidiis expugnatæ, in obsequio debeant contineri, ut fructus earum propemodum nullus sit respectu sumptuum quos eorum nomine Respubl. cogitur tolerare.

IV. Neque addictam esse Batavis prosperæ fortunæ æternitatem. Itaque inter prospera de adversis cogitandum, quæ ubi evenerint fortè, quemadmodum evenire possint, oblatas jam inducias & repudiatas ab ipsis Batavis esse offerendas. Quanto ut futurum cum damno neminem non posse cum animo suo complecti, cum ejusmodi offerentium minus commodum sit, quam eorum quibus offeruntur.

Sed & dubiis sententiis certatum, & inter eos qui inducias malebant, An brevioris an longioris temporis commodiores Reipubl. essent futuræ? Breves alii quasi nullas, quasi juvandis hostibus repertas; denique quasi militaris desi-

diæ instrumenta traducebant. Longas alii existimabant cum periculo & discrimine summo conjunctas, quia interim extingui militiæ gnari & bellicarum rerum experti posse videbantur.

DECRETUM.

Post multas altercationes in duodecennales inducias conventum est.

EVENTUS.

Noxium id consilium & decretum fuisse experiundo comprobatum est. Cum enim interea temporis arte Hispanorum controversiis de Religione excitatis tractæ in partes factionesque sint Ditiones fœderatorum Belgarum, mali istius tanti causam non nisi fas est induciis referre acceptam. Quid? quod Palatino aliisque in Germania Principibus per Hispanorum potissimùm arma interea pulsis aut debellatis, discrimina pariter huic Reipubl. fuerint procurata. Accedit quod post inducias longè quàm antea atrocius Hispani intulerint Belgarum rebus bellum, & Indicæ, quam diximus, Expeditionis utilitas pariter a: gloria, tantùm temporis fuerit dilata.

JUDICIUM.

Qui in ejusmodi occasione, & statu rerum cum hoste pacisci constituit, se & hostem vel imprimis debet cogitare: se, ut intelligat, quantum differat sibi; Hostem, quantum interea exsequi ille possit & obtinere. Omnes intutæ in-

duciæ sunt, post quas denuo & atrocius exoritur bellum cum belli tantùm sint meditamenta. Intempestivæ etiam induciæ illis Gentibus sunt qui hactenus felices earum, ratione suæ tantum cursum sistunt felicitatis.

DISQUISITIO.

De arctiore & sumptuoso bellico fœdere, ab inferioris potentiæ populo cum vicino ac longè Potentiori Principe ineundo vel non ineundò.

CASUS V.

Ex hujus tempestatis rebus petitus

Superioribus annis Galli, ruptâ, quam cum Hispanis hactenus coluerant, pace, arctius cum Batavis ineundum sibi fœdus petivere, ex cujus nimirum lege uno eodemque tempore quotannis in Belgii Hispanici Ditiones maximi operis terrorisque Exercitus inveheretur. Quæsitum est in Fœderatorum Belgarum Comitiis, An id fœdus reipubl. expediret?

SENTENTIÆ.

Non una in eam rem deliberatio fuit aut sententia; quibusdam existimantibus, ab eo fœdere arctiore omnino esse abstinendum.

I. Quia ubi inferiores viribus & potentiâ populi cum principibus potentioribus ex pacto in eadem agunda eosdemque bellorum

ſumptus tolerandos conveniunt, prædæ ſæpe & ſpolia fiunt potentioribus fœderatis, non aliam ob cauſam, quam quia in publicæ rei executione & adminiſtratione fortunæ ſuæ opumque ſuarum modum egreſſæ ſunt.

II. Ubi arma conjuncta ſint vel fuerint, ad ſolicitandam fortunæ eandem proſperitatem & deſtinatis faverit fortuna, diſſidia ferè poſt res confectas in dividendis fortunæ beneficiis inter Fœderatos ſolent excitari. In quo inferiores fermè ſunt qui potentia antè bellum & poſt illud ob bellorum impenſas magis tales ſunt.

III. Non poſſe ad hujus fœderis Executionem deveniri niſi per aucta ſtipendia,& ideò tributa, quibus ita preſſam Rempubl. ut majora ſubditis haud facilè ſit extorquere.

IV. Quamquam à Galliarum Rege opum quædam vis mutuo danda fœderatis Belgis offeratur : tutius tamen eſſe Reipubl. inferiori, potentiori Principi nihil debere.

V. Potentiores Principes ſæpe haud exequi pacta fœderis & conventa, nec ad ea præſtanda cogere eum inferiores poſſe.Inferiorem interim à potentiori facilè ad officium compelli.

Alia autem aliis videbantur,arctiori cum Gallis fœdere ineundo maximopere commendato.

I. Dum ſinguli pugnant, ſingulos impares ferè adverſus hoſtem potentiſſimum deprehendi. Cui infirmitati ſingulorum non alia ratione occurri melius, quam ſi inſtituta hujuſmodi fœderis ſocietate, animi conſilia & vires pariter conjungerentur.

II. Tra-

II. Tractum eodem tempore & eodem in loco, hostem duplici bello ad eadem contendentium & aspirantium imparem haud dubiè futurum & inferiorem. Totum enim esse aut effundere se non posse, qui in adversa eadem tempestate traheretur.

III. Non negligendam rarò occasionem oblatam, rupto Gallorum & Hispanorum fœdere, & Gallis non tantùm jam fœderi Batavorum, sed causa etiam ob idem indictum illigatis; rarò tam commodas in Republ. offerri conditiones seu occasiones. Ideóque usum earum temerè postponi haud oportere, præsertim cum Galli facilè hoc Batavorum fœdere non impetrato ire cum Hispanis possent, & forsan vellent in nova societatis pacta & conditiones; quod si fiat, solos Batovos & ideò impares sustinendæ totius belli Belgici moli relinqui.

IV. Attendendum etiam ad consilia & institutum Austriacorum, qui communes utriusque Gentis hostes sint, magnitudinem eorum positam esse & vim in mutuis fœderibus, quibus invicem causam suam ac destinata complectuntur, atque ideò tantopere gliscere eorum potentiam; cui quò pares sint adversi easdem Consiliorum rationes meritò instituendas sequendasque videri.

V. Frustrà proferri futuras dissensiones, quasi exorituræ illæ sint in dividendis distribuendisque, quæ si sors ita ferret, communium bellorum felicitate hosti essent eripienda. Posse

enim præveniri id malum certis Legibus, conditionibusque, quibus sub initium fœderis ante ejusdem Executionem occupanda. his aut istis assignentur: neque hercle ex metu conceptum corruptumque victoriæ usum, aditum ad fœdus & per fœdus ad victoriam obstruere debere.

VI. In vanum etiam proferri majores & supra ordinarias Reipubl. opes, bellorum impensas: Præstare equidem semel vim tutam effundere, & ea ratione assequi optatum finem rerum, quàm partem tantùm & in æternas impensas trahi, & ideò partim tantùm aut nihil adversus hostem proficere. Ali enim hac ratione potius sumptuosum bellum, quam tolli; & inter modicas hostium clades non tam exui eos, quam exerceri.

VII. Et postremò ob cognationem loci & similitudinem causæ, & quia Gallorum præsidio ac societate carere haud unquam possint Belgæ Fœderati, satis intelligi res eorumdem in fortuna Gallorum etiam juvari. Itaque ea haud abnuenda, quæ communem utriusq; &, ut sic dixerim, cognatæ gentis concernerent utilitatem.

DECRETUM.

Post alia atque alia allata aut rejecta, pedibus in eorum sententiam itum est, à quibus arctius cum Gallis fœdus ut utilissimum Reipubl. futurum laudabatur.

EVENTUS.

Benè id hactenus Reipublicæ cessit.

JUDICIUM.

Nunquam præsentes impensæ præsentibus

Rei-

Reipubl. opibus majores ab incepto Principes aut populos deterrere debent, si eis semel effusis finem belli ac ideo impensarum imposterum haud dubiè sibi possint polliceri. Nam brevi & feliciter acceptâ pace debita Reipubl. in bellis contracta, nullo negotio expunguntur. Minima expendit, qui dum maxima expendit, ad maxima proficit: Maxima expendit qui minima continuò expendit, & ideò tracto diu bello, ad summum rei debellatæ proficere non potest. Nam minima tandem, si supputando mox conjungas, maxima sunt aut fiunt, quæ quia pariter conjuncta, & expensa non sunt, nihil magni sæpè gestum est.

DISQUISITIO.

De arcibus vel struendis vel non extruendis ad debitas Civitates in obsequio continendas.

CASUS VI.

GRONINGAM proximam Frisiæ ac munitissimam urbem, unde Provinciæ toti nomen est, vi armorum ad deditionem coëgerunt Fœderati. Inter leges pacto deditionis præscriptas hæc quoque erat: *Ne in ipsa urbe arcem unquam Fœderati excitarent*. Interim multitudo civium deditorum paulò post, præsidia, tributa militaria, aliaque debitorum obsequiorum munia detrectabat.

Quæsitum est in fœderatorum Belgarum consessu, An ad frenandam Groninganorum

insolentiam ac immodestiam, non utile imprimis ac necessarium esse in ejusmodi urbis Area munitam Arcem excitare.

SENTENTIÆ.

Groningani, & qui inter Fœderatos Patres eorum partibus favebant, neutiquam struendam Arcem censuere.

I. Quia ex mutuo pacto inter deditos & victores Fœderatos convenerat, ne quid talè unquam Fœderati molirentur; quibus pactis, nisi staretur, tolli quicquid ad sociandas Gentes unquam repertum est. Præterea, cum Fœderatis ad alias Belgii ditiones in partes suas pertrahendas imprimis clementiæ ac fidei famâ sit opus adversus perfidiam & inclementiam Hispanorum, qui eo nomine Belgis exosi, etiam atque etiam considerarent, quantum in se omnium odium structâ contra pactum Arce concitaturi sint.

II. Arce positâ diffidentiam inter subditos Groninganos & Fœderatos excitari, vitium profectò ad solvenda imperia & obsequia semper comparatum. Nam nec sine metu iniquæ dominationis futuros Groninganos, quoties Arcem iniquæ ferè Dominationis sedem spectarent: neque Ordines aliquam rerum suarum seu imperii fiduciam in illis collocare posse, qui metu præsidioque militari infessæ Arcis potius quam amoris in officio continerentur.

III. In amore & prono affectu subditorum in Dominos ac victores, maximam victoriæ &

post

post imperii munimentum esse; quem esse non posse aut statim exui, ubi ex imperantium parte metus & occupandæ libertatis suspicio injiceretur.

IV. Quia Arces ferè instrumenta apud malos Principes sunt servitutis; qui ab iis defecti virtutibus, quibus animos suorum nullo negotio sibi possunt demereri, in solis arcibus armatam & invisam securitatem semper invenere.

V. Vel maximè id considerandum, nunquam alibi factum hactenus à Fœderatis; ut deditis, quantumvis immodestis, freni quasi loco Arx imponeretur, aliis mitioribus & in populum gratioribus remediis continuò usurpatis, per quæ aut eorum metui perfidia haud posset, aut fides confirmari. Novi odii ideoque & magni nova ejusmodi instituta in Republ. seminaria semper esse & argumenta.

VI. Et maximè venire considerandum, Arces sapere institutum Tyrannidis Hispanorum: à quorum fortuna cum diversam velint experiri Fœderati, diversa etiam consilia inire ac instituere oportere, iis saltem postpositis, propter quæ aut insidiatores aut Latrones publicæ libertatis habiti proscriptique sunt.

Contra alia ex parte & sententia inter ordines differebatur.

I. Iri inficias non posse pacto inito cum Groninganis à struenda Arce prohiberi Fœderatos ad ejus pacti leges observandas, Fœderatos continuò se comparâsse, à Groninganis multa interim immodestiâ eas esse violatas; proinde se

in præsens non teneri ad eas observandas, saltem non posse urgeri ab iis qui primi eas violarunt. Itaque nihil facere se contra fœdus, cujus præscripto jam non tenerentur; quod Groningani neglexerint, cur à fœderatis velint observari? Denique si rectè judicent, observandi fœderis causâ, Arcem Fœderatos velle excitatam. Equidem non permitti tantùm aut deferri fidem pactis, sed deferri etiam servantibus pacta, qui si tales non sint, neminem teneri.

II. Per Arcem non excitandam diffidentiam, sed verò excitatam tolli posse atque averti. Ideóque Arcem excitare necesse esse.

III. Maximum Imperantibus in amore subditorum quidem esse munimentum, sed in specie amoris acquiescere velle, ubi odium animos subditorum & dedignatio parendi intravit nihil aliud esse, quàm suam odisse & negare sibi securitatem.

IV. Instrumenta servitutis Arces ferè esse, ubi augendæ iniquæ, non autem conservandæ aut instaurandæ legitimæ dominationis ergo instituuntur. Hunc diversum inter sua & Tyrannorum instituta esse finem. Et herclè cum arma hactenus gesserint pro libertate, quid obstaret quò minus arcibus armatis in obsequio continerent deditos jam sibi ac impatientes libertatis?

V. Licet haud alibi id hactenus à Fœderatis factum sit, non tamen id obstare præsentis consilii necessitati. Adversum nova mala, novis remediis esse opus, non intermitti in admini-

ministratione Reipubl. ac usu debere, quod nunquam aliâs aut alibi factum est.

VI. Frustrà objici Hispanæ tyrannidis in hoc instituto quandam quasi imitationem, & ex ea injici formidinem communis odii. Nam quicquid inter malos fit, quod ad bonam rem à bonis pariter potest applicari, non ad malorum gustum aut imitationem, sed ad præsentem usum sui inter bonos exigendum est. Adversum tyrannidem autem & oppressam libertatem stricta Fœderatorum arma esse experimentis jam abundè constare.

VII. Et postremò, Si conditionem rerum, statumque urbis suæ contemplentur Groningani, facilè judicaturos; omnium & bonorum & malorum Civium interesse arcem excitari. Nam ita libertati bonorum consultum esse adversus malos, & malis in officio metu retentis, bonorum etiam commoda juvari.

DECRETUM.

Factum est Senatus-Consultum, ut cohibendorum Groninganorum causa Arx conderetur.

EVENTUS.

Ad Securitatem Fœderatæ gentis, & domesticam Groninganorum tumultuantium hactenus pacem Decretum id plurimum profecit.

SENTENTIÆ.

Non infringuntur in usu publicarum rerum ea, in quæ conventum semel est pacta, ubi adversus eos, qui pactis adstricti primi ea violavêre,

vêre, finis pactorum obtinendi confirmandique causa, quædam pactorum leges non observantur; atque ad deditos & rebelles & monitos sæpius, nec desistentes & inter se commissos nullum offerri remedium, quod æquè ut odiosum nomine, ita usu commendatum sit, quam devictas inter gentes & urbes, Arces, ut imperii sedes collocare. Quicquid enim eo nomine odii est inter bonos & moderatos Principes, aliosque rerum arbitros, dulcedine ita confirmati Imperii facilè averti atque dispelli potest.

DISQUISITIO.

Ubi in partes & Civilium Bellorum factiones Regna trahuntur, aut Resp. quando & quomodo de principibus Regnorum aut Rerumpubl. viris supplicia sumenda sint.

CASUS VII.

Ex præcedentium annorum gestis in Gallia rebus desumptus.

HEnricus Montmorantiæ Dux *Iohannis Baptista* Aureliæ Ducis arma contra *Fratrem Ludovicum* XIII. Gallorum Regem non moventis jam, sed regentis, secutus, in prælio circumventus est & captus. Quæsitum est in Sanctiore Regis Consistorio, Quod & Quale supplicium illi imponi oportet.

SEN-

SENTENTIÆ.

Quidam Clementiores, & ut sibi videbantur cauti, ut non omne tolli, ita capitale supplicium irrogari Montmorantiæ Duci haud debere existimabant.

I. Quia post Regiam domum antiquissimæ & Celeberrimæ Familiæ Montmorantius erat, quæ testante Gallicorum annalium fide Christianam religionem amplexa sit in Gallia, priusquam Reges essent Christianissimi. Præterea, quia Regii sanguinis Princeps idem Montmorantius erat, cujus tantò majorem habendam rationem quanto major paucitas: & quia Salicæ Regni Leges non nisi sexum meliorem ad Regni sceptra admittebant. Cogitandum igitur in Regio sanguine punito ut incomparabilem invidiam esse, ita in servato munimento Imperii etiam & legitimè successionis fiduciam servari.

II. Quia, quodcunque in culpam adferebatur, ex Civili bello natum esset delictum; secutum Montmorantium esse tunc Regni hæredem, & necessitate temporum compulsum; necessitatem hanc si non veniam, certè mitiorem pœnam poscere & promereri: orto inter Regem & fratrem bello hæsisse in dubio, illum an fratrem regium sequeretur. Si non sequeretur ad priores dignitates prioremque gratiam semper odium metuebat & indignationem. Si sequeretur, Regis ira ac causa ob oculos versabatur. Propter hanc bellorum Civilium necessitatem scissâ Regiâ Domo cautis semper placuisse, ut ignoscendo bella Civilia transigerentur;

tur: quod nisi fiat injectâ propter pœnam libidine ultionis, alia ex aliis mala ali & excitari.

III. Placuisse semper inter prudentes, ut bellis civilibus debellatis, non in alios, quam in ipsos Autores factionis ultimi supplicii pœna traheretur. Hîc autem Principem omnium *Aureliæ* Ducem & Regis fratrem extitisse; cui ut parcitur, cur non aliis auspicia ejus tantùm secutis & inter eos Montmorantiæ Duci venia etiam præstaretur? Minus enim peccare sequentem signa, quam præferentem rebellionis.

IV. Cum tantus sit Montmorantius, ex supplicio imposito plus odii quam securitatis & potentiæ in Regem & punientes posse derivari; cum tantis etiam Clientelis & tot etiam magnis affinitatibus ille sit innexus, quid ex pœna aliud eventurum præsumerent, quam longam seriem longarum turbarum ac conjurationis?

V. Non tamen se velle omnem averti pœnam, sed imponi tantùm mitiorem æterni Carceris, inter majores prudenter repertam pœnam ad cohibendos, & q. vinculis adstringendos pravos eorum conatus, qui cum potentia & dignitate supra cæteros excellant, propter cœptos jam motus capitali supplicio rebus humanis eximi non possent, nisi majores excitentur.

VI. Vel id cogitandum hic maximè, In Ministrum Regni præcipuum *Ioannem Armandum* Cardinalem *Richelium*, molem odii & cæterorum Principum & totius multitudinis incubituram, cui cum omnium invidiâ ad tanta

admoto

admoto intempestivam profectò esse severitatem, quàm Principibus sit odiosa nova ejus autoritas, tam Clementiæ ac mansuetudinis ratione conciliare sibi ac demulcere exasperatos Principum animos oportere.

VII. Nullum pœnæ futurum usum. Damnum autem ex ea maximum haud difficulter colligi. Nam Civilis belli prælio jam partim profligatos quiescere, non ex amore pacis publicæ, sed ex necessitate, arrepturos turbandarum rerum quamvis occasionem. Hanc autem libidine ultionis inveniri facillimè ac offerri.

VIII. Denique cogitarent quid Autoribus capitalis pœnæ de Montmorantiæ Duce sumendæ eventurum tandem esset, *Aureliæ* Duce post excessum fratris ad Regnum admoto, de cujus successione jam haud dubitare posse, per 20. jam fermè annos sterili & infœcundo Regis Matrimonio. Ita igitur præsentia curarent, ut futurorum etiam cogitatio subiret.

Contra alii, & magnis animis ultimum supplicium urgebant.

I. A Montmorantio admissum esse Læsæ Majestatis omnium gravissimum Crimen, cui ignoscere, ut subinde consultum est, ubi in uno, multorum factione non armato tantum est sceleris exemplum: ita crudelitatis esse, tum ignoscere, ubi sola pœna propter eosdem aliorum motus fœcundum sceleris exemplum potest præveniri.

II. Frustrà familiæ magnitudinem ac splendorem hic in medium afferri: quo illustrior

luſtrior perſona, tantò majus ſcelus, & illuſtrius, faciliuſque in inferiores iturum pœnæ Exemplum.

Maximo Principum punito, minores nihil impoſterum auſuros ſpe veniæ ereptâ illis, qui ejus ſpem reponere tantùm poſſent in magnitudine Montmorantii inferioris fortunæ.

III. Fruſtrà ſanguinis Regii hic fieri mentionem, cujus cum tot alii ſuperſint traduces, abunde ei proviſum: non quæri quàm multi ejus Principes ſint, ſed quàm boni: infici regium ſanguinem & violari ab illis, qui cum ex eo progeniti ſint, Regis Regnique præſentem turbatam cupiunt fortunam. Hoſtes Majeſtatis & publicæ turbatores pacis, quomodo inter munimenta Regni numerarentur? Accedit quod cum Principes ſanguinis omnes fermè ſint authores & ſequaces factionis, de inſtauranda eorum in Regem fide optimè eum meriturum, qui ita unum ejuſdem fortunæ puniat, ut exemplo ejus omnes ad meliora flectantur.

IV. Ignoſcendo optimè quidem tranſigi bella Civilia, ubi ex venia meliorum rerum certa ſpes eſt. Severitate interim imponendus iis eſt finis, ubi in tanto adhuc rerum & animorum motu, tantâque potentiâ rebellis factionis ſcelus plures auſuri ſint, quòd in cæteris deprehenſis captiſque viderint impunitum.

V. Haud iri inficias, Factionis Principem autorem Regis fratrem eſſe: ſed ut non ſine gravi delicto, ita ſupra pœnam nunc eſſe ipſius perſonam: Proximum enim eum, & niſi quidem

dem quasi per excellentiam Deus Regii thori avertat sterilitatem, certissimum esse Regni hæredem: Itaque ne nullum sit supplicium in tanto & tam multorum flagitio in Regio fratre, in dignitate proximos & loco id esse statuendum. Et si unum puniri omnium intersit, & primum omnium punire haud liceat, quid ni in captum & vinctum & in ipso scelere deprehensum ultimam statuerent pœnam? Ad eam accedere, quòd à pœnâ impositâ tota fratris Regii factio possit subverti. Cum enim ille quem secuti cæteri sunt, haud puniatur, punitis illis, qui secuti proximè illum sunt, facilè haud secuturos: quod haud dubiè imponat finem factioni. Denique hic institui deliberationem de Montmorantii, non de fratris Regii causâ, non considerandum hic esse quantum meritus sit ille, qui præivit, sed quantum etiam meritus sit ille, qui est secutus.

VI. Frustra prætendi necessitatem: ut enim abnui non possit nec negari vix quenquam in civilibus bellis subterfugere posse, quin hanc aut illam partem sequatur, interim in tanta necessitate optimo cuique sequendum æquiorem: cujus autem major aut æquior quam Regis? Hanc tamen Montmorantium postposuisse.

VII. Frustra ad inhibendam pœnam proponi oriturum ex pœna odium, ut id odium eximi animis non possit, natura tamen tolli posse. Oderint flagitiosi, ut velint, modò non possint nocere. Punire & providere primas hic partes esse, alteram prudentiæ, alteram æquitatis; utram-

utramque autem nunc ſibi commendari virtutem. Tantum præſidii in Providentia futurum, quantum inter malos odium ex æquitate pœnæ.

VIII. Nec quicquam proponi mitiorem carceris pœnam illam levem eſſe præter magnitudinem delicti. Eâ ratione non tam pœnam imponi, quam veniam tantùm fermè differri. Nam poſt longos carceres ad miſericordiam ſæpe flecti Regum animos: è carcere liberatum Montmorantium eadem auſurum, (namque in eo eſſe eam contumaciam factionis) & in autores qualiſcunque nunc pœnæ iniquiſſimum ſe exhibiturum. Ne puniat ergo, nunc haud ſatis pro merito punitus: neve bis inter Regni atrociſſimos & novos motus, puniendus ſit ſemel cum eo tranſigi, & ſceleri debere magnum diem imponi. Pro ſuperſtite & in carcere ſervato quodvis auſuros, tentaturoſque potentes Amicos & Clientes. Sublati autem vix ullam memoriam futuram aut curam: Denique æterni carceris pœnam eſſe repertam & ſæpius uſurpatam, cum ea mali conatus in totum poſſint cohiberi. At verò eam vanam & inutilem eſſe, ubi ejus ratione, non niſi alitur malum & augetur. Præſtat igitur non eſſe, quam eſſe aut detineri Captivos, quorum quamdiu ſuperſtites ſunt causâ, alii quævis ſcelera, quoſvis motus, meditabuntur.

IX. De *Richelio* autem eſſent ſecuri Miniſtri Regii, vim ejus in vi Regis eſſe poſitam, nec ſartam vim Regis eſſe, niſi hoſtes ejus ſuæ

pœnæ

pœnæ dedantur. Regem proinde & in eo omnia, adversum quosvis malos conatus cogitanda esse.

X. Et postremò in vanum mentionem fieri Aureliæ Ducis ad Regnum tandem admovendi. In ea fortuna constitutos Principes non cogitare ferè aut de vindicandis agere, quæ in inferiore fortuna sibi evenere: quin verè grata tunc illis esse & meritò accepta quæ quisque adversum alios, etiam successurum, pro Rege suo ejusque securitate est executus.

DECRETUM.

Placuit igitur ultimum supplicium, & impositum est.

EVENTUS.

Ex eo inter omnes major ejus fortunæ pax & metus, quantum per ingenium ejus Gentis & indolem factiosorum Principum licet.

JUDICIUM.

Intempestiva in Republica est omnis misericordia, qua pœna potius quam scelus differtur, ubi in summorum flagitioso hominum exemplo, laborat suprema Regis aut Reipublicæ fortuna: qui ad Clementiam flectitur, ob summam eorum hominum fortunam malè judicat de pace publica ex Majestate, cujus respectu omnia etiam maxima, inferiora inter prudentes debent judicari.

DISQUISITIO.

Quomodo cum Subditis rebellibus & iterum Devictis agendum sit.

CASUS VIII.

FUsis Latinis ad Regillum lacum, Aulo Posthumio Dictatore, Legati Latinorum supplices venere. Hi introducti in Senatum, belli causam in Proceres conferebant & multitudinem eo solo deliquisse, quòd Ducibus obtemperâssent asseverabant, addebantque ad obtemperationem se vi coactam. Præterea pœnarum se satis dedisse, omni juventute sua consumptâ, proponebant. Quæsitum igitur est in Senatu; Quid de rebellibus Latinis esset statuendum, & quomodo cum illis procedendum esset?

SENTENTIÆ

Patrum diversæ extitêre.

I. Titus Largius censuit, victores Romanos fortunâ cum moderatione uti oportere, eosque fortunæ casus etiam optatissimos humanitate ac pietate esse temperandos. Si asperiora in Latinos statuerentur, in extremam conjectos desperationem, fieri posse fortiores, Abalienare à se omnem amicitiam, qui totis se populis implacabilem præstat. Cogitandum rebellâsse Latinos imperio desuetos & assuetos libertati, quam si Romani jam victores totam ereptam velint, animum tamen eundem libertatis cupidissi-

pidiſſimum futurum Latinis. Severitate itaque ac erepta libertate non tolli ſemina rebellionis, ſed nova ſuppeditari. Igitur deletâ omnium injuriarum præteritarum memoriâ, fœdus priſtinum cum Latinis renovandum.

II. Servio Sulpitio Senatori Romano placebat diverſum: Cum jam ſæpius rebellaſſent Latini contra Romanos, videre ſibi dimidium agri ipſis eſſe adimendum. hoc enim pacto fore, ut Romani Cives dimidio Latini agri potirentur, Latinis veluti cuſtodium ac militaris præſidii eſſent loco, ne quid contra imperium Romanum movere impoſterum aut aggredi poſſint.

III. *Caſſius* cenſuit diruenda eſſe munita Latinorum oppida. In Principes populi ac factionis eſſe animadvertendum. Vulgus ignarum pro mancipiis habendum, nunquam alioqui quieturos, neque toties rebellaſſe Latinos niſi fretos clementiæ populi Romani.

Addebat exempla majorum, eos nempè non alia de cauſa Albam (undè ipſi Latinique omnes deducti ſunt) una die deleviſſe quam quod primâ venia Albani ad novas inſidias, tanquam inſtrumento ac face novæ ſeditionis uſi eſſent.

DECRETUM.

Dictator A. Poſthumius Sententiis diverſis auditis expenſiſque humaniorem T. Largii ſententiam eſt amplexus, atque in eam factum eſt decretum.

EVENTUS.

Experiundo & progreſſu temporis cognitum

tum eſt, ſeveriora de Latinis decerni debuiſſe. Nam clementer ex Decreto Dictatoris habiti, iterum adhuc atque iterum rebellionem ceptavêre contra Romanos, Rebellionis inſtrumentis non ſublatis.

JUDICIUM.

Ex hujus cauſæ diſquiſitione diſcere licet, rebellibus & devictis populis beneficio eorum, qui victores, ea relinquenda eſſe, propter quæ amare victores debent & per quæ victoribus non poſſint nocere: Eaque iis poſt partam victoriam eſſe eripienda, per quæ ſi amare victores nolint, victoribus non poſſint nocere.

DISQUISITIO.

An in delictis, & in quibus adverſus Remp. & leges eſt peccatum, proximos Conſiliarios & Miniſtros Principum mandatum Principis excuſet & præſtare poſſit impunitos?

CASUS IX.

Ex veteri Hiſtoria Eccleſiaſtica, quæ apud Theodoretum extat, petitus; Ad ea quæ in Magna Britannia hodie diſceptantur, commodè referendus.

JULIANI Imperatoris mandato, magnus Largitionum Comes, magnæ apud eum authoritatis & intimæ gratiæ, Beriſtiorum qui Phœ-

Phœniciæ Metropolin incolebant, operis pulcherrimi templum incendit.

Sub *Ioviano* Cæsare, paulò post quæsitum est: An non ob tanti sceleris præstitam executionem magno Largitionum Comiti pœna imponi debeat?

SENTENTIÆ.

Quidem extra culpam ac proinde pœnam eum esse, censebant.

I. Quia mandatum Principis Ministris Principis pro quavis ratione & autoritate semper esse consuevit: neque non posse non obsequium illi præstari, qui in Imperio omnia potest.

II. Quia, nisi id præsidium Ministris Principum sartum tectumque relinquatur, nullos Ministros suarum rerum facilè Principes habituros, utpote, qui securi esse non possint, si sub insecutis Principibus irritis factis priorum mandatis rationes factorum non ex mandato, quod sæpè iniquum est, sed ratione receptâ ac lege reddere cogantur.

III. Quia, Si iniqua extiterint Principum mandata, qui agunt omnia, cum tamen jubent, culpam esse penes Principes, & eorum iniquitatis pœnam non præstare Ministros Principum oportere; ubi enim æquum, ut quis luat pœnam alienam?

IV. Quia rescindi à sequentibus pessimorum Principum Acta solenne est: sed punire eorum autoritatem necessariò secutos, nihil est aliud, quam necessitates temporum sub

malis & corruptis Principibus impositam, in culpam & pœnam convertere. Non videri egisse eum aliquid, qui egit aliquid ex inevitabili necessitate: Hanc autem esse in Principis mandato: qui ex necessitate agit pati magis, quam agere, ut loquitur Quintilianus.

Alii interim aliter & alia testabantur.

I. Quia, quod naturâ suâ & in se iniquum; nullo prætextu, nulla Principis jussione, nullo denique tempore defendi posse aut confirmari: Tale enim semper quidvis manet, quale in principio fuit; ac proinde quovis tempore, quod fuit iniquum, punire fas est.

II. Quia hæc una Principum eorumque qui ad assentationem omnia impia nefandaque persuadent ac moliuntur, certissima inter gentes omnes animadversio est, quòd illorum quidem Acta & Decreta post mortem rescindantur & pro nullis habeantur: Aulici autem Adulatores & intimæ gratiæ & authoritatis apud corruptum Principem viri, & scelestorum eorundem mandatorum exsecutores, coram Successoribus Principibus aut Republica ante actorum nomine rationem reddere cogantur.

III. Non excusare hîc Principis mandatum. Nam quamdiu quis amico & gratioso sibi Principe, interim in Rempubl. iniquo utitur, nihilominus ita necesse est uti, ut Principis iniquioris voluntatem & gratiam salute Patriæ, autoritate receptarum legum, pietate deni-

denique in commodum publicum non habeat antiquiorem.

Non Principi tantum ſatisfieri, ſed pariter & Reipubl. ſemper etiam oportere.

IV. Sceleris & iniqui mandati, non tam Principes quàm Conſiliarios eorum miniſtros meritò credi autores, cum horum fermè conſilia Principes ſequantur, cum ſine eorum miniſterio executioni dari non poſſint iniqua. Cum denique horum ſit, ſana & Reipubl. profutura conſilia Principibus ſuppeditare.

V. Quia, ut quod quis per alium agit, ipſe agere videtur, ita quod quis in propriam utilitatem & gratiam Principis, quanquam ex mandato ejus, iniquum agit, ipſe agere cenſeri debet.

VI. Si abolitis ſuorum Principum Actis Principes ipſi puniantur, cur horum Principum Miniſtri culpæ & pœnæ eximerentur, præſertim cum nullum jam mandatum ſit, quo ſe poſſint tueri? Nam iniqui Principis mandata omnia & decreta jam ſunt ſubverſa.

DECRETUM.

Poſtremæ hujus ſententiæ autoritate factum eſt, ut damnaretur Magnus Largitionum Comes, & ſuis ſumptibus illam ſine pretio pretioſam Beriſtiorum Eccleſiam è fundamentis excitare & reſtituere cogeretur.

EVENTUS.

Et ejus Decreti autoritatem Magnus ſequi neceſſe habuit.

JUDICIUM.

Cum nulla authoritas tanta ſit quæ naturam boni & mali poſſit intervertere; Cum Principes non ſibi ſed Reipublicæ ſint dati, & Principum Miniſtri ideò apud eos Rempubl. debeant adjuvare, & mortales ſint iniqui Principes, aut inſtabilis autoritatis; Reſpubl. autem & ejus Leges ſint æternæ: Nullum mandatum ſceleris avertit aut abſolvit pœnam. Præſtat enim id ſub iniquo ac valido jam Principe Miniſtris autoritatem: ſed ſublato eo, aut depreſſo inter Proceres aut ſucceſſores meliores, meritò exigit pœnam & ultionem.

DISQUISITIO.

Quid magis expediat Reipublicæ, ſatisfieri ſibi pati ejus nomine, quod in alios prætendit, & nuncium remittere prætenſioni; An verò non pati ut ſatisfiat, & continuò in alios prætendere?

CASUS X.

Ex horum temporum rebus petitus.

QUi inter Batavos ſunt ſocietatis Indiæ Orientalis Curatores, cum ſub initia iſtius expeditionis Anglis in Orientali India tunc agentibus & conatus Batavorum & fortunas, clandeſtinis quibuſdam inſidiis turbantibus; in nonnullos eorum captos ac prehenſos ut proditores

tores ultimo & atrocissimo supplicio animadvertissent, cæteris ejectis eâ ex Regione quam incolebant. Magnus Britanniæ Rex Jacobus, & post eum Carolus iniquè ac indignè hoc factum existimantes, subinde ejus societatis naves pretiosissimis mercibus onustas aut in mari ipso invadere, aut in portubus suis jure sistendi (Arrestum vulgò vocant) detinere non destiterunt. Quod cum ejus Societatis Curatoribus,& molestum accideret & damnosum; missis Oratoribus ingentem pecuniæ summam Magnæ Britanniæ Regi obtulêre, ut prætensione omni rejectá ac postposita, Batavis in Indiam Orientalem navigaturis pacem pristinam præstarent. Quæsitum est in Regio Consistorio, An expediret & pro publicâ Britannorum esset utilitate pecuniariæ uni summæ transcribere & permittere omnem in Batavos istos prætensionem?

SENTENTIÆ.

Ibi tum quidam cæteris omnibus rejectis oblatum pretium accipiendum esse censebant.

I. Summam oblatam ingentem esse, & quam si Magnæ Britanniæ Rex fortè aliquando aut invaderet, aut sisteret Batavorum istorum Naves, haud facilè, nec nisi post multos annos, nec nisi inter dubia & multa navalium præliorum certamina extorquere liceret aut referre.

II. Fieri Batavos illos in dies potentiores Commerciis istis & pomœriis auctis; & potentiores

tiores factos minora postea oblaturos, & facilius adversus Britannorum invasiones se defensuros. Maxima igitur ab infirmis nunc oblata à potentibus tanta non offerenda, nunc haud rejici debere.

III. Vix continuò & impune, eorum naves posse impugnari ob initam cum Batavorum Repub. pacem; non posse etiam eas, nisi in portubus magnæ Britanniæ sisti aut detineri: rarò autem, & non nisi tempestate coactos, in portus eos se recipere. rarò igitur offerri occasionem aliquid ipsis extorquendi; & proinde tantis jam pariter oblatis simul ac semel esse acquiescendum.

Alii contra tendebant, proferebantque rationes.

I. Jus Regium in subditis læsum pati ut pecuniaria summa in integrum restitutum credatur, contemptum inferre majestati. Nullam, quam vocant, proportionem esse inter delictum, & quod quantumvis maximum expiandi ejus nomine offerebatur.

II. Ut ut fiant Batavi isti potentiores, non posse tamen urgente necessitate, quæ non rarò offertur, commodissimo portuum Britannicorum receptu carere. Minimis etiam hic opùs habent potentissimi.

III. Rarò quidem occasiones sistendarum navium hactenus in portubus oblatas esse, sed offerri tamen posse frequentiores; & occasiones & injurias cœli ac maris æternas esse. Non igitur eas uni pecuniæ summæ transscribi debere,

IV. Ba-

IV. Batavos istos declinare expeditum quod Galliam inter & Britanniam est, peranguſtum fretum (canalem vulgo vocant) in Hollandiam iter; ac metu, ne in eo facilius naves à Britannis invadantur, longius iter ſectari, & per vaſta maris ſeptentrionalis ponè Hiberniam in patriam navigare. Quantò longius id iter eſt, tantò ſumptuoſius eſſe, quantò Septentrionalis illa maris pars tempeſtatibus & injuriis cœli magis obnoxia; tantò magis eos metuere ſibi oportere. Hactenus quidem feliciter ſatis ab eis navigatum, ſed ſi ſemel ac iterum tantùm jacturam navium & mercium precioſarum fecerint, quidni haùd dubiè & longè plura poſt oblaturos.

V. Prætendere longè plus & majus in Republica eſſe quam tranſſcribere Prætenſionem. Quidvis & ſemper exigere aliquid poſſe, qui læſus eſt & prætendit; qui ſatisfieri id ſibi patitur, unum aliquid ſemel accipit, & interim in offerendis poſt longè melioribus occaſionibus omnia amittit.

DECRETUM.

In poſtremam ſententiam plurimorum conſiliis itum eſt, & rejectis quæ offerebantur causa prætenſionis integra Magnæ Britanniæ Regi eſt reſervata.

EVENTUS.

Docet hactenus ille docebitque indies, id Conſilium Regno Britanniæ utilius extitiſſe.

JUDICIUM.

Non pretio vendendæ ac transscribendæ facilè sunt publicæ prætensiones, ubi prætendendi & exigendi, quod prætenditur, æternæ se offerunt occasiones. Quicquid semper potest, qui hic prætendit. Satisfactio hic est transscriptio occasionis omnis & juris. Contra interim se res in Republ. habet, ubi post rejecta, quæ in præsens offeruntur, nulla exsequendi aut exigendi juris occasio in posterum suppeditatur.

DISQUISITIO.

Quomodo Principes & Supremi Magistratus in domesticis Civitatum Controversiis oblatis, difficili præsertim & externis bellis impedito tempore, decidendis ad odium partium declinandum, prudenter se gerere debeant.

CASUS XI.

Cum Imperio Hispanorum excusso Fœderati Belgii Respubl. in corpus unum coaluisset, inter Civitates, ut fit, aut veteres controversiæ renovatæ, aut novæ de jurisdictionis præeminentiâ, aliisque ejusmodi rebus Ordinibus ac Auransium Principi plurimæ oblatæ sunt. Quæsitum igitur est, Quid hic fieri pro Republ. utilius ac constantius foret?

SEN-

SENTENTIÆ.

Divisæ illæ & non unius extitere argumenti.

Alii oblatas controversias ex æquo & bono aut autoritate decidendas existimabant.

I. Interesse justitiæ & æquitatis, ut cuique jus suum persequenti, satisfieret, etiam ex jure præscripto, quod nisi in imperiis præsertim novis seriò observetur & sedulò, adversam de iis inter subditos & alios excitari opinionem.

II. Interesse supremæ Imperantium autoritatis, ut eam interponant, ubi obscuræ vel Civitatum vel privatorum singulorum controversiæ offeruntur: neque liquet, pro qua parte potissimùm pronunciandum sit, in unam partem deflectatur; cum intersit Reipubl. ne perpetuæ sint ejusmodi lites. Quod si de privatis, de totis Civitatibus tantò magis est statuendum, cum harum lites plus turbarum ferè habeant conjunctum.

III. Interesse pacis publicæ, ejusmodi controversias impræsens terminare; quibus ex jure vel autoritate non decisis & libidini litigantium permissis, jus quemque sibi & autoritatem ferro & manu quæsiturum. Unde non nisi Civilia bella metuenda sunt.

IV. Haud facilè in Commune consulturos, quos privata causa dissociavit: ex Civitatibus autem constat ordinum Conventus, quibus inter se commissis nec placatis, quid tandem pro Republ. posse expectari?

Quæ quanquam æquitati innixa viderentur, Prudentiores tamen contra differebant, statuebantque pro Republ. facturum plurimum, Controversias ejusmodi differri potius, quam decidi, & interim tamen litigantibus satisfacere.

I. Decisiones eas non ad confirmandam pacem, sed infringendam esse comparatas. Nam utut ex æquo decidantur causæ, æquitatem tamen decisionis, victæ & succumbenti parti rarò persuaderi. Unde majus odium in partes, & in ipsos judices simultates. Quæ mala, si quicquam, in nova Republ. & in qua partium omnium consensu opus est, cavere inter præcipua habetur.

II. Esse interim modos quibus sine decisione partes reddi queant pacatæ, de quibus in Decreto dicendum erit. Lites enim tolli posse, causâ litigantibus integrâ relictâ.

III. Ex jure agere ac decidere, ut, ubi necessariò aliquid decidendum venit, æquissimum est, & ab eo deflectere, iniquissimum: Ita omnia & semper decidere necessarium non est.

Ita æquitatis curam Magistratibus mandatam esse, ut interim actionum omnium anima prudentia non intermittatur; quæcunque fiunt & deciduntur, justa esse oportere, sed quæcunque justa fieri & decidi semper, Reipubl. non semper expedire.

IV. In obscuris & dubiis Civitatum Controversiis autoritatem interponere, nihil esse aliud, quàm

quàm eam prostituere; quàm in victrici parte eam confirmare, in victa odiosam reddere & amittere.

Quod quanto cum discrimine, in nova Republ. præsertim, conjunctum sit, neminem nescire.

V. Cum salus populi suprema lex sit, propter commune omnium bonum jura singulorum differre utilissimum & pro omnibus legibus esse.

DECRETUM.

Ita censebatur, ut finirentur lites potius impræsens quam causæ. In quam rem pro diversa singulorum qui offerebantur casuum ratione diversi etiam modi placuere. 1. Ubi de usu hujus aut istius jurisdictionis, de Domino & possessione hujus aut istius loci controvertebatur, utenti hactenus & possidenti usum aut possessionem relinquere, tutissimum videbatur; Contrà urgentibus & prætendentibus cognitione causæ interim est satisfactum. Quæ aut nulli parti poterat esse ingrata, cum hac ratione ad decisionem tandem possit perveniri. Ita dilata ea cognitione, & in hos etiam dies tractâ, odiosa alteri parti futura decisio differebatur.

2. Ubi inter eosdem duæ controversiæ, utrique parti ita satisfactum est, ut quo ad præsentem usum alterum alteri, & ita utrique aliquid concederetur, donec, ubi Reipublicæ permitteret ratio, summatim & omnino utraque controversia definiretur.

3. Ubi de tali re controversiæ instituebantur,

tur, in cujus possessione ac usu fuerant nunc istæ hactenus partes, parti utrique aliquid relictum est, & administratio vel adjunctis eodem tempore ministeriis, vel per vices tempore diviso, donec deciderentur omnia, utrique parti concessa est. Quovis a. casu, si his protestationibus impræsens utrique parti satisfieri non posset, examussim protestatio permissa est & Exceptio, & ut valida in Acta publica relata est.

EVENTUS.

Quâ fiebat, ne de jure suo quicquam se amisisse, aut detractum sibi partes existimarent.

JUDICIUM.

In publicis controversiis, ubi pro vel contra (ut vulgò loquuntur) eas decidere cum odio conjunctum est; ubi annuere alii, periculosum; negare alii, non satis tutum :. differre præsentissimum remedium habetur. Quæ dilatio, quod minus invisa sit, facilè fiet illis modis qui in Decreto sunt explicati.

DISQUISITIO.

Quando & quomodo à supremis Magistratibus eorumque ministris vel Legatis in publica causa adversum alios protestandum sit.

CASUS. XII.

Ex concilii Tridentini Historia desumptus.

Cum ad absolvendas controversias, quibus Christianus Orbis tum agitabatur, jussu Pon-

Pontificis Romani Tridentum convenissent variorum Principum Legati, & Hispanus & Gallus, ut solent, de loco ejusque prærogativa contenderent; Quæsitum inter eos: Quid factu utilius foret, quo ne læderent aut minuerent Principum suorum Majestatem?

SENTENTIÆ.

Abeundum alii & excedendum rebantur eo ex concessu; in quo Principis sui locum non possent tueri.

I. Evenire Principi suo quicquid sibi.

II. Ubi quis sententiam pro authoritate dicturus sit, talem, qualis est agnosci oportere: qualis autem est non agnosci, nisi suo loco sententiam dicat.

III. Irrita omnia futura quæcunque deciderentur, nisi ex debito Principibus loco Principum suorum vota pronunciarent. Excepturos enim semper Principes, non ea se statuisse, quæ in haud idoneo & inconvenienti sibi loco contra mandatum statuerint Legati: Ubi enim mandatum non servatur, nolle Principes cæteris teneri. Jam autem Reverentiam Principis & æstimationem ante omnia observandam in mandatis se accepisse.

IV. Frustrà præsidium peti à protestatione, cum in ea non nisi inania verba sint & voces, & auribus tantùm præsentium excepta facilè transmittantur: manente interim facti exemplo in illis, quæ in loco alterius Principis Legati sunt prolata.

Alii

Alii exiſtimabant: Delecto à ſingulis per vices priore loco, utrique poſſe parti ſatis fieri. Cum enim utrique eadem ſibi deberi contenderent, iiſdem per vices tributis utroque pares & neminem poſtpoſitum videri.

Saniores ſtatuebant, ut quotidie primi occupantis primus fieret locus. permiſſa interim cuique ſemper adverſum præcedentem ſolemni formula proteſtationis.

I. Non etiam deſeri hinc conventus oportere: Agi, propter quæ convenerint, debere, neceſſe & in confeſſo eſſe. de modo agendi controverti tantùm, quem, quoad locum, facilem & iniquum nemini offerri poſſe, ſi providè expendatur.

II. Non enim per vices mutandum priorem quotidie locum, nam hac ratione non tolli controverſiam, ſed manere: Quis enim primus priorem locum ſit occupaturus. Sed & perpetuum neque interrumpendum jus Principum ſuorum à ſingulis urgeri: quomodo igitur, aut in quem uſum, ejuſmodi honoris vices præferrentur?

III. Proteſtatione igitur integra omnia ſingulis relinqui & ſalva. Hac enim fieri, ut quocunque quis conſideat loco, maneat qualis eſt, & haberi cupit, neque præjudicium fiat cujuſquam juri, cum nihil juri detrahatur.

IV. Verba quidem eſſe, ex quibus conſtant proteſtationes, interim tamen vim rerum etiam habere poſſe; neque eas inter præſentes tantùm audiri, aut oblivione tandem tranſmitti, verùm

verum durare imposterum & servati juris exemplum si in publica conventus acta simul cum aliis Decretis utriusque partis Protestationes referantur.

DECRETUM.

In postremam hanc sententiam plurimorum suffragiis conventum est.

EVENTUS.

Quotidie prior locus occupantis fuit, & quotidie protestatio posterioris renovata & actis publicis inscripta est: sublataque de loco controversia, magna pace de publicis negotiis est consultatum.

JUDICIUM.

Protestatio est, qua cujusque jus & permittitur alteri, & cuique servatur, qua fieri non videtur aut creditur, quod fit; qua denique quod factum impræsens est, ut non factum imposterum æstimatur. Itaque ingens ejus in Republ. usus est in controversiis his, in quibus sine magno odio aliud judicium non potest interponi.

Necessaria est, ubi, quemodo faciendum, quod necessariò faciendum est, intutum est decidere; Vim verò habet, ubi non in verbis tantùm consistit, quæ oblivione sæpè transmittuntur, manente interim facti alterius exemplo: Sed in Actis inter factorum monumenta suis formulis repræsentatur. Verba enim ut in negotiis publicis in se vana, ita rerum loco sunt, ubi actis rerum solemniter inseruntur.

DIS-

DISQUISITIO.

Si Privilegiis concessis subditi abutantur, aut ex iis improvisa oriantur mala, quomodo in iis vel tollendis vel corrigendis gerere se debeant Principes aut Magistratus.

CASUS XIII.

Ex superioris seculi historia Gallica petitus.

CUm Ludovicus XII. Princeps optimus ad Regni Galliarum habenas esset admotus, multa innovare ac corrigere instituit, quæ ut erant à præcedentibus Principibus indulta, ita magna in Rempubl. mala nunc derivabant. Inter alia, cum Professores & studiosi Academiæ Parisiensis paulò licentius agerent, freti privilegiis olim sibi indultis; de iis tollendis aut mutandis, aut aliter interpretandis in Consistorio Regis est quæsitum.

SENTENTIÆ.

Erant inter consiliarios Principis, qui statuere: Privilegia olim concessa nec tolli nec mutari facilè posse.

I. Jurasse Regem in præcedentium Principum acta; suadere fidem, ne decedat ab eorum accurata observatione, suadere prudentiam,

nc

ne suo exemplo infirmam reddat priorum Principum authoritatem, & in iis etiam suam, cum tanti quisque sit, qui succedit, quanti illum æstimat cui succedit.

II. Pleraque de quibus ageretur Privilegia, Principalis gratiæ esse munimenta, quibus sublatis aut restrictis, Regis imperium suspectum futurum ut crudele, saltem futurum invisum. Jam verò in initio saltem Imperii optimam esse Clementiæ & gratiæ famam.

III. Quibusdam Privilegiis sublatis in cæteros ituram suspicionem & metum, exemplo aliorum metuentes, ne & suarum ipsi immunitatum tandem etiam severitate Principis faciant jacturam.

IV. Non negare se, interesse Reipubl. ut abusus tollantur: Sed non ideo tollenda Privilegia: Sartis illis meliorem rationem corrigendi depravati moris posse excogitari: Integra illa Rex permitteret & interpretando talia declararet, per quæ præsentia mala possent præveniri: sine odioso enim nomine vel titulo optima agere optimum in Republ. censeri.

Alii Privilegia, ex quibus hactenus tanta malorum seges, omnino intercipienda esse asserebant.

I. Quia Regis antiquissimum & primum, bono Reipubl. dictum sacramentum.

II. Illis observandis teneri successorem Principem, quæ concernunt fundamentales Reipubl. Leges, quæ perpetuam causam habent, de quibus inter Principes & subditos solemni

lemni æterna formula contractum eſt & conventum: Non teneri interim ſemper ad obſervanda ſingularia, aut ſingulis vel quibuſdam Reipubl. partibus indulta: Non ad ea, quorum palam extant abuſus: Non ad ea, quæ pro diverſa temporum morumque ratione verti debent & mutari: Non denique ad ea, quæ à præcedentibus principibus importuna ſuorum ſupplicatione circumventis, malè decreta ſunt ac inſtituta. Si enim contra ſint, ſequentis Principis non tam Imperium eſſe quam ſervitutem.

III. Cauſam omnis Decreti tolli ac Decretum ſimul, ubi tollitur finis, vel ſperatus non obtinetur. Finem Academicis indulti Privilegii non alium fuiſſe, quam ſtudiorum promotionem: Eo aut corrupto aut non impetrato, haud cenſeri ea conceſſa, quæ conceſſa ſunt in eum finem, qui contrarius nunc obtinetur. Si non ſervant Privilegio ornati deferantque Principi privilegii finem, ad id ſervandum Principem non obligari. Tacitum eſſe quaſi hunc inter ſubditos & Principem contractum, ut in Privilegiis, ſicut uſus eorum ad ſubditos confertur, ita finis reſpondeat Principis exſpectationi: cujus contractus Leges ac conditiones reſpectu finis, ſi non obſervent ſubditi, cus Principes tenerentur?

IV. Neminem cenſeri damnum rebus ſuis imperiove ſuo inferri voluiſſe: atque ex his Principum indultis damnum eſſe manifeſtum. Proinde cenſeri, ea indulta præcedentes Principes noluiſſe: Imò cum indulgerent, Subreptitia & Obreptitia (ut in foro loquuntur) ſpecie

cie boni circumventos. Sic autem impetrata pro nullis haberi. Hæc verò talia esse, docere Eventum.

V, Si liceat Privatis ac Subditis non uti accepto privilegio, ubi aut nullum ejum usum, aut ex eo damnum præsentissimum vident; quidni liceat Principi datum aliquando non servare, si cum Reipubl. damno sit conjunctum? Privilegium enim non cogit impetrantem neque ideò etiam dantem: non enim deteriorem principum quam subditorum debere esse conditionem.

VI. Nullam ex his mutatis aut sublatis excitari posse inclementiæ famam. Non enim tam tolli gratiam privilegii quam damnum.

DECRETUM.

Placuit, ut privilegia per quæ peccatum est Academicis eriperentur.

EVENTUS.

Magni propterea motus in Academia Parisiensi, in qua aliquot Studiosorum millia tunc agebant, exorti; statim facta inter Professores & Studiosos conjuratione, ut illi non docerent, hi aliò se conferrent, donec privilegia restituerentur.

JUDICIUM.

Composita & antiquitus instituta in Repub. tollere periculosum. Interim quanquam vetera, quanquam olim concessa, si cum damno publico-

publico conjuncta sint, tolerare, sensim Rempubl. evertit. Itaque præstat interpretando corrigere antiquitus instituta quam tollere. In tollendo enim vis æstimatur & odio est. In interpretando optimus finis præfertur & facilè obtinetur. Et prudenter faciunt Principes & Magistratus, qui in omnibus Decretis, seu omnes illa, seu singulos concernant, in omnem eventum interpretandi sibi servant autoritatem. Sed & ubi ita poscit necessitas, salus Reipubl. supra Privilegia omnia est & Leges. Denique non aliis servandis Principes sequentes præcedentium autoritatis respectu obstringuntur, quam quibus Imperium & pax publica conservatur.

DISQUISITIO.

An & quomodo quis in Republ. ad publica consilia admotus, Consilii & Imperii eventus teneatur, ejusque nomine pœnam subire debeat.

CASUS XIV.

CUm Thebanis magni terroris bello Alexander M. immineret, *Arcades* auxilium illis præstiterunt, aliquot Civium millibus ad eos tuendos missis. Alexander autem, paulò post & Thebas evertit, & missa auxilia *Arcadum* ad internecionem cecîdit. Rogata est Sententia in publico Arcadum conventu, quid in

in hujus tam improſperi conſilii Autores eſſet ſtatuendum?

SENTENTIÆ.

Quidam hujus conſilii authores, ut culpæ exemptos, ita pœna eximendos ſtatuebant.

I. Quidquid conſuluerint bono in Rempubl. animo, bonum in finem eos conſuluiſſe. Sic enim & teſtari illos, neque adverſa poſſe ab accuſatoribus afferri.

II. Neminem unquam poſſe Conſilii ſui Senatu publico teneri. Cum enim multi ad conſilia vocarentur, credi aut unam omnium aut diverſas inter omnes ſententias futuras. Si una, cur plures ad publici Conſilii deliberationem vocarentur? Si diverſa, cur diverſa ſentientes punirentur, ob id quod ab aliorum conſiliis diſſenſiſſent; cum hic liceat, & ſolemne ſit diſſentire.

III. In omni jure ſemper placuiſſe, ut nemo præſtaret pœnam culpæ alienæ. Hanc autem non conſulentium culpam, ſed fortunæ & eventus eſſe.

IV. Quos tandem Conſiliarios pro Republ. futuros, ſi propter id quod agit potius fortuna, quam ipſi, qui in ſua non habent manu, Judicii ac pœnæ cogantur ſubire ſeveritatem.

V. Non eſſe pœnam, niſi ubi eſt delictum. Delictum hic non in Conſiliis eſſe, ſed in Eventu. Nam Eventum fortunæ eſſe, non Conſulentium; pœna igitur haud dubiè Conſulentes oportere eximi.

Con-

Contra alii & seriò instabant.

I. Non videri bono in Rempubl. animo hoc consilium initum esse, cum respectu tantarum virium Alexandri, & modici auxilii Arcadum, & infirmæ potentiæ Thebanorum, quæ nunc evenit clades jam ante facilè potuerit provideri. Itaque aut malignum aut improvidum eorum animum in hoc consilio extitisse: Si malignus: Quidni ut Patriæ Proditores? Si improvidus, quidni ut munia non bene administrantes, merito supplicio afficerentur? Malè gesti Magistratus inter omnes Gentes pœna est: quidni igitur etiam sit malè gestæ Senatoriæ dignitatis? Ad hujus munia spectat benè & providè Reipubl. consulere; non expleri, imò interverti munia, ubi è contra fit.

II. Neminem quidem præstare culpam alienam, sed hanc consulentium propriam, & consilii, non eventus esse. Et quidem, quando Eventus culpa est? Cum supra id quod quis potuit, quod debuit providere, quod providit, potuit Fortuna. Quando Consilii? cum improvidentia non satis expendit fortunam, & clades ideo irritavit. Propter futura & quæ fortunæ sunt, nemo tenetur, qui in consilio de rebus futuris ad præsentia omnia seriò attendit. Id autem hic non factum: neque enim præsens Alexandri vis est, ut oportet, æstimata: Itaque præsentium in consilio negligentes, futurorum, & eorum quæ secuta sunt, Autores meritò censeri.

III. Neminem Consilii teneri, etiamsi dissentiat.

ſentiat. (nam inter diſſentientes conſilia publica optimè expendi) Interim diſſenſionis hanc eſſe Legem : ut ſemper concors cum bono Reipubl. animus inter diſſentientium certamina ſpectetur. Modus ſaltem & finis Conſilii debent eſſe boni. Conſilia bona cum optimis vel melioribus, mala cum bonis hîc contendi oportere. Bonum eſt, cujus ratio aliqua ; optimum vel melius, cujus major : malum cujus nulla aut Reipubl. adverſa eſt. Propter bonum conſilium neminem teneri, licet ab aliis melius ſit ſuppeditatum: Licet plus gloriæ mereatur optima ſuadere, nihil tamen meretur pœnæ, bona tantùm ſuadere. At propter malum conſilium cum bono comparatum Senatorem haud dubiè teneri. Ratio pœnæ eſt, ubi rationem facti & conſilii reddere non poteſt, aut reddit Reipubl. adverſam ille, cujus eſt nihil decernere ſine profutura Reipubl. ratione. Hujus autem conſilii nullam rationem eſſe, imo omnem rationem contra militare : quidni ergo Conſilii tenerentur ?

IV. Sæpe uſu venit, ut qua fide, quo animo quis conſilium dedit, non appareat niſi ex Eventu. Quis enim nominatim conſulere audet quod eſt contra, Rempubl. Multa fiunt in Conliis ſimulatè. Itaque detecto Eventu, cur retro & in conſilium non inquireretur?

V. Deinde expedit, ut qui tanta fiducia de rebus tantis ſententiam dicant, prudentiam eam adhibeant, qua non ſolum de præſentibus verba facere, ſed & de futuris quaſi augurari

rari & vaticinari videantur. Meritò igitur Eventum imputari, non qui fortuna, ſed qui rationum uſu,& diſciplina Reipubl. poteſt debetque provideri.

VI. Si in quibuſdam ignorantia crimen eſt, aut quaſi crimen (uti JCti loquuntur) cur non imprudentia nonnunquam? Si per eam, ex legibus Romanis litem ſuam judex faciat, cur non Magiſtratus ſuum infortunium?

VI. Quæritur in iiſdem legibus Romanorum, An tutor præter fidem præſtare etiam debeat conſilium & Eventum; Cur igitur id dubium erit in Senatore, in Magiſtratu, cui Tutela & cura Reipubl. eſt mandata?

DECRETUM.

Placuit poſtrema ſententia, & ultimo ſupplicio affecti ſunt mittendi Thebanis auxilii & ab Alexandro profligati Autores.

EVENTUS.

Poſt eam pœnam cautiores in expendendis Reipubl. negotiis ſuiſque Conſiliis alii exſtitere.

JUDICIUM.

Utile imprimis ac neceſſarium in Republ. eſt, à Conſiliariis præſtari illum rerum Eventum improſperum, cujus cauſa extitit adverſa potius in conſulendo ratio, quam in agendo adverſa fortuna: Nam hic conſulentibus culpa eſt & ideò pœna. Ita à cordatis gentibus ſemper

per

per judicatum est. Unde pariter discant Senatores, tutiora illis esse cauta & tuta pro Republ. quamvis modica consilia, quàm magnifica & Reipubl. pariter ac consulentibus ancipitia.

DISQUISITIO.

Si utrinque aliquid Principes aut Populi, aut Civitates prætendant, quo ordine, quaque ratione in dirimendis illis controversiis sit procedendum.

CASUS XV.

Ex superiorum seculorum Batavica historia petitus.

FLORENTIUS Hollandiæ Comes V. ejus nominis à Geldrorum Principe quædam sibi deberi contendebat. Rursum Geldrorum Princeps eadem tempestate ab Hollandiæ Comite nonnulla sibi præstanda esse asseverabat. Justa erat utriusque prætensio. Convenere igitur de his rebus acturi utriusque Principis Legati. Quæsitum ibi ante omnia est, Cujus causa, an Geldri, an Hollandi, prius agitari & decidi deberet?

SENTENTIÆ.

Ut divisæ partes erant: ita divisæ opiniones. Hollandi primùm hic suam causam excuti, suaque sibi adjudicanda magnopere urge-

 bant;

bant; suum enim Principem Geldro majorem, ut pote qui non tam Principis quam tutoris titulo nunc uteretur. Geldri contra suam prius vocandam sub examen, sibique satisfactum ante omnia cupiebant. Nam eos non sine causa incesserat metus, ne, si primùm Hollandiæ Principi adjudicassent quæ prætendebat, Hollandiæ Princeps beneficio decisionis pro se factæ uteretur, quo impetrato prætensiones Geldri Principis aut rejiceret, aut (ut ita dixerim) indecisas relinqueret.

DECRETUM.

Post multas altercationes utrique parti abunde satisfactum est. Quò enim utraque pars essent secura, sive hujus, sive istius causa prius decideretur; placuit communi consensu, ut primò decisa irrita haberentur, si posteà alteri parti in suis eodem modo, eadem æquitate non esset satisfactum.

EVENTUS.

Ita factum est ut vim decisionis prius decretæ pars quæque sua adhuc in potestate servaret. Ita factum, ut utraque pars sua interesse existimaret, ut sive primò, sive pòst alterius voto satisfaceret. Neque enim decreto hoc facto uni satisfieri poterat, nisi alteri esset satisfactum.

JUDICIUM.

Optima illa est & tutissima agendi ratio in publicis controversiis, in quibus utrinque alius quid ab alio deberi sibi prætendit, nunquam abso-

absolutè aliquid alteri parti in initio adjudicandum, sed ea conditione agendum est ac Lege, ut nisi nobis nostrisque post satisfiat, nihil jam ante pro aliis decretum aut factum censeatur. Sic omnia simul agi non possunt eodem temporis momento aut expediri, prudentiæ præscripto in omnem utilitatem, omnia pariter conjungantur. In supremis Angliæ Conventibus seu Parlamentis hujus consilii tutissima ratio semper habet locum. Cum enim in iis plurima sæpè offerantur, quæ aut Rex à populo & proceribus, vel populus & proceres à Rege deberi sibi contendunt, quo ne Rex pro se Decretis initio tantum utatur, in more positum habent nihil æstimare & irrita habere priora illa Decreta, nisi in sequentibus pro populo aut proceribus factis Autoritatem etiam suam & assensum Rex velit commodare Nullum isthic Decretum valet, nisi omnia valere intelligantur.

DISQUISITIO.

Quomodo se gerere debeant populi aut Civitates, quarum modicæ & infirmæ sunt vires, ubi à vicinis Principibus potentiâ superioribus insigni aliqua injuria afficiuntur.

CASUS XVI.

Venetorum Amplissimæ Ditioni proxima erat Civitas *Verona*, quæ alterius Principis

 impe-

imperio non obnoxia, ſuos ſibi Principes habebat, inter quos ea tempeſtate *Martinus Scaliger* erat. Veronenſes autem injuriis multis à Venetis tunc vexabantur; interim Veneti erant longè potentiores. Quæſitum igitur eſt, Quid Veronenſium populo hoc rerum ſtatu agendum foret?

SENTENTIÆ.

Ad arma à quibuſdam conclamatum eſt.

I. Injurias graves eſſe à Venetis inflictas, & ideò bello juſtiſſimam cauſam offerri.

II. Graviores injurias priores ex facili tolerantibus continuò imponi. Itaque ferro in principio obviam eundum eſſe iniquitati.

III. Modicam quidem eſſe Veronenſium reſpectu Venetorum potentiam ac propemodum nullam. Interim quantum ad cauſam ſuam tuendam præſidii Veronæ deſit, tantum vicinos facilè collaturos; qui Veronenſibus victis ac exutis eadem mala expectare neceſſe haberent, quæ Veronenſium populo à Venetis nunc imponerentur. Non ſuum igitur hoc tantum, ſed vicinorum omnium futurum bellum.

IV. Suis defendendis ſe eſſe ſatis pares; parum ad defenſionem ſumptuum requiri: poſſe offenſionem, quæ majoris impenſæ ſit, intermitti: offenſuros interim Venetos magnis cum impenſis; harum tædio, quis tandem dubitet, in æquas conditiones eos deſcenſuros.

Alii alia & Contraria in medium afferebant.

1. Non dubitari cauſam belli juſtam eſſe, ſed nec

nec hoc impræsens quæri; at illud nunc agi, an ferro tueri causæ æquitatem &expeririReipubl. impræsens expediat? Causam belli potentiores sæpè quærere & dare, quò belli beneficio intendant magnitudinem suæ fortunæ. Infirmiores interim si cauti sint, aut dissimulando eam non agnoscere, aut alia ratione quam ferro transigere debere. Non causam hic æquam cum inqua, sed vim cum vi, maximam cum infirma contendi oportere, quæ si minor penes optimos, optimos fere bello cum potentioribus commissos involvi pessimæ sic fortunæ. Justam causam Deum tueri, sed non minus quavis in causa prudentiam hominibus ab eodẽDeo esse mandatam.

2. Ferre potius injurias essè consultum, aut alia ratione amoliri, cum majus ex bello etiam felici damnum quam ex toleratis præsentibus injuriis sit expectandum. Frustrà proponi metum graviorũ injuriarũ: Si in his consiliis quicquam valeat metus, cur non ille in bellũ potius & sumptuosum & forsan improsperum extenderetur?

3. Quid aut quare vicinorum potentiæ aut subsidiis innitendũ esse existimarent? Nam hæc omnia incerta, quorum spe & fiducia quis prudens certum bellum & intulerit & irritarit? Sperari auxilia posse ubi exspectatur bellum, (spes enim & metus tunc sunt pares) sed certa & ad manũ esse debere auxilia, ubi jam bellũ infertur.

4. Interim quanta Veneti nominis potentia sit, quam Veronensium propemodum nulla, seriò cogitarent.

5. Quin verò etiam dividerent omnem hujus

belli Eventum; aut victos in eo, aut victores futuros Veronenses. Si victi, cur non à bello simul & clade abstinerent? si autem victores, an ideo omnino victi Veneti & debellati? an ideo pax composita? an non Veneti quotidie potentiores insurgere possunt adversus cladem? an non diutius illi impensis suis improsperum etiam bellum possunt sustentare, quam Veronenses felix & fortunatum? haud dubiè. Quovis igitur eventu bellum esse intutum.

6. Ne defensioni quidem Veronenses domi suffecturos: durante bello, intercepta cum Venetis commercia, populandum parentem agrum, in quo civium plurium positæ fortunæ haud dubiè offerri. Potius igitur Arbitros eligerent alios Principes, à quibus intercedentibus controversiis imponeretur finis; potius apud Venetos repeterent novas supplicationes, & Legationes, potius aliquid permitterent eorum votis, quam omnia incertæ fortunæ: potius instar belli quam bellum deligerent, & jure talionis privatæ quam publicæ uterentur: Quod si tamen bellum indicant Veneti, sequendam esse necessitatem, quâ nondum ab ipsis indicta aut oblata, omnem eam consilio præviniri posse, & oportere. Interim qui bellum cogitant, & iniquam habent belli causam, malle inferri, quàm inferre, ut non tam quæsitum ab illis bellum, quam ab aliis oblatum & indictum esse videatur.

DECRETUM.

Postposita est mitior hæc, & haud dubiè melior sententia, bellumque Venetis indictum est.

EVEN-

EVENTUS.

Veronenses eo in bello sæpiùs victores exstitêre: tandem tamen omnibus penè & publicis & privatis fortunis inter belli tot impensas exutos sese deprehenderunt.

JUDICIUM.

Si infirmiores sumus, nunquam bellum consultum putare debemus cum potentioribus, qui diutius vinci possunt quam nos feliciter pugnare, ubi victoria gloriæ magis est quam usui, & præsentis prælii Eventum potius quam belli finem, aut causam absolvit. Denique ubi victoria parum aut nihil victo nocet, & victori tantum est sumptuosa, pro ejusmodi bello quidvis potius agendum est.

DISQUISITIO.

Qua ratione Populi Civitates, Respubl. adversus Principes suos, legibus adstrictos, nimia affectantes, commodissimè sine invidia ac odio tueri possint, ac conservare pristinam debitamque sibi libertatem.

CASUS XVII.

Ex Veteri historia Veneta desumptus.

Statim sub initia creatorum apud Venetos Ducum nonnulli eorum per illos quos in Senatu addictos sibi habebant, majora concupiscere, ad minuendam Reipubl. libertatem suamque

potentiam augendam, cœpêre. Qui in Senatu ejuſmodi relationibus ac conſiliis obſtabant, apud Duces & alios delati,aliunde quæſito pœnæ prætextu, vita & fortunis identidem exuebantur. Quæſitum igitur tandem eſt. Qua ratione & Libertatis, & eandem tuentium Senatorum ſecuritati proſpiceretur?

S E N T E N T I Æ.

Erant, qui inter iſta, magnum & invictum & conſtantem pro Republ. ſufficere animum adverſus alios putabant: quibus objectum, bene quidem illum ſe habere animum, illum neceſſarium eſſe, ſed nec ſufficere, nec ſatis eſſe tutum. Non tutum eſſe opponentibus ſeſe adverſus illos,quiDucum authoritatem ſupra libertatem Reipub.vellent evectam. Nam,quod experiundo jam cognitum, Principibus aut Ducibus ſe opponentes,odio illorum,continuò laborare; quo metu futurum,ut in pleriſq; contumax ille pro libertate animus facilè expugnetur. Neque id etiam ſufficere, cum lapſu temporis deficere poſſint Libertatis Patroni, nec de animis poſterorum eadem certò ſperari poſſint, quæ de animis præſentium, qui ex æquo & bono nunc gererent pro Republ.Senatorias dignitates. Itaque conſtituendum eſſe aliquid æternum; aliquid, cui præſentes &poſteri continuò obſtringantur: aliquid denique, quo ſine ullo vitæ ac fortunarum diſcrimine aſſeri poſſit, nunquam minuenda aut violanda Reipubl. Libertas. Illud autem omne poſitum eſſe in quadam condendarum legum æternitate.

DE-

DECRETUM.

Placuit, ut pro libertate Lex duplex æternùm Reipubl. profutura, & idcircò æternùm observanda decerneretur.

LEX *prima fuit:*

Quicunque post hæc ea ad Senatum aut in Senatu rogaverint, quibus Libertatem Reip. ac Senatorum autoritatem imminui aut quassari posse deprehendatur; pro magnitudine relatæ aut rogatæ rei vel perduellionis rei, vel instabiles ac infames, omnesq; eorum posteri censerentur.

LEX *secunda.*

Quicunque de hac prætendente Lege abroganda, quicquam unquam retulerit ad Senatum, capitale ei perpetuò futurum.

EVENTUS.

Ex eo tempore facto Decreto servatoque, salva permansit & integra publica libertas. Nulla Senatoribus Rempubl. sub Ducibus curantibus pericula diutius imminebant. Nam nihil contra has leges imposterum rogabatur, cum nemo pro Principum authoritate augenda ageret, nemo se iis opponeret, unde securitati singulorum Senatorum provisum.

Princeps Legi irasci poterat, non tamen eam infringere. Interim irasci non poterat tuentium Legem personis.

JUDICIUM.

Laudatissima hæc & perpetui usus est agendi ratio, quam si Resp. aliæ quædam essent secutæ,

non viderent hodie infra Principes projectam Procerum aut populi Libertatem. Equidem nunquam deest Principibus ambitio ad augenda ea quæ habent. Nunquam igitur deesse Lex debet, frænum nocentissimæ ambitionis. Nunquam etiam illis desunt sui Assentatores, publicæ hostes libertatis. Nunquam igitur relinquenda illis occasio qua assentando cum damno Reipubl. Principibus possent prodesse. Nunquam deesse debent vindices Libertatis: ut nunquam desint semper securi esse debent. Securi autem fiunt per ejusmodi Leges, quæ non tam horum aut istorum Curantium impræsens Rempubl., quam ipsius Reipubl. esse existimantur. Malè agendi aut proponendi præcidenda est omnis occasio, præsertim in supremo Reipubl. Senatu. Ita enim malis se opponere boni & malorum odium incurrere & insidias necessè non habebunt. Præstat in Republ. denique facere non peccaturos, quam opponere se illis, qui peccarunt.

DISQUISITIO.

An semper utile sit in Republ. accusari nocentes & puniri, quanquam gravissimorum scelerum compertos.

CASUS XVIII.

Ex Veteri Græca historia petitus.

ARistides contra *Mardonium* illo tantopere celebrato prælio pugnaturus, accepit nobiles

les quosdam, præcipuæque viros autoritatis, qui de defectione cogitarunt. De qua cum *Aristidi* certò jam constaret, quæsitum in Senatu est: quid fieri contra eos ac decerni oporteret?

SENTENTIÆ.

Accusationem alii & pœnam magna contentione postularunt. Quid enim defectione ac proditione periculosius? quò gravius & majoris discriminis crimen, pœnam graviorem: Quò majus criminis in omnes exemplum, minus pœnam in singulis transmitti oportet.

Alii contra, alia ratione, quam pœna cohiberi, & sisti defectionem meditantium conatus posse rebantur. Namque eam temporum esse conditionem, eumque rerum statum, ut nemo esset exasperandus, nemo insimulandus facilè, ne quod simularunt, accusationis metu ac gravissimæ pœnæ, seriò conficerent; pœnam omnem pro Republ. adversus Reos esse repertam; Quare si pœna imposita Respubl. lædatur, aut quasi ipsa puniatur, potius ab ea abstinendum.

DECRETUM.

Placuit plurimorum consensu, ut palam ostenderetur, detectam quidem esse conjurationem, nec tamen agnosci conjurationis conscias illas personas, quæ haud dubie defectionem jam cogitabant, quæ nimirum rei metu consternatæ, nec interim pœna exasperatæ intermitterent scelus, quod nec exequi jam commodè poterant quia detectum, nec exequendi necessitatem impositam sibi videbant, accusatione intermissa ac pœna,

EVENTUS.

Ex conjuratoribus octo ſunt comprehenſi & in vincula conjecti : proximo tamen die dimiſſi illi ſunt, quaſi innocentes. Dimiſſionis cauſam hanc præ ſe tulit *Ariſtides*, quod cauſam accuſationis & pœnæ in illis non reperiſſet : addito, proximo prælio cujuſque ignavia & virtute rem eſſe dijudicandam, & temere ſuſpectam famam reſtituendam ſe ſperare : Ita intermiſſo Conſilio defectionis omnes in officio contenti ſunt, & fortiter pugnavere.

JUDICIUM.

In Republ. plura ſcire quam exequi & ſæpè providere utilius adverſus irrupturam culpam, quàm poſt culpam, aut ob cogitatam, pœnam inferre. Sæpius præſtat videri inveniſſe quam feciſſe. Meditatam ab aliis culpam ferè ſiſtit, qui ut cognitam; ita non creditam oſtendit: cognitam, ut ab ea abſtineatur : non creditam, ne injecto pœnæ metu deſperatione ad eam exequendam facinoroſi impellantur. Periculoſum igitur eſt, viam accuſatoribus præcludere : aperire etiam omnibus adverſus omnes & quovis tempore nonnunquam eſt periculoſius & mala incendit. Sunt enim, quibus metu accuſationis & pœnæ ſatius eſt, & potius videtur, hoſtes ſe Reipubl. quam reos appellari.

DIS-

DISQUISITIO.

In Controversiis diversi Imperii Subditorum, quæ secum trahunt causam publicam & pacem, quando & quomodo publica privatis anteponenda sint.

CASUS XIX.

Ex horum temporum rebus consiliisque selectus.

CUm Indiæ Orientalis Societas pariter & in Anglia & in Hollandia auspiciis publicis, sumptibus autem privatorum esset instituta, & utrinque damna sibi invicem illata, Angli & Hollandi quererentur; (Qua de re alia quædam, disquisitione decima dicebamus) quo utrique parti satisfieret: quæsitum nuper admodum est, an in hujus causæ cognitione singulorum privatorum, quæ damnum sibi accepisse videbantur, querelæ audiri, damnaque expendi deberent particulatim.

SENTENTIÆ.

Alii affirmabant.

I. Privatorum curam Magistratibus ante omnia esse mandatam, cujus curæ magnam in eo versari partem, ut ex præscripto æquitatis, non minus privatæ quam publicæ injuriæ æstimentur, præsertim cum in damnis, quæ privatis imponuntur, etiam Respubl. laboret.

II. Totam hanc controversiam non publicam esse sed privatam. Principes & Magistratus supre-

mos

mos res privatorum in poteſtate ſua habere, imperio, non dominio. Imperio, ut bene utendi Leges autoritate publica privatis præſcribantur. Non Dominio, quia alienandi res privatorum Principes non habent poteſtatem. Alienationis autem ſpeciem eſſe abolere actiones privatorum in alios privatos, & ſarciendi illati damni pœnam, aut neceſſitatem illis remittere, qui aliis damnum & noxam intulere. Hoc enim quemque in bonis quaſi habere, quod juſta actione in alium prætendere & experiri poteſt. Quod enim ajunt JCti, minus eſſe habere actionem, quam rem, de lite non de Judice eſſe intelligendum, cujus judicis eſt agere, ut rem ſuam conſequatur ille, qui adverſus alium legitimam inſtituere poſſit actionem. Actione igitur privatorum abolita, videri rem & poſſeſſiones proprias eripi privatis.

Alii Negabant.

I. Privatorum quidem curam Magiſtratibus demandatam & damnum & pauperiem cordi eſſe oportere. Verum cura illa, ut ſemper ad æquitatem ſe extendit, ubi ſatisfieri æquitati poteſt: ita non ſemper totius æquitatis, ſed pro neceſſitate quantum per alios licet, ejus habet rationem. Totius æquitatis, ubi inter eoſdem ſubditos: Neceſſitatis, ubi inter ſubditos diverſæ Reipubl. diverſique potentioris fori controverſiæ excitatæ ſunt.

II. Sed & curam haberi ſubditorum non tantum cum ſarciuntur illata damna: ſed, ubi ali-

aliter non licet, cum publica translatione majora imposterum damna præveniuntur.

III. Interesse Reipubl. ne inter Angliæ & Hollandiæ subditos perpetuæ sint lites: Ex iis enim majora mala & bella evenire facilè posse. Quidni igitur illa pacto publico postpositis caussis singulorum privatorum prævenirentur? Quid? quod in Republ. singuli juvent, & quicquid in privatos peccatur, utilitate in publicum pensetur.

IV. Non Dominium hic in res privatorum sed imperium, ne quis re sua malè utatur: quidni providerent impræsens, ne quis actionibus suis adversum alios cum damno Reipubl. abutatur.

V. Nullam aliam decisionem inter has tot annorum lites esse expectandam: tantùm autem & perpetuò litigare, nihil utilitatis; semper damnum habere. Præstat igitur decidi eas & terminari aliqua ratione, quam nulla, ubi in Republ. æterna affertur litis causa, inter privatos cum privatis subditis, Fœderatorum Reip. interesse, ut rejecta cognitione privatæ causæ, quæ infinitum se exporrigit, liti saltem finis imponatur. Denique ubi ob partium, in quas Imperium non est, contumaciam æquitas valere non potest, valere debere, ac præferri pacti alicujus mutui & publici autoritatem.

DECRETUM.

Ita nuper inter fœderati Belgii Ordines & Magnæ Britanniæ Regem statutum est.

EVEN-

EVENTUS.

Hactenus ille nullus, dum alia utrinque & majora negotia offeruntur, sed si exequantur, id Decretum ut non est dubium, suo tempore id eos executuros, quis dubitet quin utilissimum sit futurum.

JUDICIUM.

Ego existimo Civitatem, cujus universus status incolumis est, majorem utilitatem privatis hominibus omnibus offerre, quam si singulorum Civium felicitas privatim floreat, ipsa verò publica jaceat afflicta. Qui enim privatim feliciter vivit, si patria turbetur, ipsum quoque simul perire necesse est. Qui verò in Republ. florente, non adeò secundis utitur rebus, is tamen in florente Republ. adhuc conservatur. Duæ Respubl. inter omnes Italiæ Civitates hodie imprimis florent, Venetiæ, & Genua: ita tamen ut Veneti Genuensibus longè sint superiores. Disparitatis unica ista causa est, quòd omni tempore publicam rem magis quam privatam Veneti curarint, ditarintque; Genuenses contra, dum privatarum facultatum maximè habuere rationem, publicas ad paupertatem mirandam detrusere; ex qua factum est, ut Veneti semper manserint liberrimi: Genuenses autem, nunc domesticorum, nunc finitimorum tyrannidi & direptionibus obnoxii continuò fuerint. Cum igitur Respublica privatas quidem singulorum calamitates sustinere possit: singuli verò privati publicas ipsius calamitates nullo

nullo modo ferre queant, convenit eos qui de Republ. consultant semper majorem totius, quam partium curam ac rationem habere.

DISQUISITIO.

Cujus Principis patrocinio in dubiis rebus infirmior Resp. tutissimè sese credere poßit ac debeat.

CASUS XX.

Ex Belgica Historia desumptus.

DEfecerant Fœderati Belgii Provinciæ ab Hispaniæ Rege. Erant in initio modicæ illarum vires aut nullæ. Itaque necessariò ad alienum præsidium patrociniumque erat confugiendum: quæsitum est igitur, cujus potissimum patrocinio, An Imperii Germanici, an Galli, an Angli credere sese deberent?

SENTENTIÆ.

Ad Imperium Germanicum haud confugiendum plerisque videbatur:

I. Quia Cæsar consanguineus Hispani, parum bona fide adversum Hispanos causam tutaturus videbatur.

II. Quia diversæ Religions Cæsar, cum Bellum Hispano Libertatis causa esset indictum, quæ, ut ad omnia, ita ad sacra se extendebat potissimum.

III. Quia potissimæ Fœderatorum vires ex navigationibus & commerciis erant petendæ,

dæ, in quibus aliarum potius quam Imperii ditionum usus erat. Non ad Imperii etiam Principes quosdam confugere placebat, cum aut diversæ essent Religionis, aut si alterius qui essent, viribus infirmi: & non passurus Cæsar credebatur, ut Imperii Principum aliquis adversus Hispanos causam ageret Fœderatorum.

Galli quoque Patrocinium à plerisque rejectum est.

I. Quia Galli dissensionibus inter se domi ipsi nunc committebantur. Malis autem suis curandis impar, quomodo curaret aliena?

II. Quia Galliarum Rex transactione Belgarum res facilè concessurus, addicturusque Hispanis videbatur, ut Mediolanensem Ducarum in Italia, aliasque ibi ab Hispanis occupatas ditiones, quas suas esse prætendebat, continuò recuperaret. Quem metum intendebat levitas Gentis Gallicæ, & quia jam experiundo sæpe erat cognitum, Gallos Hispanis iniquis pactis bonam causam & faventem fortunam aliquoties transcripsisse?

III. Quia facilè Gallorum ditio undique ab Hispanis poterat invadi. Quod si fieret, ut id factu erat promptissimum, quæ tandem ex Gallia ad restituendas Belgarum afflictas res subsidia essent expectanda?

ANGLIÆ *itaque Reginam, ejusque opem plerique omnes prætulere.*

I. Quia ejusdem religionis illa. ac proinde eidem innexa causæ.

II. Quia

II. Quia proxima Magnæ Britanniæ Fœderatis Belgis ditio erat, quam ſubverſis Belgarum rebus vix admodum tueri ſe poſſe adverſus Hiſpanorum, omnibus & illi potiſſimum inſidiantium conatus conſtabat.

III. Quod integris jam viribus eſſet Angliæ Regina, ac proinde paribus ſuſtentandæ Fœderatorum fortunæ.

IV. Quod in eadem ditione portus eſſent longè commodiſſimi, quorum tantò faciliorem ac conſtantiorem uſum futurum, quanto propius Anglico jam fœderi Fœderati Belgæ innectèrentur.

V. Quia, quanquam exorto cum Hiſpanis bello, non facilè ab Hiſpanis invadi Anglia poterat aut turbari: Itaque Anglum domi cum Hiſpanis non commiſſum foras juvandis Fœderatorum rebus idonea ſubſidia ſubmittere ac transferre poſſe.

DECRETUM.

Ad ANGLIÆ Reginam itaque itum eſt, patrociniumque ejus & petitum & acceptum.

EVENTUS.

Ejus patrocinio dehinc plurimum debuere auctæ promotæque Fœderatorum Belgarum res.

JUDICIUM.

Nemo Principum alacrius, melius, aut conſtantius agit cauſam, quam qui in ea defendit pariter & agit ſuam. Inter res itaque infirmas

ac

ac ancipites ad talium patrocinia tantùm est confugiendum.

DISQUISITIO.

Quomodo & quando post bella civilia sepulta valere credantur, quæ belli & victoriæ jure à victoribus concessa aliis, aliis erepta sunt.

CASUS XXI.

Ex Veteri Alexandri Magni Historia depromtus, maximique in horum temporum bellis Civilibus usus.

CUm Alexander Magnus evertisset Thebas; invenit Tabulas, quibus continebatur, Thebanos C. Talenta Thessalis mutuo dedisse. Thessalique debebant C. Talenta Thebanis. Alexander in gratiam Thessalorum, quia eorum Commilitio aliquandiu usus erat, tabulas illas reddit Thessalis, summamque debitæ ab iis pecuniæ singulari beneficio remisit. Postea cum fortunæ iterum suæ restituti essent Thebani, Actionem adversus Thessalos instituêre: petieruntque ut C. Talenta illa ex mutuo sibi debita redderentur. Thessali abnuebant reddere, cum beneficio & autoritate Alexandri totum illud debitum sibi remissum esse constanter asseverarent. Quæsitum igitur est, inter politissimas Græcorum Civitates, quibus ejus rei judicium

cium erat delatum; Quorum potior esset ratio, an Thebanorum, an Thessalorum.

SENTENTIÆ.

Pro Thessalis dicebatur;

I. Esse ea C. Talenta mutuò sibi remissa ac condonata ab Alexandro, eam ob rem redditas sibi ab eo tabulas quibus debitum id continebatur. Hoc enim modo videri, qui debitori chirographum reddit, debitorem liberasse.

II. Quod hic fecisset Alexander jure belli, jure militiæ fecisse, quo Regna, quo Populi, quo fines Gentium atque Urbis continentur. Jus belli, quanquam ab æquitate alterius deflectat juris, suo tamen titulo, æquissimum inter omnes nationes censeri.

Pro Thebanis contra afferebatur:

1. Id eos reposcere, quod vi sit ablatum.

2. Jus belli quod attinet, in iis quæ in judicium trahuntur nihil id valere.

3. Quæ armis tolluntur, nisi armis non retineri; itaque ubi illa valeant, ibi non esse Judicem: ubi Judex sit, illa nihil valere. Non alia ratione captivos liberos ac ingenuos esse, quia bello parta, non nisi bello possidentur.

4. Sed & quod ab Alexandro donatum est, tale fuisse, quod à victore non potuerit donari. Quia id demum victoris est, quod & quandiu teneat. At jus in tabulis fuisse, quod incorporale est, nec manu potest apprehendi, ut JCti loquuntur. Aliam enim hæredis, aliam victoris esse conditionem. Ad illum jus, ad hunc res & corpora tantum transire.

5. Pro

5. Pro Thebanis etiam dicebatur id creditum, quo de agitur, publicum fuisse, non privatorum. Quam ob rem jus publici crediti non potuisse transire ad victorem; quia quod populus credidit, debetur omnibus, & quamdiu quilibet superest ex privatis, esse & censeri totius summæ Creditorem Jam verò non omnes Thebanos fuisse victoris Alexandri: quidam enim enim eorum aufugerant, quibusdam, qui cæterorum restiterant defectioni, pepercerat Alexander.

6. Si tabulæ concessæ sint non ideò perpetuò concessum videri, quod in iis tabulis continetur, nam neque jus in tabulis versari, sed ex tabulis per juris prolationem.

DECRETUM.

Quid in eam rem pro Thessalis aut Thebanis decretum sit, veteres autores non prodidere. Si interim ad similia similium controversiarum exempla inter veteres attendamus, vix cuiquam dubium manere potest, quin pro Thebanis adversus Thessalos factum fuerit Decretum. In quam rem extat exemplum editum inter Romanos post pugnæ Pharsalicæ eventum; controversia erat inter Flavium quendam Romanum & Therachinos. Flavius multa deberi sibi contendebat à Therachinis ejus nomine ac titulo, à quo hæres erat institutus. Therachini non inficiebantur, se ei debere, sed allegabant æs alienum à Cæsare sibi esse remissum ac donatum. Controversia delata est ad arbitrium Cice-

Cicceronis, cujus Sententia Therachini succubuere, jussique sunt Flavio ea reddere quæ debebantur.

JUDICIUM.

Meritò aut ita decretum est, aut ita debuit decerni. Nam in Civilibus dissensionibus ac turbis, jura singulorum commutantur, neque etiam ea jura universitatis, quæ cum bellis Civilibus nihil habent commune, & non tam in armorum vi, quam in judiciorum quadam æquitate versantur.

DISQUISITIO.

Vbi initum cum aliis publicum & solemne pactum, & in observatione ejusdem pacti multa Reipubl. nostræ damnosa experimur; Quomodo pro Reipubl. salute, nec tamen violata fide, Consiliorum rationes sint instituendæ.

CASUS XXII.

Ex Historia Batavica selectus.

PActo inter Belgas Fœderatos & Angliæ Reginam Elisabetham, ut causæ Fœderatorum patronam, inito, convenerat inter alia, ut supremo tunc Fœderatorum Conventui, quem *Concilium Status* vacant, Legatus Elisabethæ continuò interesset, quæcunque quo Republica decerne-

cernerentur auditurus ipſe ac inſpecturus. Interim Angli, quorum magna in ſubſidium miſſa erat manus, plurima inſolenter adverſus Ordinum autoritatem & populi libertatem diverſis in locis atque negotiis agitabant. Earum rerum cognitio ad ſupremum illum conventum ſpectabat. Intererat Reipubl. ut ejuſdem conventus authoritate, nimia Anglorum petulantia & uſurpatio cohiberetur. Quod quam neceſſarium erat, tam de iis hiſcere in eo conventu vix tutum præſente Anglorum Legato, qui ſuorum potius quam Fœderatorum cauſam promoturus, proinde metuebatur. Quæſitum igitur eſt in Hollandiæ Ordinum Provinciali conventu: Quid in hoc tam arduo ac difficili negotio fieri oporteret, quo & ſatisfieret Libertati, & Anglorum animi non irritarentur in Fœderatos tanquam pacti violatores; ſi quid hic interverterent aut immutarent.

SENTENTIÆ.

Erant, qui miſſa ad Eliſabetham Legatione ſtatuebant deprecandam eſſe initi hanc pacti Legem, quâ ad Supremum Conventum Ordinum Angliæ Legatus admittebatur, addita ratione, nequaquam eam expedire Reipubl. cujus tamen ſalutem & incolumitatem Regina continuò voluerit velitque promotam.

Verùm id conſilium fruſtrà alii adferri rebantur, cum res tantæ authoritatis, tantique in aliena Republ. momenti Regina haud quaquam eſſet intermiſſura. Principes enim quid-

vis

vis donare potius, quam ea remittere jura, quæ in aliena Republ. ex pacto prætendunt exercentque Majestatem.

Alii clam & ignaro Angliæ Legato conveniri & de cohibenda Anglorum Licentia consultari posse censebant.

Interim id aliis maximè intutum videbatur. Hac enim ratione suspicionem Anglis injici posse', adversum se à Fœderatis in abdito conjurari.

Inter has altercationes Johannes Oldenbarneveldius summæ tum sapientiæ Ordinum Hollandiæ Syndicus censuit, non violato pacto & omni suspicione amota aliam initi rationem haud difficulter posse, quâ commodis Reipubl. omninò prospiceretur. Injecit itaque consilium instituendi duplicis Fœderatarum Provinciarum Ordinum Conventus, quorum unus institutus jam erat, & Concilium Status dicebatur; placebat ut in eo Provinciarum delegati ordinaria tantum quævis Reipubl. negotia tractarent. Huic ex pacto interesse debebat Angliæ Legatus,& poterat interesse sine ullo incommodo publicæ Authoritatis. Nam in eo,ut jam diximus,ordinaria tantum Reipubl.negotia,quæque tanti non erant, expendenda imposterum afferebantur.

Alter eorum Conventuum', primo illo major, de novo ut institueretur, contendebat, cui peculiaris Conventus Ordinum Generalium esset cognomentum. In eo Provinciarum delegati res gravissimas, extra ordinem oblatas

K agita-

agitarent. Huic cum ex pacto interesse Angliæ Legatus haud posset, integrum esse in eo expendere quæcunque Rempubl.à nimia Anglorum Licentia & usurpatione liberandam spectabant.Necessitatem & causam instituendi hujus novi conventus, contendi meritò posse, quod auctis Reipubl. negotiis, tam multa extra ordinem offerantur, quæ unius Conventus, Concilii nimirum status, cura, non satis possent expendi.

DECRETUM.

Placuit imprimis ea sententia. Ex uno Conventu quasi duplex factus est. Ex divisis negotiis curisque gravissima illis permissa sunt, qui in capiendis de his consiliis præsentia Anglorum Legati ab instituto & commodo Reipubl. jam non possent dimoveri.

EVENTUS.

Ex eo tempore melius satiusque prospectum est Libertati, & Anglorum licentia ac nimia usurpantium autoritas, magis magisque indies est accisa, nec de violato pacto queri quicquam Reginæ Angliæ licebat, cum ei conventui continuò interesset Legatus, cui ut soli interesset, convenerat.

JUDICIUM.

Ubi & vetera instituta ac pacta non prosunt Reipubl. imò nocent, & tamen fidei publicæ causa perpetuò rata esse debent, ad nova recurrendum est, quibus nec tollantur vetera, & tamen quæ ex veteribus oriuntur mala prævenian-

niantur. Exemplum fecit ediditque Tiberius, quamquam in rem malam & malum finem. Cum ex veteri Lege Romana non liceret ex ſervo quæſtionibus ſubjecto inquirere in domini caput, & tamen ad ſubvertendos dominos, opus ſæpe Tiberius haberet expreſſo per tormenta teſtimonio ſervorum: novi juris repertor exſtitit, ut loquitur Tacitus, juſſitque ut ſervi, ex quibus in Domini caput inquirere volebat, apud Actorem publicum primò emanciparentur; dein tormentis, non ut ſervi, ſed ut emancipati ſubjicerentur.

Ita cùm pleriſque Belgii Civitatibus privilegium id indultum ſit, ut ne civis in carcerem conjiciatur aut etiam tormentis ſubjiciatur; interim tamen ſæpe in Rempubl. peccent Cives, quorum flagitia haud oportet dimitti impunita, haud violato priore privilegio, placuit ut liceret Cives reos jure civitatis exuere atque privare. Quo facto exutos in carcerem compingere & quæſtionibus ſubjicere tanquam cives licet. Hæc conſilia ad arcana Dominationis referenda ſunt: videntur quidem violari privilegia & facta, ſed videntur tantum: ſervatur enim priorum factorum fides, & interim ſatisfit neceſſitati Reipubl. cujus damna quavis ratione licet prævenire. Et ſi in privatis negotiis ex ſententia Juriſprudentum odia reſtringenda ſint, favores ampliandi, quidni ſimilibus quas attulimus rationibus liceat ea reſtringere, quæ non cum odio tantum, ſed cum exitio publicæ Libertatis ſunt conjuncta.

DISQUISITIO.

Ubi ob justam & gravem causam turbæ à subditis excitatæ sunt, an ideò pœnæ exempti intelligantur.

CASUS XXIII.

Ex hujus seculi Historia Gallica petitus.

CUm *Ludovicus* XIII. Galliarum Rex, post Rupellanam Civitatem expugnatam, solemnem suorum militum lustrationem fieri institui que mandasset, militum exterorum nonnulli ob accisa hactenus & imminuta à cohortium Ducibus debita sibi stipendia tumultuari, Ducibusque suis violentas manus injicere cœperunt. Tumultuantium quidam comprehensi & in vincula conjecti sunt. Pro Tribunali itaque Militiæ quæsitum est, quid fieri oporteret?

SENTENTIÆ.

Alii pœnam promeruisse Duces potius avaros & iniquos, quam milites, sibi debita poscentes existimabant, cum illorum iniquitate factum sit, quòd Miles, cum alia vix ratione posset, per motus ac turbas poposcerit.

Excipiebant alii, non jam quæri de illo quid Duces admisissent, quorum causæ cognitioni peculiare judicium destinari: sed quid admisisset miles? Militem saltem tumultuatum, Militem iniquo modo & in publicum noxio exemplo sua repetiisse, Militem denique autoritatem publicam

publicam temere usurpasse. Accedebat, quod omnis Imperii interesse crederetur, ne impune Magistratibus officio jam suo fungentibus quanquam alibi & alias deliquerint motus, vim ac manus inferrent. Si enim id semel concessum sit, quam perpetua ferè sunt Magistratu fungentium quædam vitia, tam perpetuam futuram contumaciam & rebellionem subditorum. Neque justam causam hic proferri posse, cum nulla publicæ turbæ causa sit. In composito judicio actorem & reum, æquum & iniquum, expendi. In turba judicii publici everti rationem.Hoc ipsum mereri pœnam,ut ut causa turbæ justa possit existimari, Rem bonam & æquam, malam & iniquam fieri, si quis iniqua ratione jus ejus persequatur. Itaque justum hic aliquid & aliquid iniquum esse considerandum.

Justum in causa. Injungendum ideò Ducibus ut Militi, si quid oporteret satisfacerent, & suo etiam tempore ac loco de iniquis Ducibus sumendum esse supplicium.

Injustum in turba ac motu. Imponendam igitur turbatoribus pœnam. Neque enim nunc, cur tales sint, sed tales tantum Reipubl. causa considerari.

DECRETUM.

Placuit hæc sententia, ut satisfieret & votis militum & pariter belli disciplinæ. Votis,ut integra stipendia solvenda militi imponerentur? Disciplinæ, ne deesset pœna, ubi præcesserat culpa.

EVENTUS.

Supplicium extremum de Turbatorum potioribus ſine turba ſumptum eſt. Nam eodem decreto, quo inferebatur noxiis pœna ob turbas excitatas, pariter & tollebantur turbarum cauſæ.

JUDICIUM.

Æquiſſima cujuſvis privati & ſubditorum cauſa iniqua eſt, ac idcirco meretur pœnam, ubi quis eam perſequitur cum præſente damno Reipubl. Pro utilitate autem Imperiorum rectè inter Gentes cenſitum ſemper & receptum eſt, ne ſubditis permitterentur accuſationes eorum, qui jam non tantum funguntur Magiſtratu, ſed in præſens etiam expediunt, quæ ſuæ ſunt functionis, multò minùs excitatæ adverſum eos turbæ, quæcunque tandem prætendatur cauſa, ferri debent aut tolerari.

DISQUISITIO.

Quomodo miniſtri Principum & Supremorum Magiſtratuum, agere debeant, ubi in remotioribus locis quædam agenda accipiunt in mandatis, quæ vident & certò intelligunt ſe non niſi cum maximo & damno & motu ſubditorum poſſe dare effecta.

CASUS XXIV.

Ex ſuperioris ævi Hiſtoria Neapolitana deſumptus.

TEmporibus *Caroli* V. Vice-Regi Neapolitano in mandatis datum eſt, ut de inquiſitione

tione Diploma promulgaret, Inquisitorumque consessum ac Senatum Neapoli instituendum curaret. Sunt autem Inquisitores Extraordinarii Judices, qui in cujusque Religionem posthabita communi & recepta judiciorum formula inquirerent, quorum artibus cum sæpè sub falso Religionis prætextu in vitam & bona optimorum vis inferretur, Neapolitani memores pristinæ Libertatis, clam, palàm, magnis motibus asseverabant, haud unquam se passuros, ut inquisitio in Ditionem suam inveheretur. Quæsitum proinde: Quid hic Vice-Regi agendum, & quomodò Mandata Cæsaris forent explenda.

SENTENTIÆ.

Alii, ut, in hoc negotio tam difficili, & præsenti cum periculo conjuncto, nihil quicquam moliretur, censebant consultissimum.

I. Quia Vice-Rex prostituturus Cæsaris Autoritatem videbatur, si talia ejus urgeret, proferretque mandata, quibus non effectis, intelligeretur Cæsarem velle, quæ exequi non posset.

II. Quia & vim suam & existimationem in cæteris amissurus Vice-Rex videbatur illis tentatis, in quibus contumaciâ subditorum inferior deprehenderetur. Semel enim & vel uno tantum negotio labentem autoritatem, in cæteris vix sibi constare. Interim longè potius esse, res magnas, quarum aut nullus aut adversus futurus sit eventus, omittere, quam eas frustra aggredi, & ostendere (ut loquitur Tacitus) quibus rebus impares simus.

III. Moderatè ſequendum eſſe accipiendumque Cæſaris Mandatum. Non illud abſolutè (ut loquuntur) ſed cum conditione interpretandum, quæ quanquam non adjecta aut verbis expreſſa ſit, haud obſcurè tamen intelligatur, mandari nimirum ut fiat quicquid ſalva Republ. fieri poteſt. Atqui præſentiſſimum metum eſſe, ne jacturam totius Regni Neapolitani faciat Cæſar, ſi invitis & reluctantibus ſubditis, Inquiſitio obtrudatur. Salutem Reipubl. & Principis ſupremum ſemper eſſe & ſupra cætera mandatum. Illud ſemper datum intelligi. Ex cujus ratione bonos & prudentes publicarum rerum adminiſtros, cætera mandata omnia continuò debere interpretari.

Alii contra, hoc negotium non omnino intermittendum eſſe, exiſtimabant; cumque omnia exequi non liceret, ea tamen omnia audenda & facienda Vice-Regi eſſe quæ ſine præſenti ullo diſcrimine dare effecta liceret.

I. Si enim nihil agatur, tenteturve pro accepti mandati executione, facilè in Vice-Regem offerri ignaviæ aut negligentiæ accuſationem. Negligentiæ, tanquam qui omiſerit, quæ præſtare adhuc integrum erat.

Ignaviæ, tanquam qui vano metu abſtinuerit ab exequendo Cæſaris mandato. Itaque ubi omnia, & tota mandata explere non licet, explendum ſaltem miniſtro eſſe quantum licet.

II. Tentandos igitur quavis arte Magiſtratuum & civium animos, quò aut inquiſitionis inſtitutum poſſit iis ratione perſuaderi; aut ſi perſua-

persuaderi non posset, Vice-Rex quantum in se erat, officio suo satisfecisse intelligatur. Nam pertinaciter reluctantibus Neapolitanis, non effecti mandati culpam haud penes Vice-Regem, sed penes alios futuram. Nunquam tutiorem esse Ministris sui suæque causæ defensionem, quam ubi mandati mora ac sufflamen aliis meritò impingi potest: quò nullum crimen ministri esse intelligatur, in his negotiis Ministro id agendum esse, ut quavis sua diligentia aliorum contumacia & crimen patefiat.

III. Persuadendum interim quantum licet non vi armata aut manu introducendam esse inquisitionem. Enim verò ubi nihil obtinet persuasio, aliique leviores agendi modi, non statim ad vim esse recurrendum; neque tam latè accipiendam exequendi mandati interpretationem: ubi res mandantur, ordinarii omnes & mitiores modi simul mandari intelliguntur, non autem extraordinarii. Inter extraordinarios verò modos, vis est; nova igitur in eam rem exspectanda esse Cæsaris mandata.

DECRETUM.

Placuit postremam hanc sequi agendi rationem.

EVENTUS.

Nihil tunc temporis pro inquisitione effectum est apud Neapolitanos. Interim tamen à Vice-Rege nihil neglectum; qui ad promovendum institutum, quævis contulerat, quæcunque sine damno ac motu subditorum poterant

conferri: Adeo ut in rejecta à Neapolitanis inquisitione extra culpam pariter fuerit ac pœnam.

JUDICIUM.

Ubi totum ac integrum Mandatum exequi non licet, non ideò totum intermittendum est. Sed cum totum varias complectatur partes: & in toto mandato haud dubiè etiam intelligantur mandati partes, quæcunque præstari possunt à Ministris publicarum rerum præstanda sunt. Qui aliter agit imprudens est, & imposterum ignaviæ aut negligentiæ postulatus amittit defensionis suæ securitatem. Denique moderatè obeunda sunt Principum Mandata, nec ad exequenda cæteris nihil proficientibus modis, vim conferre licet aut tutum est, nisi nova in eam rem Mandata sint accepta.

DISQUISITIO.

Qua ratione inter multos aut omnes noxios, de quibusdam eorum tutissimè sumi possit necessarium supplicium.

CASUS. XXV.

Ex superioris seculi Historia Italica desumptus.

HEnricus Medicaus Princeps acerrimus arce Musitana occupata cognitoque milites suos stupris, libidinibus, incolis ac vicinis maxima undequaque damna excitasse, obviam eundem

in tempore existimavit. Gravissimi itaque quendam criminis, stuprata nimirum virgine compertum, comprehendi jussit. Ægrè id ferre tota militum multitudo, qui ejusdem omnes pœnæ exemplum metuebant, cum idem exemplum culpæ dedissent. Quæsitum proinde in concessu militari est, qua ratione sine aliorum motu, de quibusdam reorum exigere supplicium liceret.

SENTENTIÆ.

Alii, cum intempestivam & noxiam Reipubl. futuram crederent animadversionem, censebant, edito diplomate, metum gravissimæ pœnæ injici illis oportere, qui in ejusmodi flagitiis imposterum essent deprehendendi. Ita enim quamquam priora mala maneant impunita, futuris posse interdici. Nam cum omnes iisdem flagitiis jam sint operti, aut omnes, aut paucos pœna esse afficiendos. Omnes non posse, ne aliàs carnificina potius sit quàm pœna. Paucos punire, cum iniquitate videri conjunctum, cæteris dimissis qui eandem pœnam meruere. Imò paucorum eorum causam acturos omnes eadem supplicia meritos, & ideò metuentes.

Accedebat, quod inter primæ Militiæ & Dominationis initia intuta acerrimi imperii fama videretur.

Alii contra haud remittendam pœnam esse prætendebant. Nam si salvi omnes maneant, iterum omnes peccaturos. Proinde interesse omnium, ut pauci puniantur, viam ad scelus ster-

nere impunitatem redireque ad patratum facinus, quisquis remissam vindiciis expertus est manum. Sed & vicinis ac incolis, quorum gratia ac prono affectu sit opus, non aliter satisfieri posse, quam pœna quavis saltem irrogata. Interim iidem censebant ita agendum, ut sine periculis severitas, sine invidia esset terror pœnæ. In quam rem diversis diversa placuere. Alii consultum censebant id agendum, ut pœna indiceretur, non exigeretur. Indici eam posse sententia ultimi supplicii illata. Non exigi, si post latam sententiam intervenerit Principis gratia ac intercesserit. Sic non sine pœna futurum scelus respectu sententiæ, quæ noxiis saltem imponat ignominiæ pœnam. Sic sine motu futuram, qualemcunque hanc pœnam per Principis gratiam & lenitatem. Sed hæc levia plerisque videbantur. Itaque de summa imponenda pœna & cautè tamen imponenda ab illis est cogitatum.

Placuit ergo.

I. Ut comprehenderentur gravissimorum scelerum comperti. Ita futurum ut minus illis faveant alii, minusque metuant sibi, utpote tam atrocium sibi non conscii flagitiorum,

II. Ut comprehenderentur tales, qui in vulgus militum propter alia erant exosi, quanquam communioni sceleris pariter non essent illigati. Ita gratam magis, licet non respectu præsentis culpæ, respectu tamen odii, futuram pœnam.

III. Ut tempore sumendi supplicii in vul-
gus

gus dissimulato, quædam culpæ affines militares copiæ, injecto quasi ex vicinis hostibus metu extra Arcem veluti in aliam & necessariam expeditionem commendarentur. Reversos post exactum supplicium vix de metu cogitaturos. Motus enim in ejusmodi negotiis propter prævenienda magis excitari, quam propter ea quæ jam facta sunt & præveniri non possunt.

IV. Ut eodem tempore ad cohibendos qui in Arce mansuri aliunde evocarentur copiæ intactæ & haud inquinatæ, quarum idonea fidaque manu & cæteris pari in officio possint contineri.

V. Ut post exactum supplicium Impunitatis cæteris omnibus venia præstaretur, monerenturque, ut illi, quorum animos pœnitentia intravit, dividerent se à cæteris, si qui fortè superfuturi essent contumaces. Itaque sublato metu pœnæ, nullum in pertinacia prioris culpæ aut novæ culpæ præsidium noxios quæsituros. Experiundo quippe cognoscitur multos ideò peccare, quia peccaverunt non tam quod contumaciam flagitii ament, quam quod metuant pœnam, quam peccando & majore contumacia ferè cupiunt prævenire.

DECRETUM.

Postremum id tandem ratio omnium approbavit.

EVENTUS.

Nec Exemplum sceleris extitit impunitum, nec

nec pœna excitavit motus, novisve malis dedit occasionem. Nam à culpa abstinuere omnes cæteri impunitate donati. Neque enim diutius tutum videbatur, pœnam quibusdam commilitonum meritò impositam, sibi autem clementer remissam, diutius mereri.

JUDICIUM.

Nullum publicum flagitium publicè manere debet impunitum. Nullus itaque metus à pœna imponenda deterrere debet Magistratus. Qui enim metu motus differunt supplicia, inverso & corrupto Reipubl. ordine, metuunt subditos & non metuuntur. Interim tutò ita exigendæ pœnæ sunt ut præveniantur motus. Prævenientur illi, si aliunde vocatis auxiliis incorruptis; si in noxiorum multitudine, dimissa magna manu corruptorum quidam; si ex corruptis corruptissimi, si propter alia præsentium scelerum sociis invisi præ cæteris puniantur: si denique cum pœna paucorum, quæ necessaria est, metus omnium, ne desit exemplum & tamen impunitas quoque, ne excitentur motus, conjungantur. Alias coërcitiones sæpe magis quam vitia solent Reipubl. nocere.

DIS-

DISQUISITIO.

Qua ratione mala, quæ tolli non possunt, optimis legibus minora fieri possint & constringi.

CASUS XXVI.

In Historia Gallica superiorum temporum oblatus.

EA tempestate qua Galliæ Regni fasces *Franciscus* I. gerebat, nonnullisque domi ac foris bellis erat implicatus, pravitate morum invaluerat, ut milites sive ad exercitum proficiscerentur sive redirent domum, sive æstiva alibi, alibi hyberna haberent, maxima in agris, oppidisque damna, pauperiemque darent. Quæsitum igitur inter Provinciales est, quo potissimum Consilio præsentissima & ultimam ruinam intentantia damna confringi possent ac cohiberi.

SENTENTIÆ.

Alii consulebant, ut cum militiæ Præfectis inito contractu certum quid decerneretur quo Miles satisfieri sibi pateretur, neque ultra quicquam exigeret.

I. Namque omnia illis hactenus licere. Inito autem ejusmodi contractu, quædam tantum licita futura: mali, quod in infinitum propemodum licentiam habeat, sive remedio sive sola-

ſolatio eſſe inter certos limites ſi per malos liceat id coarctare.

II. Hac ratione æqualia futura Provincialium damna ſingulis pro ratione opum & pecuniæ ad nonnulla in milites conferenda cenſitis ac æſtimatis. Eam enim animam omnis publicæ Societatis ut utramque fortunam communem habeant omnes illi, qui ad eam conſtituendam colendamque convenêre.

III. Cum hæc militum Licentia civilium & externorum bellorum veluti ſit pœna, longe ſatius eſſe noſſe, quæ tandem ſubeunda ſit pœna, quam quamlibet pœnam experiri.

Alii ex adverſo id minus tutum exiſtimabant.

I. Enim nihil ſe militi debere aſſeverabant, quorum quam certa ſint ſtipendia, tam tutam inter eos debere eſſe Civium agreſtiumque fortunam.

II. Non fieri contractu legitimum debere, quod ante contractum illegitimum & iniquum ſemper ſit. Quamdiu illicitum maneat in bona Civium & agreſtium graſſari, ab eo flagitio abſtinere aliquando bonos aut mitius agere. Ubi verò fiat licitum per mutuos contractus, bonos pariter ac malos ex contractus lege debita ſibi ut licita exacturos.

III. Neque facilè futurum finem licentiæ militaris, qui ante contractum iniqui, quidni etiam iniqui poſt eum futuri credantur. Itaque & militari diſciplinæ Caſtrorum & unius cujuſque induſtriæ privatim prævenienda hæc damna aut minuenda potius relinquerentur.

DE-

DECRETUM.

Pro priore ſententia à pleriſque decretum ſalubriter factum eſt. Ab aliis cum cujuſque ea res arbitrii eſſet, pro poſtrema.

EVENTUS.

Illi plerique, cum certa damna incertis præferrent quædam adhuc ſibi inter illata damna ſervavere. Alii illi, cum incerta damna præponerent certis, bonis omnibus exuti tandem ſunt ac fortunis.

JUDICIUM.

Ubi ingruit temporum neceſſitas ac difficultas rerum, ut tollendi penitus mali remedium non offeratur: ſolatium & laudatiſſima ratio minuendi eſt, vim ejus legibus potius adſtringere, ubi id licet, quam totam permittere licentiam malorum. Omnia enim ſibi effuſa licentia permittit. Quidni igitur hoc caſu optima lex ſit, quæ quodammodo permittit quædam, quæ, ut malos utcunque patitur, ita aliqua ex parte ſaltem ita cohibet atque refrenat? Si enim conſultum homini privato exiſtimetur, ut cum latrone, in quem fortè incidit de fortunarum ſuarum tranſigat, quò vitæ interim proſpiciat ſecuritati. Quidni conſultum ſit in Republica ubi domeſticæ militiæ quoddam quaſi latrocinium eſt, partim quædam ex contractu indulgere caſtrenſium licentiæ corruptæque diſciplinæ, quam omnia permittere eorum judicio ac libidini, qui extra contractum omnia deberi ſibi arbitrantur.

DIS-

DISQUISITIO.

Quando in publicis negotiis ad verbum attendendum, quantumque in iis pro Republ. momentum sit.

CASUS XXVII.

Ex Fœderati Belgii Historia depromptus.

SÆpe Cæsaris Legati ad hæc aut ista expedienda missi literas ejusmodi Credentiæ quas vocant, *Fœderatis Ordinibus* obtulere, in quibus horum tituli, haud rectè satis expressi, aut iniqui continebantur, præsertim cum ut vasalli Imperii *Cæsari*, & S. R. Imperio *Fideles dilectique* inscriberentur. Quæsitum haud semel est: An hujusmodi literas admittere ac aperire pro Majestate ac existimatione Reipublicæ foret.

SENTENTIÆ.

Alii haud difficulter admitti eas posse censebant, neque ob verba levia irritam fieri legationem debere contendebant.

I. Enim esse eam formulam talem, ut aliud significare possit apud benignos interpretes, quam Vasalli fidum obsequium & subjectionem. Nam quidni & dilectos se Imperii gauderent & fideles coli, cum quo bella. Hac conditione salva Republ. formulam posse admitti.

II. Aliorum Exterorum Orientalium potissimum Principum literas in inscriptionibus minus

minus exactas, sæpius Ordinibus oblatas, nec tamen esse rejectas: Cur igitur tanta nunc subtilitate & cura in Cæsariam inscriptionem inquireretur.

Alii ad ista longe alia excipiebant.

I. Formulam hanc non aliter accipi posse, quam qua denotat Vasalli subjectionem. Neque nunc attendendum quomodo benigna interpretatione ea ab Ordinibus possit expediri aut explicari: Verùm quid sibi voluerit, dum ea utitur *Cæsar*. Verba intermittere propriam significationem, & induere vim quandam aliam, ubi ad solemnem aliquam publicorum negotiorum formulam adstringuntur. Ita *Gratia Dei* Princeps est, quisquis est Princeps, & eo respectu quivis Princeps talis dici potest. Interim Religio ac vis accepta inter Gentes Principesque faciunt, ut ejus usus tantum sit in illis Principibus, quorum absolutum nullisque superioribus obnoxium est Imperium. Ita ex præscripto Juris feudalis, Principes fideles sibi ac dilectos, vasallos tantum suos appellare. Tales autem non esse Belgas Fœderatos.

II. Quod spectat Orientalium Regulorum, aliorumque literas, quæ reclusæ & acceptæ sint, in quibus tamen aut minus aut plus Ordinibus tribuebatur, ideò non rejectas esse, quia quicquid in iis vitii, ex ignorantia nostratium formulæ, quam verò malignitate aut contemptu nascebatur: dolum igitur ab illis & malum animum abfuisse, id testari eventum. Aliud autem

de

de Cæsare venire judicandum, cujus inter civilia Belgarum Bella adversus hanc Rempubl. animus continuò illuxit, cujus Legationes cum ob hanc formulam sæpe sint rejectæ eadem tamen adhuc repeti: qui hostili ita & contumaci animo est, quoties peccat, haud ignorantiam prodit, sed Ordinum contemptum & animi atque instituti malignitatem.

III. Verum esse, verba nec lædere nec tueri, ubi res administranda est manu; interim alias lædere ea plurimum, aut juvare cujusque Imperii Majestatem. Nam Majestatis proprium esse ut qualis & quanta est, talis tantaque semper agnoscatur sive verba sive scripta spectentur. Inferiore Majestate sua accipere & amplecti nihil esse aliud, quam proprii judicii confessione minorem eam reddere & tantum non jugulare. Præsumi in publicis negotiis in quibus ad maxima minima est attendendum id apud quemque Magistratum pro vero, confesso, legitimo haberi, cui non contradicit. Equidem si homo privatus qui contractui subscripsit, quem ante subscriptionem non satis excussit, in quo postea deprehendit contra animi sui sententiam quædam inserta, eo ipso teneatur, quia subscripsit: Quidni ea Magistratuum sit providentia, ut eas examinent excutiantque formulas, quibus continentur talia, quæ falso & temerè ab aliis in Rempubl. prætenduntur.

IV. Si de solemnibus nihil mutari debeat, profectò mutata aut corrupta haudquaquam admitti oportere: viderent quam accurati in eo fue-

fuerint Romani. Cum moris esset, ut in literis ad Principes aut Senatum scriptis inter alia vota continerentur, pro eorum & Reipubl. æternitate, proditum memoriæ est, Tiberium Cæsarem rejecisse & remisisse literas Provincialium, in quibus vota ea erant prætermissa. In eo enim contemptus quidam Romanæ Majestatis credebatur.

V. Id verò præcipuè habere locum in iis formulis ex quibus tituli Gentium ac Principum æstimantur. Talis enim quisque est & apud alios fit, qualem se patitur appellari.

Et si Principes Gloriæ suæ causæ vel juris quod prætendunt, retineant titulos earum rerum, quas impræsens non habent: Quidni maximè & perpetuò eos sibi vendicent supremi Magistratus, in quibus præsentis Imperii consistit fundamentum? Nihil hic tam leve est quod summis Imperiis sit negligendum. Amittitur, quicquid hic negligitur. Imò datâ occasione contra quemque id semper facit, quod semel admisit.

DECRETUM.

Placuit igitur non aperiri literas, & clausas remitti Legato, addito, non Ordinibus eas inscriptas esse, neque enim illos Cæsari & Imperio ex ejusmodi formulâ *Fideles* agnoscere se & *Dilectos*.

EVENTUS.

Aliæ aliquando, prioribus rejectis, literæ à Cæsaris Legatis sunt oblatæ, quarum quam justa erat inscriptio tam benignè acceptæ.

JU-

JUDICIUM.

Non de verbis adeò altercandum eſt, ubi res exiguntur: Subtilitates enim ejuſmodi periculoſæ ſæpe ſunt & impedimenta rerum neceſſariò expediendarum. Cæterum haud temerè tamen tranſmittenda verba ſunt in publicis contractibus, ubi verba ſunt rerum loco. In legationibus ubi recepti moris eſt quemque populum ac Principem, qualis quantuſque eſt æſtimari: In literis denique publicis, quarum nulla inſcriptio, quæque ad nullos pertinere cenſentur, cum tituli non ſui cuique tribuuntur. Qua diligentia potiſſimum opus eſt inter eos, de quorum fide dubitatur.

DISQUISITIO.

Quibus mercibus domeſticis in Republica conſultum ſit vectigalia imponere, quibus non item.

CASUS XXVIII.

Ex Hiſtoria Neapolitana depromptus.

SErici colligendi textendique magna eſt induſtria apud Neapolitanos, inque eo labore & artificio maxima totius multitudinis pars occupatur. Cum ſuperiore ſeculo nova Neapolitanis vectigalia imponenda Rex Hiſpaniæ indiceret, quæſitum in conſilio Pro-Regis eſt; Cum tanta ſerici copia inter Neapolitanos ſit, ejuſque plurimus apud exteros uſus; An non in ſingulas ejus libras Carolinum exigere tutum foret?

SEN-

SENTENTIÆ.

Probabant id alii.

Primum enim magnam pecuniæ vim ex eo facilè esse colligendam, cum nullius mercis aut frequentior usus aut commercium frequentius, quam serici inter Neapolitanos. Vectigalia autem omnia vana esse & operæ aut doli pretium non continere, nisi sint opima.

II. Onus vectigalis exteris potius quam indigenis incubiturum, propter vectigal aucto nimirum ab indigenis serici pretio, quod illi, cum eo carere non possint, persolvere teneantur.

Alii contra id improbabant, ea imprimis adducta ratione, quod aucto propter vectigalia Neapolitani Serici pretio, commercium ejus in præsens florentissimum, omninò turbandum profligandumque crederetur. Cùm enim in aliis Ditionibus ejusdem Serici etiam copia se offerret, quod tributis haud oneratum ac proinde viliori pretio redemptum, ab aliis potius imposterum petituri sint quàm à Neopolitanis.

DECRETUM.

Inter multas altercationes prior tamen sententia pervicit.

EVENTUS.

Longè verò ille improsperrimus fuit. Sericum enim ab exteris mercatoribus viliori pretio aliunde mox est petitum. Qua ratione commercia hæc Neapolitanorum omninò turbata, qui-

quibus florentibus & vectigali non imposito, auctæ fuissent Neapolitanorum magis magisque in dies opes, quarum potius quam serici nomine tandem exigi potuisset optimum tributum.

JUDICIUM.

Ex indigenis & nativis Regnorum bonis, ea quæ exteri desiderant, & aliunde peti haud possunt, vectigalibus prudenter possunt onerari: quæ aliunde peti queunt, non item: aliàs enim eorum commercia præsentissimo cum damno aliò transferentur.

Id ipsum nuper à Fœderati Belgii Ordinibus Serenissimo Poloniæ Regi responsum est. Ille cum mercibus quæ in Dantiscanos & Pillanos portus invehebantur, grave aliquod vectigal imponere decrevisset; Inter evectas autem merces potissimum esset Poloniæ frumentum: ab Ordinibus judicatum est, ex Moscovia ac aliunde idoneam frumenti copiam peti posse. Itaque, nisi ab imponendo vectigal desistat, potissima Poloniæ & Dantiscanorum Commercia inverti posse ac turbari.

DIS-

DISQUISITIO.

Quam juris dicendi rationem observare æquum sit in subditis ad persolvenda debita constringendis tempore Civilium & externorum bellorum, quibus pleraque vastata sunt, aut statim post illa.

CASUS XXIX.

Ex Historia Belgica decerptus.

CUm temporibus Philippi II. Hispaniarum Regis civilibus bellis districtæ in sua viscera Belgii Provinciæ desævirent, & jam rapina & libidine militari bona plerisque erepta essent aut eriperentur: interimque severi & importuni creditores coram judice debitores suos qui solvendo aut omnino aut tum non erant, continuò convenirent: quæsitum in supremo Belgii Senatu est, an ordinaria & recepta hactenus juris dicundi ratio pro creditoribus adversus debitores deberet observari.

SENTENTIÆ.

Distractæ illæ sunt in duas partes, quarum altera creditorum, altera debitorum causam magna contentione agebat.

Qui pro Creditoribus loquebantur, ita statuebant.

I. Æquum petentibus æquitatem autoritatemque recepti juris denegari non oportere.

Neque posse deesse eorum actionibus qui justas adversus alios intentarent. Denique Magistratus esse non negare jus cuiquam, sed id ipsum administrari.

II. Quæ belli atrocitate debitoribus evenerint clades, non excusare debitores aut impedire actionem Creditoris. Planè ut qui pacatis temporibus aut agrum alterius aut prædium conduxit, etiamsi cœli injuria nihil conductori obtulerit, præter miseram sterilitatem, ad conductionis pretium tenetur. Ita hos debitores ob illatam infelicis belli causam absolvi non oportere.

III. Ejus quidem rei æquitatem in eo consistere, quod ubi supra votum & expectationem agrorum & prædiorum proventus nonnunquam conducenti succedunt: Locatori tamen non competat, præterquam in illud pretium exigendum, in quo ordinarii proventus respectu inter contrahentem jam ante conventum est. Ut igitur inter felicia tempora, conductor locatori nihil addit: Ita inter infelicia locatorem conductori aliquid remittere non teneri. Imò ad curam & industriam conductoris facere, ita felicium temporum successus habere & moderari, ut iis infelicium sortem aliquando possit pensare. Similem autem planè in hoc casu oblato esse conditionem, ac proinde eodem modo de debitoribus & creditoribus, quo de Locatoribus & Conductoribus in jure privato judicari oportere.

Pro

Pro Debitoribus & temporum Necessitate mitiora alii in medium afferebant.

I. Non esse quidem boni Magistratus negare jus cuiquam, aut non admittere justas Actiones. Interim boni Magistratus esse eas differre, ubi non suo tempore intenduntur. Neque tantum justum esse debere quod quis meritò petit, sed modum etiam justum, quo petit. Recepto jure modos ordinarios agendi in rebus ordinariis, & quæ quotidie offeruntur esse constitutos: In extraordinariis igitur, quidni nova ratio ineatur? Non legibus semper obstringi Magistratus, sed aliquando circumstantiis temporis & necessitate. Hanc illam esse moderationem quovis jure Magistratui permissam, qua fit ne summum jus summa fiat injuria.

Et quæ ratio est, ob quam debitoribus convictis, qui negligentia sua aut mala fide tales sunt, spiramenta temporum ad satisfaciendum sensum creditoribus ordinario jure conceduntur: Ea haud dubiè multò est major, ac perinde temporum intervalla iis sunt permittenda debitoribus, qui nulla sua culpa, sed publica calamitate & inevitabili injuria temporum sunt tales.

II. Quæ belli atrocitate debitoribus inciderint mala, non impedire quidem, si ex stricto jure agatur, actionem creditoris, sed mereri interim & flagitare ejusdem humanitatem. Ex cujus humanitatis Lege, cum jus omni & Gentium omnium & Civile singulorum populo-

rum prognatum sit, in ejus executione prætermitti non oportere. Ex hujus præscripto creditorem non semper esse creditorem sed subinde hominem: non tribunal semper, sed aliquando tempora: denique Magistratum non judicem se semper causæ sed aliquando arbitrum necessitatis, cogitare debere.

III. Frustrà ex fœcunditate & sterilitate agrorum pro creditoribus differi. Nam pacatis temporibus & servari posse fructum fœcunditatis & priori vel futuro uberi proventu facilè averti damna sterilitatis. Inter hæc autem intestina bella & bona, quæ hactenus acquisierant, plerisque esse erepta, & ea invecta mala, ut si ad contracta inter hæc debita omnia solvenda teneantur, nunquam possint eluctari. Unde igitur solatium tanti mali aut remedium nisi à receptarum legum moderatione.

IV. Communem calamitatem æqualiter ferri debere inter ejusmodi Reip. Cives, & facilius ferri, quò plures inter se damna patiuntur. Æstimari igitur damna & æquali proportione dividi autoritate Magistratus oportere.

V. Et verò creditores quomodo tandem satisfacturos censeant debitores? quosdam horum omnibus esse exhaustos: nihil igitur ab his posse præstari. Nisi autem iis remittatur debitum, industriam eorum & fortunam imposterum subverti. Nec in gratiam creditorum potius quam suam aliquid aggressuros debitis semper futuros immersos: quosdam verò fundos adhuc possidere, peculia ac domus; illis ad tempus,

pus, necessariò remittendam esse debiti solutionem. Si enim difficili hoc tempore sub hastà venum exponantur quæ in bonis adhuc habent, nullo aut exiguo pretio ab emptoribus oblato, nimium profectò miseris decessurum.

VI. Amicum & à Republ. conscriptum militem insedisse plerosque agros & domus, damna igitur nonnullis illata ab illis, qui defensioni omnium incumbebant: Quidni omnes proportione habita ferrent, cum usum defensionis fructumque omnes sint experti. Justum enim quovis jure esse, ut damni non sit expers qui fructus se participem aut fecit aut facit.

DECRETUM.

Pro mitiori hac sententia autoritate Philippi Regis Hispaniarum conditum edictum promulgatumque est publicè. Sunt autem ejus edicti, quæ maximè huc faciunt præcipuique momenti hæ leges & conditiones.

I. Creditores in debitores eorumque bona manus non injiciunto, etiamsi ex contractu cum debitore inito, promptæ, ut in foro loquuntur, paratæque executionis, evictionis & sublationis acceperint potestatem: sed Provincialem & supremam Curiam primùm conveniunto, & libello supplici actiones suas eorumque causas exponunto.

II. Provinciales Curiæ assessores causa cognita, si moderato & remisso non rigido juri ob calamitatem temporum deprehendant esse debere locum, ad idoneos & intelligentes re-

rum Arbitros debitorem creditoremque ablegantο.

III. Arbitri non ex ſtricto & ordinario jure, ſed præſentis præteritique temporis calamitoſi, & damni vel majoris vel minoris accepti ratione de debito vel minuendo vel remittendo vel differendo ſtatuunto, & prout licebit ſatisfacere contendunto.

IV. Si creditores aut debitores arbitrorum judicio ſtare abnuerint, ad ordinarios judices cauſam referunto.

V. Judices verò non ſecundum ordinarios, ſed juxta hujus Decreti infrà ſcriptas Leges de cauſa cognoſcunto, ſtatuunto.

VI. Quod ſpectat intereſſe & reditus, qui non ex perſonali obligatione ſed hypothecata, ut loquuntur, h.e. poſſeſſione, conductione, uſufructu, fundorum, prædiorum, agrorum, ædium, aliorumque ejus generis bonorum debebuntur: Si ulla poſſeſſori, conductori, uſufructuario, vel propter incendia vel propter inundationes, vel propter invaſiones & direptiones militum exſtiterint, inhabita, inculta, deſerta, infructuoſa; à tempore incumbentium ejuſmodi malorum in hunc diem uſque debitores à debitò ſolvendo immunes pronunciantor, habentor.

VII. Si eadem bona partim habitata, partim deſerta, partim culta, & partim inculta; imò ſubinde tota culta aut inculta, habitata aut non habitata fuerint: judices pro ratione commodi & damni quod debitores acceperint & tem-

temporis debitum partim remittunto, partim solvendum indicunto.

VIII. Quod si qui reditus ex personali obligatione debuerint, si calamitate temporum ita afflicti sint, ut solvendo impares deprehendantur, à debito in perpetuum excusantor. Si verò impræsens tantum impares inveniantur, & posteà solvendo debito credantur suffecturi, judices solvendi necessitatem in idoneum tempus differunto, & creditorum actiones in id rejiciunto.

IX. Debitores interim accepta damna certis documentis in judicio allatis probanto, & si creditores ea falsi convincere, iisque meritò alia objicere possint, convincunto, objiciunto.

X. Ne autem Decreti hujus gratia ad ignaviam, negligentiamque debitores utantur, quamprimum & quoties licebit, ad agros, prædia, domus, redeunto, ea inhabitanto & coluntо: nisi fecerint, hujus Decreti gratia non fruuntor. Vicini ad agros, prædia, domos reversi industria, Lex hæc cuique & exemplum esto.

EVENTUS.

Ita ex hujus Decreti Lege omnibus est satisfactum, & operosæ ac iniquæ lites facillimè sunt præventæ, & integra æquitatis judicum mansit fama, novo decreto stabilita; quanquam ab ordinaria juris dicundi deflecterent ratione.

JUDICIUM.

Judices & Magistratus non receptis legibus semper, aliquando tempori & necessitati ad-

ſtringuntur, ubi inter vim aut arma, Civilium imprimis bellorum jure ſuo aliis uti haud licuit, ſtrictum aliis in illos nec debet nec poteſt. Quò autem ordinarii Judices nihil iniquitati aut affectibus in ejuſmodi judiciis tribuiſſe credantur: Supremi Principes & Magiſtratus & obviam eunt neceſſitati, ac illibatam & integram conſervant judicum famam, ſi novam inducunt judiciorum formam tempori, perſonis, rebus accommodatam. Quicquid enim contra ordinarias leges fit, quàm contrarium eſt legibus receptis, tam legitimum nova lege invecta exiſtimatur.

DISQUISITIO.

An & quomodo & quando liceat belli tempore cum aliis exorti, gerendique in limitaneo vicinorum, qui hoſtes non ſunt, agro, arces extruere, aut poſitas in eo urbes, pro ſecuritate occupare.

CASUS XXX.

Ex Hiſtoria Belgica depromptus.

Exorto inter Hiſpanos & Belgas Fœderatos bello, multas Cliviæ, Imperii, Electoriſque Colonienſis Civitates vi armorum ac occupatione Fœderati invaſere, inque limitaneo earundem ditionum agro, Arces, Caſtella, aliaque militiæ opera exſtruxere. Itaque inter Imperatorem, Clivienſes, Colonienſes, alioſque

que vicinos atque ipsos Ordines, multis legationibus disputatum est: An id liceret & æquum esset.

SENTENTIÆ.

Illi quorum civitates aut agri occupabantur, omninò id iniquum esse contendebant.

I. Amicos se esse & fœderatos. Itaque hostilia inferre sibi aut in agro suo exeri, quanquam adversus alios, non oportere; hac enim ratione bellorum injuriis involvi sese, suosque intricari.

II. Inter hæc civilia Belgarum Hispanorumque bella neutrius se semper partis exstitisse. Itaque ex gentium jure Neutralitatis, ut loquuntur, beneficio, quam diu eam ipsi non infringerent, uti se oportere. Quàm separata à Belgis & Hispanis sua causa, tam belli injuriis exceptos se esse debere.

III. Neminis esse, si æquus sit & bonus, invadere dominium rei alienæ. Vacua tantum esse aut fieri occupantium: Si quæ ab aliis possessa, eripi non posse, nisi vi armorum; & eripi non debere, nisi justa armorum etiam sit causa: quam se nullam suppeditare.

IV. Ex Urbibus suis occupatis & exstructis suo in agro Arcibus meritò se metuere & securitati suæ & libertati. Quævis beneficia debere se vicinis & fœderatis: sed ad nulla cogi aut impelli posse, ex quibus liquidò appareat, non nisi damnum se & noxam præsentissimam posse expectare.

V. Si quid Hispani hic tentaverint antè Fœderatos, iniquum id esse; nec proinde Fœderatos imitari id oportere. Sed etiam invitos, nolentes, reluctantes quasdam suas Civitates ab Hispano videri occupatas. Non igitur id imputandum sibi, in quod non consenserint, imò qui adversa continuò sint testati, testenturque etiamnum.

Ordines Fœderati contra ista acerrimè pro causa sua contendebant.

I. Amicos & fœderatos se vicinos istos libenter agnoscere, nec injurias adversus solitam pacem se inferre aut cogitare: neque enim aut amicitiam aut pacatæ viciniæ fœdus violari, ubi à vicinis innoxium beneficium petitur & reportatur. Quid enim id noxæ in se contineat? Arces excitare in alieno Agro vicinorum, in iis nihil propositum sibi præter suam securitatem. Neque esse quod de noxis illatis hactenus queri possint vicini. Jam autem quod alteri & vicino prodest, nec nobis nocet, naturæ & gentium jure alteri non debere aut posse denegari. Neque violari ejusdem viciniæ pacem, quanquam vicinorum Urbibus occupatis, licet ne quidem occupatæ debeant videri. Non enim habere eas Fœderatos, ut vacuas, sed agnoscere veros eorundem Dominos, sed non minus intereà Socias & amicas eas æstimari. Quidni igitur amicus miles admitteretur? Sociorum est tutò inter sese commeare; neque enim in alium finem vicinis in urbibus Fœderatorum militem disponi.

II. Agno-

II. Agnoscere se libenter, Neutrius partis esse has civitates respectu Dominorum: sed respectu hostium Hispanorum non esse aut censeri posse tales, utpote qui suas eis præsidiis invadant; qui cum insidientur Fœderatis, ex ipsis illis occupatis locis, & aut à Dominis excedere non jubeantur, aut quanquam jussi non excedant: Non posse Fœderatos diutius agnoscere aut æstimare jus illud neutralitatis, quod ipsi jam Domini adversus Hispanos tueri non possunt. Nam tantum quisque in Republ. habere creditur, quantum potest defendere; cætera adversantis sunt, si non jure saltem armis. Jam verò impotentia & infirmitas vicini populi, nullo jure officere debet securitati aliorum vicinorum. Si Clivenses, Colonienses, aliique adversus Hispanos sua tueri possunt, cur non tuerentur? Si tueri non possint aut negligant, cur in eorum infirmitate aut negligentia causa Fœderatorum laboraret?

III. Non invadi dominium rei alienæ. Omnia integra manere dominis; Imperium, privilegia, Jurisdictiones, & si quid ejus generis sit. Duo in publ. negotiis hic esse distinguenda, dominium nimirum rei, quod quisque sibi cum alio non communicandum habet, & præterea quod jure Gentium & Naturæ in alterius Dominio ut suum meritò prætendit ac petit. Salvo cujusque Dominio quisque alius suum hic poscere meritò potest. Hoc jure vicinorum militi transitus non debet denegari; hoc jure commercia, quæ cujusque gentis peculiaria omni-

bus tamen Gentibus communia esse natura voluit, non possunt prohiberi; hoc denique jure quisquis in alieno Dominio meritò potest defensionem suscipere illius loci, per quem noxam inferri posse sibi intelligit, nisi ab ipsis Dominis probè, & quantum pro vicinorum securitate necesse est, defendatur. Defensio enim talis ad vicinum spectat, ubi vicinus alter illi impar est. Talem autem esse Cliviensium aliorumque conditionem; justum proinde esse, quicquid Fœderati hic agerent ex necessitate.

IV. Cum ab Hispanis pleræque Civitates illæ occupatæ sint, & ipsæ illæ Hispanis, à Fœderatis jure belli eripiantur, non eripi à dominis sed iniquis & injustis possessoribus. Proinde jure Neutralitatis neutiquam à sese infringi. Vel enim volentibus Dominis vel nolentibus eas urbes insedisse Hispanos Si volentibus, jam non dominos, sed dominium quasi transtulisse videri; non neutrius partis esse sed partium studia secutos, eoque titulo non ut amicos sed ut hostes à Fœderatis invadi. Si nolentibus, quidni Fœderati vicinis injurias illatas ulciscantur? præsertim cum Reipublicæ causa injurias illas Fœderati suas debeant interpretari.

V. Si quæ Civitates ejusmodi supersint nondum ab Hispanis occupatæ, cum tamen ob quasdam occupatas omnes Hispanos invadere velle cautè intelligatur; quidni eorum consilia prævenirent Fœderati priusquam prævenirentur? Id Jure Gentium in publica causa semper exstitisse: privatos non intelligi meritò vim inferre,

ferre, nisi adversus vim illatam; aliàs non esse defensionem inculpatæ tutelæ. Principes verò & Populos non cogi expectare vim illatam, sed si salvam velint esse Rempubl. in tempore prævenire oportere inferendam. Inferendam autem colligi ex similibus quæ evenere.

VI. Pro Fœderatis militare æquissimarum Gentium Exempla, præsertim Romanæ, quæ Cretensem Insulam non alio titulo olim invasit, quam quod situ oportunam ac ideò commodissimam hostibus suis futuram prævideret. Imò & Britanniam primitus non alio nomine aggressa est, quam quod Gallos hostes plurima militiæ subsidia ex Britannorum ditione referre spectaret.

VII. Frustrà prætendi iniqua esse quæ hic gesserint Hispani: Non velle Fœderatos quod iniquum est, sed ulcisci. Frustrà prætendere Clivienses & aliis nolentibus se & invitis Urbes quasdam suas ab Hispanis esse insessas. Nam eodem titulo & tueri se posse Fœderatos. Nam quia invitis Dominis loca occupaverint Hispani, ex quibus noxa inferretur quotidie Reipubl. Fœderatorum: Fœderatos, quanquam invitos & nolentes, cogi tamen Hispanorum exemplo quod præcesserit, suæ sibi prospicere securitati.

VIII. Et postremò, ut in jure privato Legis Aquiliæ actio cessat, dum quis arcendi incendii causa vicinas ædes destruit, ob justum metum, ne suas quoque ignis invadat: Ita multo majori jure in publica Gentium & Principum causa,

quod à potente Tyranno aut hoste bello premitur, potest, ut sibi consulat, Vicinorum Principum ac Populorum Urbis, etiam illis invitis, præsidio suo firmare.

DECRETUM.

Igitur nequicquam alia & contraria testantibus vicinis Fœderati in cœpto consilio perrexere, Urbibus, Arcibusque quascunque licebat, & quibuscunque erat opus, non in damnum vicinorum, sed pro causæ suæ præsidio occupatis.

EVENTUS.

Ita factum est, ut per latus aut infirmorum aut negligenter agentium, aut sub jure Neutralitatis ac titulo insidias clam meditantium ditiones Fœderatorum contra Hispanorum vota in hunc usque diem extiterint tutiores, eruptionibus hostium in ipso vicinorum agro, quod tutissimum est, continuò propulsatis.

JUDICIUM.

Cum quæ aliena pariter & nostra partim pro Gentium & Reipubl. causa sunt, eo, quo dictum est modo vicinorum, quanquam amici sint, agros & oppida posse occupari arbitramur, non in eorum noxam, sed pro defensionis nostræ necessitate. Aliena autem & nostra pariter sunt, quæ necessitatem ex jure Gentium, quæ necessitatem ex oblato casu, quæ denique innoxiam utilitatem in se complectuntur. Necessitas ex jure Gentium est, ut commercia, matrimonia;

nia; ac proinde Romani meritò vicinorum quanquam nolentium matrimonia sibi vendicavere. Ex oblato casu Necessitas est, ut transitus per agrum vicinum, qui adeò negari non potest, ut armis justissimis pandi possit & aperiri. Innoxia utilitas est, qua communicari nobis à vicinis cupimus, & meritò cupimus quæ ut utilia nobis; ita cum nulla vicinorum noxa sunt conjuncta. Iniquum est, inquit Tullius, alteri negare quod tibi nocere non possit. Quod adeò verum est, ut ne quidem hostibus debeat denegari. Et, ejusmodi beneficia, ne quidem beneficiorum nomen mereri, Seneca est professus. Data igitur ex oblato casu necessitate, in loco pacato extrui arces possunt aut occupari. Denique Magistratus est omnia tuta timere. Itaque quicquid in vicinorum agro hostes possunt, quo noxa queat nobis inferri, idem nobis licitum est. Respubl. enim si foris lædi possit, non domi tantum, sed foris etiam debet juvari:

DISQUISITIO.

An & quando & quomodo Reipubl. causa res privatorum & possessiones, ut agros, ædes, aliaq; ejusmodi vendicare sibi posint Principes aut Magistratus.

CASUS XXXI.

Ex Historia Romana selectus.

Locaverant prætores Romani aquam in Urbem aliunde ducendam, fornicesque in eam rem

rem faciendos; Impedimento operi fuit M. Licinius *Crassus*, qui per fundum suum non passus est aquæductum derivari. Quæsitum igitur in Senatu: Quid juris Prætores in possessionem hominis privati; Aut M. Lucinius *Crassus* pro re privata adversus Prætores haberet?

SENTENTIÆ.

Pro Crasso dicebatur.

I. Magistratus Supremos & Principes omnia etiam quæ privatorum sunt, Imperio quidem, non autem Dominio possidere. Imperio, accepta potestate condendarum Legum, secundum quarum dictamen res suas tenerentur administrare privati. Non Dominio, quia id non omnium est, sed singulorum respectu rei, quam quis suam & privatam habet. Jam autem non tantum Imperium, sed Dominium censeri, hominem privatum invitum cogere ad rei suæ alienationem.

II. De possessionibus suis incertos continuò futuros privatos, si Magistratibus aut Principibus rerum eas alienandi sibique vindicandi continuo futura sit potestas; jam autem Reipubl. interesse, ex Civilis etiam juris præscripto, ne dubiæ & incertæ sint possessiones rerum privatarum: aliàs enim imminui Civium industriam, nec facilè quenquam excolere velle res suas, quas paulò post metuit jussu Magistratus non suas diutius, sed publicas futuras.

III. Idcirco agros publicos areasque publicas in principio conditarum Civitatum nonnullas

nullas relictas, ut ex iis data occasione satisfieret Reipublicæ, ædibus agrisque privatorum intactis. Quid igitur in possessiones privatorum prætores nunc injicerent manus?

IV. Ad voluptatem tantum, & ornatum facturos aquæductus: Ejus autem causa rei suæ tradendæ aut vendendæ homini privato non debere imponi necessitatem. Hujus enim solius titulo excusari, si quid authoritate Magistratuum peccatur in privatos.

V. Frustrà à Prætoribus pro CRASSI agro pretium offerri. Non posse enim possidentis & nolentis alienare bona facile æstimari. Si enim ex aliorum judicio satisfiat æstimationi, nondum satisfactum judicio & æstimationi ipsius Domini, qui nullo cum pretio sua sæpe cupiat immutata. Et eo loco agros suos CRASSUM habere.

Pro Prætoribus contra in medium offerebatur:

I. Verum se id agnoscere, Principes & Magistratus non dominio, sed Imperio tantum omnia possidere: neque hercle in id nunc impingi; non enim dominium exercere prætores. Neque enim eos suum credere quod sit Privatorum, sed suum facere constituisse pretio justo oblato; quomodo rerum suarum privatis inter se permissæ sunt alienationes, quidni eodem privati publicæ exspectationis Imperio satisfacerent? Inter privatos volentes fieri rerum alienationes, quòd par in parem Imperium non habet. Contra inter Magistratus volentes

lentes & privatos coactos admitti posse alienationes, quia Magistratus Imperium habet in privatos. Non tamen absolutè id posse Magistratus, sed ad persolvendum pretium teneri. Quia in res privatas nullum dominium possunt usurpare; atque ita agere prætores constituisse.

II. Agros olim & areas communes Reip. fuisse assignatas, sed pro modulo civitatis quantillæ in primo sui exordio erant. Nunc illis auctis, præsidium meritò peti ex possessionibus privatorum, præsertim, cum quicquid publicè fit, fiat etiam in commodum singulorum.

III. Privatos se & sua omnia debere Reip. & accepta & conservata, etiam sanguinem & vitam: quid ni igitur bona? Nam qui majus debet, minora etiam haud dubiè debere intelligitur; & tanto quidem magis, quia oblato pretio non gratis agros suos CRASSUS aliique in Remp. sunt collaturi.

IV. Ut urbanorum & rusticorum prædiorum inter privatos quædam sunt servitutes, ne scil. hominibus officiatur, ne supra præscriptum altius extollantur ædes, ut transitus & iter aliaque aliis concedantur: Ita tacito quodam contractu videri Rempubl. hanc sibi servasse potestatem & privatis indixisse servitutem, ut, quotiescunque opus, quam minimo fieri posset privatorum damno, privata publicæ cederent necessitati. Naturalem igitur, & juris Gentium hic esse obligationem, qua hoc casu Cives patriæ suæ obstringuntur.

V. Facilè autem posse æstimari privatorum

Bona,

Bona, nimirum, si & pro bonis satisfiat pretio vulgò recepto, ubi emptiones, venditionesque agrorum inter privatos instituuntur, &, si pro ratione damni, quod ex coacta alienatione sensit Dominus, Magistratuum judicio insuper quid adjiciatur. Neque enim æquum esse, ut ubi cum Repub. initur contractus, in infinitum extendatur pretium finitæ rei. Eo casu contumaciæ Privatorum & iniquæ æstimationi non præmium sed pœnam deberi.

DECRETUM.

Quæ quanquam magnificè dicerentur, aliàs vim & locum habitura, prævaluere tamen, qui pro *Crasso* loquebantur. Non quod nihil Reipubl. liceat in privato loco invito Domino, sed quod plurimum referre arbitrarentur Patres, aliquidne pro Republ. necessariò fiat cum incommodo privatorum, an ad voluptatem & ornatum duntaxat. Aquæductus autem isti quos moliebantur Prætores, præter ornatum & voluptatem nullam necessitatis rationem in se continebant.

EVENTUS.

Itaque ab incepto Prætores destitere, & autoritate Patrum suus *Crasso* ager relictus est.

JUDICIUM.

Magistratuum autoritas in diruendis, mutandis, aut vindicandis sibi privatorum bonis, non ad libidinem Magistratuum se extendit, sed adstricta est Reipubl. necessitati. Æqua enim

hic

hic autoritas eſt, id tum velle quod omnino debes velle. Itaque in publica tantum neceſſitate privata omnia ita publica fiunt, ut privatis tantundem reddatur. Id magna ſeveritate aliàs ſecuti ſunt Romani. Cum enim Publius Lentulus Princeps Senatus in Campaniam miſſus eſſet, ut privatos agros qui in publicum Campanum incurrebant, pecuniâ publicâ coëmeret, renunciavit (ſicuti Cicero contra Rullum loquitur) nullâ ſe pecuniâ fundum cujuſquam emere potuiſſe. Senatus decrevit nihilominus ut agri venderentur, Gentium jure, aut privatorum non læſa libertate. Et ſanè ſi muniendi oppidi cauſa, ducendi muri, foſſæ aut viæ publicæ aperiendæ, fori conſtruendi privato agro aut Inſula opus eſſet, poſſet pretio ſoluto ſumi ab invitis. Cum enim nos noſtraque omnia, ſicut dictum eſt, Reipubl. debeamus, ſi ea ultro non offerimus ubi opus, venditio coacta non ademptio eſt, ſed condictio repetitioque ab ingrato. Id ipſum in Batavia quoque & limitaneis ſive præſidiariis Belgii Civitatibus continuo obſervatur. Interim prudentiâ Magiſtratus, cum coactæ illæ venditiones privatis incommodæ ſint, nonnunquam multa ejuſmodi incommoda poſſunt præveniri, ſi decretis nimirum in tempore conditis obſtent, ne quæ talia in agris ſuis moliantur privati, quæ Reipubl. cauſa deſtruere poſtea aut demoliri ſit neceſſe. Ita, quod & in Belgii nonnullis limitaneis Civitatibus obſervatur, prædia & ædificia ſuburbana, quæ obſeſſis noxæ & obſidentibus commo-

do

do esse solent, ubi obsidionis instituendæ perpetuus incumbit metus, caute possunt, & merito inhiberi. Ita enim incommoda privatorum prudentiâ Magistratus præveniuntur, aliàs titulo Necessitatis publicæ excusantur.

DISQUISITIO.

Quomodo exorta populi, iniqua aut à tempore aliena petentis, seditione ob decreta in nonnullorum gratiam facta, salvis illis, salvaque Autoritate publica, excitata seditio ex tempore componi queat & sopiri.

CASUS XXXII.

Ex superioris seculi Gallica historia depromptus.

INter initia Civilium inter Gallos ob Religionem bellorum, Parlamento Regio condere Decretum placuit, quo Ecclesiastici homines & sacros ordines professi à solvendis tributis bellorum causa indictis immunes pronunciabantur.

Ea propter plebs *Lutetiæ* Parisiorum correptis armis tumultuari, obsidere Curiam, vociferari iniquum esse id Decretum, neque unquam passuros se, ut ea gratiâ Ecclesiastici utantur; quorum causa & instinctu cum ad Civilia bella hæc deventum sit, in publici oneris partem maximè eos venire oportere.

Sena-

Senatores, quid agendum esset in tanto motu, ex tempore consultavere.

SENTENTIÆ.

Alii corripiendos tumultûs autores, inque eos severissimè animadvertendum esse statuebant. Contra verò nitebantur alii. Intempestivè enim nunc de pœnis cogitari quæ in perniciem Reipubl. essent redundaturæ. Pœnam interponi non posse sine Magistratuum authoritate. Jam autem in seditione totius multitudinis eam inferiorem esse Magistratuum authoritatem. Itaque hoc imprimis nunc agendum, ut in Autoritatis invalidæ locum prudentia succedat, qua sola, si cauti sint, se esse posse majores.

Alii igitur rescindendum in Ecclesiasticorum gratiam factum Decretum censebant. At verò id ipsum Consilium aliis quoque est improbatum.

I. Enim hoc pacto exponi contemptu Senatus authoritatem asserebant, qui in gratiam plebis rescissis semel Decretis, eidem malo continuo & in aliis obnoxius redderetur.

II. Addebant, in eo consilio nihil esse aliud quam malum ex malis serere, & novis turbis excitatis præsentibus mederi. Neque enim Ecclesiasticos pacatis animis passuros, si ab obtenta decretaque gratia semel destituantur. Quid autem intersit sacros ordines eorumque factionem, an plebem tumultuari? Itaque media & placitura omnibus aliis placuit via censentibus, ut jam nunc decretum conderetur & palam pronun-

pronunciaretur, quo ad statum diem Lutetiam Ecclesiastici evocarentur, & spes populo proponeretur, futurum, ut in conventu indicto de toto hoc negotio cum Ecclesiasticorum Delegatis continuò agatur.

DECRETUM.

Placuit consilium postremum.

EVENTUS.

Is voto respondit. Nam hoc decreto impræsens omnibus erat satisfactum, neque aliud nunc agebatur quam ut impræsens seditionis causa tolleretur. Satisfactum Senatoribus, quorum authoritas non convulsa: Satisfactum plebi, quæ optimæ spei plena, quasi obtinuisse jam sibi videbatur quæ petebat. Satisfactum denique Ecclesiasticis, quibus accepta privilegii gratia immota etiamnum manebat & inviolata.

JUDICIUM.

In tumultu multitudinis, cum vis & autoritas Magistratuum vix quicquam possit, nec tamen prostitui debeat aut succumbere libidini multitudinis, ad moderata, callida, & speciosa consilia recurrendum est. Sunt autem talia in quibus differuntur res, quas & negare, & annuere Populo æquè est periculosum, & tamen interim magnæ spes impræsens obtruduntur. Namque ea ferè populi indoles est, ut umbras rerum & species à rebus plerunque non discernant: ut spes oblatas semper latius interpretentur: ut denique quæ à Magistratibus in spem pro-

promissa sunt, tanquam certa & confirmata amplectantur; ex præsentibus enim futurum metitur. Denique ubi Decretorium, ut loquuntur, consilium in præsens exeri non potest, optimum illud est quo fit, ne præsenti tempore adversus Rempubl. utantur tumultuantes, & Magistratuum Decretorio Consilio futurum & commodius tempus aperiatur.

DISQUISITIO.

An non extraordinario in casu oblato, extraordinarius constitui debeat Magistratus, etiam adversus recepta privilegia & leges, ubi ordinaria & consueta imperandi ratio aut non sufficit aut obest necessitati.

CASUS XXXIII.

Ex Historia Belgica depromptus.

CUm Alexander Farnesius, Parmæ Placentiæque Dux, Antwerpiensem Brabantiæ Civitatem obsidione cinxisset, atque in ea etiam recepti moris esset, ut de plerisque rebus Rempubl. concernentibus non *Consules* tantum & *Senatores*, ut supremi Magistratus; Sed sodalitates & opificum & infimæ plebis, quas Gildas vulgò vocant, consulerent: Quæsitum non semel est, An non Extraordinarius Magistratus, summâ authoritate instructus constitui debe-

ret,

ret, qui obsidionem ſpectantia cum primis negotia ſolus curaret.

SENTENTIÆ.

Negabant id alii fieri oportere, præſertim qui ordinis plebii erant.

I. Integra plebi privilegia ſua eſſe relinquenda, quæ pro libertate reperta, quando tandem magis exercenda eſſent, quàm tempore oppugnatæ Libertatis.

II. Ea negotia quæ ſalutem omnium ſpectant, melius conſiliis omnium expendi & decidi, ſi non ob aliam, ſaltem ob pacis publicæ cauſam, cujus tunc maximè habenda ſit ratio, ubi in proximo hoſtes ſunt. Jam autem ab omnibus Reipubl. Ordinibus Decreta ſine turbis effecta dari, quæ exoriuntur facilè ubi paucorum quorundam conſilia vel ut ſuſpecta vel per invidiam pleriſque non probantur.

III. Privilegiorum Populi vim in uſu conſiſtere, eoque optimè conſervari; quo vel ſemel tantum in arduis præſertim negotiis intermiſſo, venire ea nonnunquam in deſuetudinem, aut non ita utantè æſtimari.

Affirmabant interim alii, & pro extraordinario Magiſtratu loquebantur.

I. Privilegia non imponere perpetuitatem neque neceſſitatem, ſed tunc duntaxat, cum ex eorum uſu ſperata commoda poſſint reportari. Privilegium enim eſt, non quo cogaris aliquid facere (hoc enim vim potius quam gra-

tiam sapit) sed quo, ubi commodum est, agengi aliquid habes potestatem.

II. Privilegium Principum quo placuit de Republ. omnes consuli; spectare potissimum eas res, quæ longas deliberationes patiuntur & tractum quendam consiliorum. At ex tempore jam consilia capi debere adversum ea quæ improvisa & ex tempore ab hostibus offeruntur.

Illos felicius semper cum hostibus commissos fuisse, qui in rebus suis exequendis potius consuluerint impositam ab illis necessitatem, quam illa, quæ ut alibi commoda sint, ita adversum hostes non sunt instituta.

III. Si omnes consulantur, labi & tempus & occasiones, animam rerum gerendarum.

IV. Ubi omnes consuluntur, minus consilii esse & plus dissensionum: quibus tracta & impedita Respubl. non possit non continuò laborare.

V. Frustrà de amittendo privilegio metuere sibi Plebem & queri: Novo quippe hoc magistratu instituto, non tolli id, sed prudenter tantum differri.

VI. Neque etiam videri differri aut postponi, si ex omnibus collegiis paucis maximè idoneis delectis summa rerum impræsens permittatur. Namque ita in paucis quasi omnes repræsentari, & satisfieri posse incumbenti Reipubl. necessitati.

DECRETUM.

Prior tamen sententia, ob plebejorum hominum

num eam tuentium contumaciam, prævaluit, quasi ad conservandam populi libertatem maximè comparata.

EVENTUS.

Hinc nata est Antwerpiæ non solum animorum & rerum in Reipubl. administratione quædam confusio & perturbatio, cum imperium, quod penes unum aut paucos esse debet, in plura Collegia, atque adeò plebem studiis, consiliis ac factionibus distractam, divideretur; ita ut in commune nihil in tempore constitui decernique potuerit: quæ mala tandem extremum omnium, Urbis nimirum expugnatio sequuta est.

JUDICIUM.

Postrema tamen sententia pro præsenti necessitate & Reipubl. conveniens erat. Privilegia publica, uti non indulta haberi debent, cum mutata rerum ac temporum conditione nocere magis possunt quam prodesse. In perpetuo igitur & immoto ipsorum usu, non tam prudentia est, quam contumacia. Omnia rebus ac temporibus accommodanda sunt. Vetus Imperii ordo in extraordinariis rebus oblatus, & ad res alias comparatus, si continuo observetur, confusio in Republ. est non ordo. Itaque libertatis ut studiosissimi erant Romani, sic ejus conservandæ causa nonnunquam de ea plurimum remisere. In difficilibus rebus & statim & unius autoritate & sine controversia expediendis extraordinario Dictatore Magistratu creato

utebantur, qui ſumma inſtructus Autoritate in uſum Reipubl. impendebat illud tempus, quod inter plurium altercationes ut irritum, & vanum effluxiſſet.

DISQUISITIO.

Quomodo in fœderibus quæ cum exteris aut vicinis Principibus aut Civitatibus aut Rebuſpublicis ineuntur, maximè providendum ſit, non tantum ut leges Fœderis accurate utrinque obſerventur: ſed ut Legibus inſeratur, caveaturque, ut tam perpetua maneat cauſa, cui ut fundamento innititur fœdus, quam perpetuum futurum eſt ipſum fœdus.

CASUS XXXIV.

Ex Germanica Trevirenſium Hiſtoria petitus.

SUno & alii Trevirenſium ſive Archi-Epiſcopi, ſive Principes, cum antea intra modicos limites conſtricta potentia gaviſi eſſent, pro ambitione ſua Jus & Libertatem & Privilegia Civitatis uſurpare magis indies & invadere cœperunt: exemplo Agrippinenſium & aliorum in Germania Epiſcoporum, qui, ſua autoritate provecta, Jus Civitatum quibus præerant in dies ſingulos minuebant.

Trevirenſes & id ferentes indigne & graviora in dies metuentes, niſi in tempore obſiſterent, & interim tamen Libertati ſuæ adverſus Principes defendendæ ſoli vix pares: implorato aliorum

rum auxilio, initoque cum iis fœdere rebus suis prospicere statuerunt. Inter alia Anno Christiano cIↄ ccclxxvi. actum est de Lotharingiæ Duce in patronum Civitatis certis conditionibus adsciscendo. Quæsitum itaque in Senatu Trevirensi est · An illum ea de causa; & quibus legibus adsciscì oporteret?

SENTENTIÆ.

Alii *Lotharingum* præ cæteris & solum commendabant; quia & magnarum ille virium, & in Germania, ac proximo Trevirensibus agro, Civitates & Arces munitissimas plurimas possidebat, quas Trevirensium intererat, non aliis quam sibi esse amicas, & ex quibus commodissimè se adversus quosvis hostes poterant tutari.

Alii adversus Lotharingum objiciebant, vera quidem esse, quæ de Lotharingi potentia ejusque arcibus earumque usu dicebantur: sed interim Arcibus illis negligentia Ducis ab Hostibus captis, aut à Duce aliis oppignoratis vel venditis, vel alio quovis pacto oppignoratis, onus ac necessitatem observandi fœderis futurum penes Trevirenses,& nullum tamen fœderis fructum; cum *Lotharingi* Arces præcipuum fundamentum sint fœderis à *Trevirensibus* cum eo ineundi.

DECRETUM.

Hac quamvis magna difficultate insuper habita, priora consilia prævaluere; initumque est cum *Lotharingo* fœdus, quo placebat ut

Iohannes Lotharingiæ Dux,suo suorumque hæredum nomine Cives *Trevirenses*, eorum familias & bona in tuitionem suam acciperet, custodiam & conductum. Ut si quis *Trevirensibus* hostilia inferret, adversus eum iisdem prompto auxilio esset, aliaque ejusmodi, pro quibus *Trevirenses* vice versa obsequia iterum sua ac officia obstringebant, adjecta insuper magni pretii pensione annua, quæ Lotharingo ut Trevirensium Patrono persolveretur.

EVENTUS.

Improsper ille Trevirensibus fuit: Non quod illaudatum esset hujus fœderis consilium, sed quod non cautè satis propositæ essent ejus Leges. Nam paulò post & quædam Lotharingi Arces idoneo præsidio non infessæ ab Hostibus captæ sunt, & aliæ aliis oppignoratæ aut venditæ: qui Trevirenses juvare aut auxilio esse non tenebantur. Interim Trevirenses Lotharingo obstricti manebant, & annuam pensionem ei suscepti patrocinii nomine solvere tenebantur. Nullum interea fœderis fructum experti, qui ex arcibus dictis defensis servatisque solummodo poterat expectari.

JUDICIUM.

Imprudenter igitur rem gessere Trevirenses, nec in Legibus Fœderis condendis satis sibi providêre,ut cum Lotharingo necessarium erat fœdus, ita experiundo postea & judicio sapientum didicere, cum fœdere duraturam etiam

ejus causam debere stipulari, his aut similibus legibus adjectis.

I. Dux Lotharingiæ, castra sua aut Arces durante fœdere, non alienato, non vendito nec alteri oppignorato.

II. Idoneis præsidiis Arces adversum hostes idem confirmato, aliàs Trevirensibus eos suo præsidio insidere ac tueri integrum esto.

III. Si contra fiat, tanquam causa fœderis sublata, nullum fœdus & irritum censetor.

Qui igitur consilium fœderum cum aliis pro Republ. inituri sunt, semper advertere debent, quid sit illud potissimum cujus causa fœdus ineundum cum aliis venit; quo deficiente, cum fœdus potius servitutem imponat fœderatis, quam conferat utilitatem, suprema quorumvis fœderum Lex esse debet, ut causa observati fœderis ab ejus observatione nunquam divellatur. In aliis autem sæpe rebus desinit causa, ubi extat effectus: in fœderibus autem ea est ratio, ut quamdiu ex fœderis præscripto aliquid fit (fit autem id quamdiu durat fœdus) causa etiam durare intelligatur.

DISQUISITIO.

Quo pacto in fœderibus, quæ inter Civitates Populosque communis hostis arcendi causa ineuntur, certamina Ambitionis, per quæ usus sæpe perit, in mittendis, accipiendisque auxiliis commodè possint prævenire.

CASUS XXXV.

Ex Historia Gallica petitus.

Cum anno superioris seculi LXIII. in Galliæ Provincia, cui Aquitaniæ est nomen, illi quos Protestantes vocant, à diversæ factionis potentia & invasionibus sibi plurimum metuerent, de mutuo, quod offensivum vulgo & defensivum vocant, fœdere percutiendo, inter Aquitanorum Civitates actum est; eoque placuit, ut ingruente necessitate, aliæ aliis idonea & promptissima militum subsidia conferrent. Sed & mota tum controversia est, qui præesse missis in auxilium copiis deberent? An illi, qui mitterent, an verò illi ad quos defendendos juvandosque mitterentur?

SENTENTIÆ.

Cum ea de re consuleretur, in partes itum est. Alii præcipuæ Civitati, quæ majora cæteris subsidia præstaret, administrationem rerum deberi contendebant. Maxima enim deferenda illis, qui maxima conferrent. Maxima enim laboraturos illos, si aliorum negligentia, aut impari

pari cura aliquid inferretur adversi. Alii, fœdere omnes æquales fieri; ideoque inter Fœderatos neminem majorem aliis præsumi asserebant. Namque inter fœderatos disparis fortunæ, licet alii majora, alii modica offerant ad tuendam communem causam, æquales tamen videri, dum quisque confert quantum ex pacto debet. Censebant alii igitur, omnium & consilio & suffragio & nomine aliquem mittendis auxiliaribus copiis imponi oportere, quippe ita satisfieri omnibus posse.

Alii contra urgebant: Utilissimum videlicet futurum, si quis alteri succurrit, quòd missa auxilia ejus Imperio subsint cui succurrit.

I. Quia prioribus aliorum sententiis nec ambitio nec dissensiones commodè tolli videbantur. Non Ambitio, si præ cæteris unius Civitatis hic esset æstimatio: Non dissensiones, si inter multorum vota de auxiliarium copiarum supremo præfecto esset statuendum. Jam autem ambitione & dissensionibus fieri, ut pereant & inutiles reddantur promptæ rerum occasiones.

II. Qui auxilio opus habet, idque aliunde ex fœderis præscripto accipit, optimè omnium intelligere, quomodo eo uti debeat. Itaque in hac controversia illius potissimum habendam esse rationem.

III. Cum missa auxilia cum copiis eorum conjungenda sint, quibus juvandis mittuntur, ac ea ratione quasi in unum corpus coalescant, expedire, ut unius supremum agnoscant Impe-

rium, illius imprimis, cujus, quia oppugnantur fortunæ, in recto usu auxiliorum cura & industria futura est major.

IV. Denique hac ratione neminem præponi aliis, neminem postponi, semper præposita cujusque Fœderatorum præsenti causa & necessitate.

DECRETUM.

Placuit Fœderis legibus inserere, ut si quisquam Aquitanorum in sua ditione opus haberet aliorum subsidio, id & exposceret, & in tempore obtineret, utque missa in auxilium manus subesset illis, quibus juvandis esset ventura.

EVENTUS.

Favit ille consilio Decreti, omni ambitionis certamine hac ratione sublato impræsens, & imposterum prævento.

JUDICIUM.

Cum Ambitio propria sit magnæ fortunæ & ejusdem tamen pestis ferè exitiumque sit, nemini non liquet, miseris non licere esse ambitiosis: Ita tamen vulgo fit, ut depravatus ille, & publicorum negotiorum remora affectus in afflictis etiam rebus vix exuatur. Nam & sapientibus, inquit Tacitus, omnium novissima exuitur ambitio. Non aliud autem adversus eam remedium est, quam, ubi plures ambitiosi sunt, ita Consilia dispensare ut singulis satisfiat. Singulis verò satisfiet, si ea, de quibus ambitiose condenditur, non perpetuo uni, sed omnibus;

nibus; non ambitioni, sed singulorum causæ & necessitati per vices tribuantur. Rectè igitur statutum ab Aquitanis, quod ne aliis alii viderentur præferri, pro occasione oblata singulis permiserint quæ singulis poterant evenire. Ita enim impræsens nemo postponebatur, quamvis alio præposito, utpote suo tempore ipse etiam præferendus. Sed & securitatis necessitatisque Lex flagitat, ut missa subsidia illis subsint ad quorum fortunas juvandas mittuntur. Quod cum necessitate temporum constricti sub initia Civilium bellorum ab Anglis obtinere non possent Ordines Fœderati, multis malis incommodisque Lycestrii Anglorum Ducis præfecturâ sunt involuti.

DISQUISITIO.

Quomodo inter Situ & potentia inæquales populos, quos tamen, ut vicinos, in unum fœdus coïre oportet, æqualitatis ratio possit inveniri.

CASUS XXXVI.

Ex Historia Belgica depromptus.

CUm Hollandia, Zelandia, Geldria, aliæque Provinciæ Belgii, quæ postea à mutuo fœdere fœderatorum nomen accepere, de ineundo illo tam necessario & utili fœdere cogitarent: admodum disceptatum est, quomodo disparis adeò conditionis & fortunæ Provinciæ eodem, & tam æquali fœdere possent comprehendi.

SENTENTIÆ.

Objiciebant alii veteres, ut fit, neque adhuc finitas controversias quarundam harum Provinciarum; quibus durantibus & non sopitis stabilis fœderis concordiam non facilè sperari posse aut obtineri. Sed exceptum ab aliis, harum controversiarum conditionem in pacatiora tempora esse rejiciendam. Enim verò mutatam esse faciem rerum, non jam litigandum singulis de jure quod de aliis prætendant, sed adversus hostem armis litigandum, de juris omnium ac Libertatis conservatione: qua feliciter impetrata, de cæteris tempestivè agi. Nam frustrà nunc inter singulos de illis litigari, quæ, dum liti incumbitur, libidini hostium exposita omnes sint amissuri.

Objiciebant alii nimis disparem Provinciarum fortunam. Quæ cæteris potentiores erant Provinciæ, tanto infirmiores se futuras causabantur, si ad infirmiores juvandas fœdere obstringerentur.

Sed ad ea ab aliis responsum est, non jam venire considerandum, quæ Provincia opibus major, quæ infirmior sit: sed quàm par & misera, nisi mutuo auxilio se complectantur, futura sit singularum fortuna. Itaque etiam atque etiam animadverterent Potentiores, non tam se juvaturos infirmiores quam in infirmioribus sese esse necessariò juvandos. Sed & ad animum suum revocarent, non tam imminui potentiam suam, in subsidium infirmiorum obla-

oblatam, quam qualicunque etiam infirmiorum opera adjecta augeri eam & conservari. Sed neque illud nunc permitterent, validiores Provincias, potentiam suam non jam contendere oportere cum aliarum, quæ in fœdus adsciscendæ sunt, infirmitate: sed verò cum potentia majori communis hostis; cujus respectu singulorum potentia, quanta tandem sit, nulla, imo non nisi infirmitas quædam aut inopia debeat æstimari. Conjunctis igitur demum singulis, omnes valituras: Magnos Exercitus, si adversus majores educendi sint, unius etiam Legionis accessione juvari. Quæ in limite positæ Provinciæ & incursionibus hostium continuò expositæ erant, ut Geldria, aliæque damna bellorum assiduè sibi incubitura causabantur, cæteris interioribus Provinciis tutis intereà securisque mansuris. Nimis igitur iniquam suam futuram conditionem, si æqualis fœderis præscripto ad eadem cum interioribus & minus aut nihil noxæ reportaturis Provinciis onera præstanda cogerentur. Agro enim suo prono hostibus & aperto haud se eisdem oneribus ut cæteras Provincias sufficere posse. At verò ad ista ab aliis exceptum est, haud difficilè esse, inire æquæ proportionis rationem, qua quæ limitaneis Provinciis præsentissima damna inferenda sint, minoribus oneribus impositis, aut pro ratione noxæ illatæ majoribus remissis, cætera in partem curarum ac sumptuum possent solari.

Denique objectum, diversa singularum, de-

quibus agitur, Provinciarum jura, Privilegia, Constitutiones, & consuetudines esse; quibus nonnullæ prohibeantur pro communi causa agere, quæ aliis agere licitum sit. Itaque videri earundem diversitatem pati non posse hujus fœderis aut unionis æqualitatem, nisi forsan mutetur singularum harum Provinciarum status. Quod nec passuros subditos & cum summo discrimine esse conjunctum.

Sed ab aliis tum quoque exceptum, non ista utilissimi fœderis consilio obstare. Singulis Provinciis relinqui posse integram & receptam rerum suarum administrationem. Interim respectu communis causæ & belli ex singulis constitui posse unam quasi Rempubl. cujus Res ex omnium Provinciarum Legatis constitutus supremus Senatus, non nisi ex singularum Provinciarum arbitrio, salvisque singularum legibus, quæ securitatem omnium spectant, sit curaturus. In eo Helvetiorum Rempubl. jam præivisse.

DECRETUM.

Factum igitur æternum & utilissimum fœdus est, quod cum pro commodis omnium esset, conditionisque singulorum haberet rationem, omnes haud difficulter sunt amplexi. Hujus autem tanti fœderis Leges, (quo hodieque adhuc utitur & constat Fœderatorum Belgarum Respubl.) petes ex Meterano, vel etiam ex descriptione status Fœderat. Belgii M. Boxhorn. Cap. 1.

EVEN-

EVENTUS.

Huic Fœderi, qualis & quanta nunc est, Fœderatorum Respubl. debetur.

JUDICIUM.

Equidem utilissimum æquissimumque exstitit illud fœdus, in quo omnibus, quanquam diverso respectu inæquales essent, abundè est satisfactum. Nam & par cum cæteris exstitit eorum autoritas, quorum quanquam impar esset potentia, par tamen & eadem cum cæteris erat causa, & paria singulorum pro Republ. onera fuere ferenda: quanquam paria & eadem singuli non conferrent; quia ad cujusque gentis opes & fortunam attendebatur. Et sane in ejusmodi Consiliis Geometricam non Arithmeticam proportionem sequi, nec seorsim singulos, qui juvantur; sed omnes in singulis juvari oportere, considerandum est. Potentioribus denique hic semper est cogitandum, tanto promptius & majoribus opibus ad cæteros juvandos venire se debere, quanto magis ab illis, quibus auxilio fuerunt, ipsi postea juventur.

DIS-

DISQUISITIO.

An & quando præsentia quædam bona à Magistratibus ut mala rejici debeant, ubi certus aliquis metus magni alicujus mali eventuri, si præsentia bona admittantur.

CASUS XXXVII.

Ex Belgarum rebus petitus.

SUperioribus annis ex Gallo-Belgicis Provinciis injuriis bellorum, & hostium incursionibus continuò vexatis, plurimi tenuioris nulliusque (ut sic dixerim) fortunæ in Bataviam se contulere, ac Lugdunum Batavorum, ob lanificia quæ exercentur illic, quibusque illi domi assueverant, imprimis admitti cupivere. Sed Urbs ut ut maxima, tantæ tamen multitudinis recipiendæ nimis angusta videbatur. Deliberatum itaque in Urbano Senatu est; An non pomœria civitatis latius extendere, &, ut paulo ante, novam urbem veteri adstruere, conveniens & pro Republ. esset.

SENTENTIÆ.

Affirmabant id alii:

I. Haud rejiciendos exteros & afflictos, qui olim admissi sub initio civilium bellorum & splendorem & opes magnas civitati plurimisque privatorum conciliaverunt.

II. Haud admissos aliò concessuros & lanificii usum ac mercatum, quo civitas floret ma-

maximè, simul, cum domicilio translato alio fortè aut in proximas civitates translaturos.

III. Contra verò admissos pannorum & lanificii istum mercatum adaucturos plurimum.

IV. Pannorum ad instar Anglicorum contexendorum in hac civitate nuper initam esse rationem: multorum hic ministerio opus, Mercatores queri de defectu operariorum. Quidni igitur profugi isti & extorres admitterentur?

V. Nam admissos, non oneri Civitati, sed usui futuros. Nam & suo se familiamque suam labore sustentare eos posse. Præterea aliorum privatorum intendere opus; denique augere vectigalium proventum, in quibus & communis patriæ & Communes hujus civitatis opes sitæ sint.

VI. Ea etiam causa ante annos aliquot auctam nuper Civitatem, optimè id cessisse experientiam testari; cur igitur æquum & utile exemplum imitari dubitarent?

Alii tamen acriter instabant, non augeri recipienda illius multitudinis causa & extendi civitatem oportere.

I. Non esse id impietatis, neque rejici afflictos, quos capere non possis. Non tam exterorum eorumque necessitatis, quam civium suorum bono cuivis Magistratui curam habendam esse: sed & ubi de Republ. agitur, misericordiam meliorem aliis, quam Magistratibus esse affectum.

II. Etiamsi

II. Etiamsi non admissi, aliò se contulerint, nihil noxæ lanificio Leydensium aut præjudicii allaturos. Fama ejus rei Leydenses esse potiores, quâ, ut bella foris, sicuti ille loquitur, ita opificia & eorum æstimatio, domi & apud exteros constat. Conditas hic leges, quarum ex norma pannorum, lanarumque textura exercetur. Constitutos hic sive censores, sive curatores publicos; quorum autoritate fit, ut nemo exorbiter extra præscriptas texturæ leges. Ita pannorum Leydensium ut optimorum, ut ex fide contextorum magnam esse ac veterem & unicam inter exteros famam; quam vicinas & alias civitates ab ejusmodi politia destitutas, haud facilè obtinere posse.

III. Non jam videndum esse, an plures operariorum & privatorum manus desiderent, privatim lucro suo tantum inhiantes mercatores: sed an plures recipere vel admittere Respubl. debeat. Non quid singulis usui, sed quid civitati in universum sit, considerandum esse. Singulos ad præsentia & sua: Magistratus ad futura, & quæ omnium sunt, attendere oportere. Usum eorum hominum, de quibus agitur, in præsens penes Cives: imposterum incommoda & necessitatem penes Rempubl. futuram. Jam autem Remp. instar omnium in his consiliis esse.

IV. Suo quidem labore quotidiano sustentare se illos homines, dum valent: sed multos casus prudenter metui debere & posse, quibus oblatis sibi & suis alendis, non sint suffecturi;

neque

neque tunc tantæ multitudini alendæ suffecturam Rempubl. Quod si fiat, ut facilè fieri potest, quid præter motus & turbas & Civitatis quandam direptionem ex illa infima fæce Romuli nepotum esse expectandam?

V. Quod si enim privatim morbis involvantur, recurri tum ad Rempubl. stipem ejus & subsidium implorari, atque ita hanc exhauriri.

VI. Defunctis quoque pauperiorum istarum familiarum patribus, viduæ & relictus grex liberorum, qui labori haud dum sunt pares, ærario Civitatis oneri sunt futuri.

VII. Quid si atrox iterum pestilentia incumbat Civitati? tunc claudi & sisti quasi commercia, pannos & lanea tegmina Leydensium haud expeti. Itaque quasi Justitium quoddam opificii tunc esse. Interim videndum erit tantæ multitudini, nec admissam semel ejicere licere; quomodo tunc civitas necessitati omnium suffectura? Hæc superiorum annorum calamitate & experientia abunde se cognovisse.

VIII. Quid si lana etiam aliquando aut alia aliqua opificii exercendi materies deficiat? sanè ex Hispanica lana confici pannos ferè meliores. Jam verò bellis Lusitanorum cum Hispanis exortis, haud dubiè abigendos turbandosque esse plurium ovium greges. Hinc lanæ ejusmodi facilè futurum defectum; ex ejus defectu futurum ut sileant textrinæ; textrinis verò silentibus omnium egentem tantam multitudinem futuram.

IX. Posse etiam offerri penuriam frumentariæ

riæ

riæ annonæ aut caritatem. Ea occasione tantam multitudinem, ut solito labore; ita solita mercede tantum accepta, sibi suisque non suffecturam. Atque sic etiam civitati veniendum erit ad impensas & partes.

X. Quid? quod exterorum multitudinem majorem quam civium admittere, omnino inconsultum videatur. Minus in illis fidei & obsequii, plus turbarum, quæ tantò metuendæ magis sunt, quantò plures earum causæ, quas jam explicavimus, possunt offerri. Non plura apprehendere debere Magistratuum manus, quam possint continere. Ut tuta & ingentis potentiæ Imperia intra limites se constringunt, quidni id quoque meritò agant singulæ civitates? Quorum Magistratuum quantò minor & inferior est, quam supremorum Principum Authoritas, tantò magis providendum, ne quid tale aut tantum agant vel admittant, cui tuendo parem non habeant autoritatem.

II. Olim auctam Civitatem id bene cessisse: neque id inficias se ire. Verùm id impræsens non quæri: sed hoc quæri, an imposterum etiam id bene sit cessurum? Non omnia Majorum Exempla, quamvis usu suo probata, imponere probationis necessitatem. Quædam ex illis talia esse, quæ simul & se exhauserint & posterorum mutationem: quæ continuò sequi velle & exprimere quid profectò est aliud, quam in eo, quid nimium est (quod excessum in virtutibus vocant) quod in hac causa velut excessus est & vitium civitatis, graviter peccare.

DE-

DECRETUM.

Placuit igitur, recipiendæ exteræ illius & pauperrimæ multitudinis causa non extendere limites civitatis.

EVENTUS.

Plus quietis & pacis ex eo impræsens est, & imposterum plus securitatis.

JUDICIUM.

Duum generum res de Republ. deliberaturis nt plurimum offeruntur. Quædam quæ simpliciter bona, & nihil admixtum mali habent. Quin sine controversia amplectendæ illæ sint, inter sanos non potest dubitari. Sed verò raro tales offeruntur. Quædam igitur & pleræque ita bonæ sunt ut, sicut loquitur Plinius Junior, malorum aliquo confinio lædatur. Ardua de illis est omnis deliberatio. Cautè igitur sententiæ debent iniri. Circumire hic omnia momenta, tempora & casus debet prudens Magistratus; Spes & metus, bona & mala, præsentia & futura inter se contendenda sunt. Si plus boni quam mali exspectetur, metus minoris mali non debet impedire aut subvertere spem majoris boni. In hoc bivio præponderare & potius censere debet quicquid excellit, sive mali causâ aliquid declinandum, sive boni causa aliquid agendum statuamus. Non aliter atque ubi multis sumptibus opus est eos libenter impendimus, si ex impensis plus commodi deportemus, quam incommodi in impendendis.

At

At verò si æquale & bonum & malum sit, quod ex eodem negotio spectatur, cum bonum propter æquale malum nullius usus sit,& quodvis interim malum magno incommodo Reipubl. sit, malum ut majus existimari, ideoque totum negotium debet intermitti. Denique ubi certior metus mali est;quam spes boni; ubi malum metuitur, quod nulla industria humana aut Magistratuum potest averti; quodque tale aliquando esse possit,ut cum eo nihil sit conjunctum, quanquam in præsens multa bona polliceatur: idem de intermittendo consilium velim esse commendatum. Metuenti omnia præsentia maximè displicent, inquit Tacit. hist. lib. 3. Ego pro instituto nostro adjeci, Magistratui gravia mala non in vanum sed meritò & quæ evenerint, & quæ evenire possint metuenti, præsentia, quantumlibet arrideant, semper displicere oportere.

DISQUISITIO.

Qua ratione clandestinæ & dissimulatæ Rebelliones, aut alia adversus Rempubl. aut Principem meditantium Artes in apertum, in tempore possint produci.

CASUS XXXVIII.

Ex Historia Britannica petitus.

QUa tempestate Elisabetha Anglorum Regina præerat rebus, multus rumor spargebatur in Septentrionalibus Angliæ plagis, Northum-

thumberlandiæ Westmorlandiæque Comites aliosque rebellionem brevi prorupturam meditari, nec de ea aliud, quam ex rumore & fama populi constabat. Quæsitum igitur in Consistorio Regio est: Quid facto opus foret ad præveniendà mala, quæ ex rebellione, si vera esset, in tempore non oppressa poterant exspectari.

SENTENTIÆ.

Faciliores quidam insuper habendos populi rumores, ut vanos existimabant: sine authore eos spargi. Errare sæpè famam; & plus erranti credit. Si Regina famam, ut certam, amplectatur, magni mali initium existere posse, Principes sæpè rebelles facere fidelissimos subditorum, si de eorum fide aliqua ratione ostendant se adversa suspicari.

Sed objectum illis est, nihil summis Imperiis esse negligendum. Errare famam, sed & invenire. Jam verò, sive verus sive falsus iste rumor sit, interesse & Reginæ, & illorum Comitum, ut certi aliquid cognoscatur. Si verus, Reginæ interesse ut possit providere; si falsus, interesse Comitum de eorum fide certiora & meliora cognosci.

Acriores quidam confestim militares copias in Septentrionalem istam oram mittendas, in omnem Eventum existimabant, quibus primi, si fortè rebellio erumperet, conatus sisti possint ac impediri. Quibus objectum est, id esse intempestivum: Nihil aliud id esse, quam jam hostilia inferre, & fortè fidei ac quietis publicæ aman-

amantes & pravi ac iniqui rumoris injuria tantum circumventos ad hostilia pariter irritare. De malo igitur constare oportere, priusquam de remedio aliquid decernatur, præsertim tam extremo.

Prudentiores igitur quidam, in ipsam rem propius & statim inquirendum esse consulebant, eâ arte adhibitâ, quâ offendi Comites isti non possent, si forsan falsa de iis sparsa essent. Placuit igitur inire consilium, quo & certò cognosci possent, & palam facere consilia sua tenerentur illi, de quibus ex fama populi tam sinistra suspicio erat suborta.

DECRETUM.

Elisabetha igitur expensis singulorum consiliis statuit, ut peremptoriis, quemadmodum vocant, literis, quibus refragari, nisi rebelles, non deberent, Northumberlandiæ Westmorlandiæque aliique suspecti Comites in Aulam, quasi acturi de Republ. evocarentur. Sic enim quid animi illis esset, haud dubiè se cognituram existimabat. Ex eorum prompto pronoque adventu iniquitatis damnari poterat publica fama. Ex eorundem morâ & dedignatione parendi de Rebellione consilia abundè poterant constare.

EVENTUS.

Docuit ille probavitque hujus consilii utilitatem. Nam cum ad Aulam vocati Comites se non conferrent, eorum iniqua & adversa consilia patuêre. Prætereà in ipso initio cogi-

tatæ

tatæ Rebellionis deprehensi sunt, ac proinde facilius opprimi potuêre. Sine enim hoc consilio Rebellium Artes in apertum productæ non fuissent: nisi præsidiis ac instrumentis idoneis in palàm faciendam rebellionem comparatis. Itaque tum eam rebellionem sistere aut extinguere operæ majoris & molis fuisset.

JUDICIUM.

Perpetuæ prava in Republ. meditantium Artes faciunt, ut necessariæ sint ac utiles perpetuæ suspiciones, quas de illis concipiunt illi quibus cura Reipubl. est mandata. Popularis tamen fama suspicionum ferè mater, quia sæpè errat, & falsis ut plurimum facit locum, ejusdem & necessitatis & prudentiæ utilitatisque est, nihil ex suspicionibus facilè constituere. Itaque in earundem veritatem propius illis artibus est inquirendum, quibus suspecti, se suspectos esse non intelligant, & tamen aut confirmare suspicionem, si vera sit; aut tollere, si falsa sit, extemplo cogantur. Sic enim optimè in apertum trahuntur, quorum abdita timemus, sicut loquitur Tacitus. Quisquis suspicatur, suspensus manere debet, quandiu suspicatur. Quia autem suspenso animo nihil pro Republ. potest decerni, post natas suspiciones, omnis statim cura in id convertenda est, ut certa intelligantur. Si de rebellione quorundam proruptura sit metus, honesta & publica obsequia illis imperari debent, de quorum fide dubitatur: quæ aut admittere coguntur aut abnuere. Si ab-

N nuant,

nuant, non jam incertæ suspicioni, sed certo consilio est locus. Denique supremæ legis instar esse debent duorum Principum Romanorum exempla, Tiberii & Vitellii; quorum ille cum nimium tribueret suspicionibus, falsas ut certas secutus, iniquus extitit in suos: hic, cum minimum iisdem aut nihil tribueret, illorum iniquitate & artibus facilè est circumventus.

DISQUISITIO.

An nova instituta adversus receptas priscis temporibus leges introducta, & in Republ. aliquot jam annorum usu observata, ad antiquarum legum dictamen & formam sub prætextu quasi libertatis debeant mutari.

CASUS XXXIX.

Ex Historia Frisiorum petitus.

BOlswartia, haud ignobilis Frisiæ Occidentalis Civitas est. In ea ex veterrimi Plebiscìti præscripto mos olim observabatur, ut eorum, qui ad Consulares aut Senatorias evehendi essent dignitates, Nominatio & Electio (sicut vulgò loquuntur) penes totius populi multitudinem esset. At verò mutatis Belgarum rebus, cum eadem civitas Fœderatorum Imperio sese permitteret; placuit gravissimas ob rationes, ut creandorum Magistratuum potestas penes Gubernatorem aut Ordines Provinciæ esset; atque id institutum per multos jam annos magna cum

cum civitatis pace fuerat observatum, donec cives superioribus annis paucorum quorundam libidine ac ambitione animati, reddi sibi pristinas leges pristinamque Libertatem autoritatemque nominandorum ac eligendorum Magistratuum, magna contentione cupivêre. Quæ controversia ad Fœderatorum Ordinum Tribunal delata utrimque variè est discussa.

SENTENTIÆ.

Cives pro restitutione antiquarum legum tanquam pro libertate loquebantur.

I. Ob Tyrannidem Albani Hispanorum nomine Belgarum rebus præfecti, cum primo Fœderatorum partes sequi decrevissent, simul cum Domino formam Reipubl. suæ esse mutatam. Quod, utut tunc expedierit, pacatis nunc rebus, & meliori facie civitatis, pristina jura ob necessitatem temporum dilata hactenus potius quam sublata, reddi sibi oportere. Quæ metu, vi, necessitate in Rebuspubl. fierent, ut non facta censeri; nec imponere perpetui & ejusdem exempli imitationem.

II. Privilegium olim sibi indultum & totius civitatis consensu Plebiscitum conditum, & usque ad Fœderatorum Imperii initia inviolabiliter esse observatum, ut nominatio & electio Magistratuum, non penes alios quam ipsos cives esset. Cum autem pro conservatione privilegiorum ac libertatis Bellum Hispanis indictum sit: cur sibi Privilegium amplissimum, cur sibi illud, in quo liberrima civium potestas conspicitur, impræsens non redderetur?

III. Multa se incommoda ex mutata illa Reipubl.forma accepisse: multos civibus ingratos, multos haud merentes, gratiæ tantum gubernatoris aut ordinum innixos præfectos fuisse regundæ civitati. Ita autem se pro libertate sua existimare, imperaturum omnibus, ex & ab omnibus eligi oportere; præsertim cum ad rationem veteris Privilegii autoritas accedat.

Qui Magistratum tum Bolswartiæ gerebant, in conventu Ordinum longè alia dissérebant.

I. Omnem Reip. mutationem noxæ esse, quantò magis illam, quæ paucorum quorundam libidini potius & ambitioni, quam necessitati datur; præsertim, si mutatio animam civitatis spectet, regundæ nimirum Reipubl. rationem.

II. Sub initio Imperii Fœderatorum mutatam esse veterem Reipubl. formam ex necessitate & utilitate, ut hactenus docuit eventus. Cum enim tunc temporis in partes adhuc & factiones essent scissi Cives, hodieque diversa eorundem studia, ex diversitate potissimum Religionis sint, arbitrium eligendorum Magistratuum potius unius Gubernatoris, aut unanimiter agentium Ordinum, quàm incerti & discordis vulgi autoritati relinqui tum debuisse, & nunc relinqui eadem manente causa oportere.

III. Non in eo quod falso præfertur Privilegia aut plebiscita antiqua esse violata, sed rem communem civitatis esse servatam. Violantur illa, cum in perniciem Reipubl. tolluntur. Quasi ser-

ſervari videntur, cum ubi mutantur, cum mutatione ſalus Reipubl. continetur. Id ſemper ſupremis rerum adminiſtris hac de cauſa licuiſſe: quippe Rempubl. non ſubeſſe Privilegiis, ſed Reipubl. privilegia,

Quod & de Principibus & Magiſtratibus, de Legibus etiam ac plebiſcitis eſt ſtatuendum. Si electi Principes ac Magiſtratus, ut boni, ſi malè agant poſſunt exautorari: Quidni etiam Leges, quæ ut olim utilitate fuerunt commendatæ, ita in præſens, non niſi cum ſummo diſcrimine Reipubl. ſunt conjunctæ, impetrato hoc quod revocatum Cives volunt privilegio? Concordes Cives exſtitiſſe, unam & eandem fuiſſe eorum pro Republ. mentem: ideò Electionem Magiſtratuum immotæ eorum concordiæ datam tunc fuiſſe. Nunc autem eſſe diſcordes: cur igitur eadem Electio, in qua aſſenſu omnium eſt opus, diſcordiæ multitudinis relinqueretur? Plebiſciti fundamento igitur ſublato, quod eſt *Concordia*, id ſubſiſtere haudquaquam poſſe aut conſervari.

IV. Non malè mutatam veterem formam Civitati ceſſiſſe: ſublatam autem nunc, quod Cives volunt, haud dubiè plurima illaturam mala; quippe irrita hac forma eligendorum Magiſtratuum pronunciata, declarari quaſi omnia irrita, quæ à Magiſtratibus hac forma electis hactenus facta ac decreta ſunt. Vetere enim forma revocata in tam diſcordi indole civitatis, nunc harum, nunc illarum partium; nunc hujus, nunc illius religionis homines ad

Rempubl. pro libidine factiosæ plebis, fore admovendos. Veteres etiam & qui nunc sunt, Magistratus electos cum novis à populo electis perpetuas habituros contentiones. Sed & ægrè laturum nec passurum etiam gubernatorem eripi sibi hactenus datam autoritatem. Quæ mala omnia ejusmodi sunt, ut nonnisi turbatio quædam & Chaos veterum novarumque rerum, inquietudo Reipubl. perpetua, & tandem ejusdem ruina debeat exspectari.

V. Quin verò & magni nimis & periculosi Exempli, futuram hanc mutationem. Receptam nunc formam Fœderatorum Ordinum autoritate esse invectam; cur illa in gratiam paucorum quorundam libidinis prostitueretur? sed & si mutetur, eadem alias Civitates & Ditiones, quibus eadem evenerint, postulaturas. Quid autem id aliud, quam hujus laudabilis Imperii confirmatam vim atque immotum hactenus ordinem omnino subvertere?

DECRETUM.

Placuit igitur decernere, ut quieta & recepta non moverentur, ut vetus Plebiscitum cederet receptæ Fœderatis formæ, necessitati pariter ac utilitati.

EVENTUS.

Ita pax Civitatis & Supremorum Ordinum autoritas est conservata.

JUDICIUM.

Sicut antiquitus instituta, quam diu usu valent,

lent, mutari non debent: Ita aut avertendi mali, aut majoris usus obtinendi causa mutata, non repeti, ut antiqua, sed haberi ut sepulta & exstincta debent. Antiqua enim si talia tantum sint, nullius sunt & videri debent autoritatis. Tunc enim meliora illis nova sunt, ex quibus aut minus mali, aut plus boni reportatur. Fallit plerosque antiquitatis autoritas & nomen. Nam nova, quæ in veterum locum substituta & jam aliquandiu observata sunt, si benè se habeant, majoris sunt, quam vetera illa autoritatis. Sed & quæ nunc antiqua dicuntur, & non alio titulo quam isto repetuntur, aliquando fuere nova, sicut ille apud Tacitum est locutus.

DISQUISITIO.

Pacta & Fœdera publica, quo tutò iniri possint & observari, quanta cura, quantaque cautione antè omnia expendi debeant eorum Mandata, qui aliorum Principum aut Populorum nomine nobiscum de rebus arduis agendi decernendique accepêre potestatem.

CASUS XL.

Ex Historia Gallica depromptus.

Cum Anno 1598. atrox aliquandiu bellum inter Hispanorum Regem Philippum & *Henricum* Galliarum gestum esset, utrumque Principem & varia fortuna exercitum & Ponti-

ficis interceſſione, impulſum tam gravis belli ſatietas cepit. Itaque ſeriò actum eſt de pace, aut induciis ineunda. Conventus Oratorum utriuſque Regis Fervinii (quæ Burgundiæ civitas eſt) inſtituitur. Ibi cum mandata obtuliſſent Hiſpanorum Oratores (quæ procuratoria ſolent appellari) de iis in conſilium Gallorum Legati ivêre, cenſentes, Hiſpanorum Oratoribus non amplam ſatis ac idoneam conceſſam eſſe autoritatem, ad tantæ molis de pace aut induciis ineundis negotium probè abſolvendum. Miſſi autem ex Belgio Hiſpanico Hiſpanorum Legati, & Belgium Hiſpanicum Hiſpanorum nomine *Albertus* Auſtriæ Archi-Dux curabat.

Procuratorii verò mandati *Hiſpanorum* hæc erat ferè formula, terminis, ut loquuntur, generalibus concepta.

Sibi Alberto Archi-Duci Auſtriæ & Belgii Gubernatori Philippum Hiſpaniæ Regem feciſſe & eo nomine ſe facere Iohanni Richardoto ſecretioris Conſilii Præſidi & Iohanni Baptiſtæ Taxio Conſiliario Status, tanquam in eam rem maximè idoneis & fideliſſimis poteſtatem cum *Chriſtianiſſimo Galliarum Rege Henrico IV.* aut ejus Legatis, ſeu Inducias breves vel longiores, ſeu perpetuam pacem omni modo decernendi.

SENTENTIÆ.

Erant & inter Gallos, qui inſpectis his mandatis bonæ fidei formulam eſſe & ſufficere exiſtimabant.

I. Quam-

I. Quamvis potestatem Hispanorum Legatis his verbis concessam videri. Itaque tutò cum iis agi posse: utut enim quædam speciatim, quæ necessariò agenda veniant non sint expressa, sub generalibus terminis ea contineri: Talia enim ea esse, sine quibus mandatum executioni non possit mandari. Jam autem ex sententia etiam Jurisperitorum non credi aut censeri eum excedere mandatum, qui id agit, quod mandato cohæret & sine quo commodè expleri nequit. Sed & verbum illud *omnimodo* omnia sibi includere & omnium facere potestatem, ac proinde omnibus etiam quæ decernenda sunt, vim conciliare.

II. Frustrà agi de repudiandis rejiciendisque Oratoribus ab *Alberto* ad hunc conventum missis, tanquam *Alberto* personatim de hoc negotio agere, non autem alios in locum suum substituere liceret: quibus idoneis mandatis instructis tantum fidei quantum ipsi haberetur.

III. Non nimium Gallos in his mandatis excutiendis aut admittendis tergiversari vel curiosos esse oportere. Nisi enim præsentia admittantur, Hispanos pro sua ambitione alia forsan non oblaturos; atque ita nimia & superstitiosa cautione futurum, ut hoc tam utile, tam necessarium Gallorum rebus consilium de pace aut induciis intermittatur.

Plerique tamen & cautissimi Gallorum contra obtestabantur.

I. Non admittenda hæc mandata videri,

quia generalibus terminis nunquam ſatis tutò fiditur. Nam in quovis publico aut privato jure ſpecialia Generalibus validiora æſtimari. Nam generalia varia interpretatione flecti poſſunt, amplificari aut conſtringi pro cujuſque arbitrio & utilitate, in fraudem eorum quæ pacta ſemel ſunt aut conventa. Speciatim verò expreſſa manent; & qualia propoſita, & confirmata ſunt, præciſa omni interpretationis varietate ac ambiguitate, debent neceſſario ac continuò præſtari.

Vocabulum illud *omni modo* in ſpeciem magnificum, ſed pro ineundi Fœderis ſecuritate non ſatis validum eſſe. Id docere ſatis juris Autores: qui conſtituunt, quædam irrita eſſe & fieri poſſe quæ ſpeciatim non fuerint mandata, etiamſi ſub generalibus terminis Mandatorum comprehenſa poſſint videri.

II. Cum Mandatum *Alberto* datum à Rege, mandatorum *Alberti*, quæ legatis ſuis dedit, ſit fundamentum, ejus copiam Gallis fieri oportere, priuſquam in præſens negotium deſcendatur. Neque id ægrè ferre *Albertum* poſſe. Non enim eſſe id dubitare de *Alberti* fide, ſed facere ad ineundi pacti ſecuritatem. Quicquid pro Republ. fit & volumus durare, in initio ſui undique certiſſimum & tutiſſimum eſſe debet.

III. Si in mandatis Regis *Alberto* datis, ſoli *Alberto* tribuatur rerum impræſens agendarum poteſtas, non poſſe Gallos tutò, niſi cum ipſo *Alberto* de pace aut Induciis agere. Nam fruſtrà prætendi conſuetudinem, qua Reges Prin-

Principesque alios in locum suum constituendi habent potestatem & Autoritatem. Id enim intelligi de iis, qui supra se superiorem non agnoscunt. At verò *Albertum* in Belgio agnoscere Regem Hispaniæ superiorem. *Albertum* ejus tantum nomine Gubernatorem, & in hoc negotio speciatim esse tantum mandatarium. Interim non negare se ejusmodi quædam posse offerri negotia, in quibus mandatario non exspectata alia mandatoris autoritate pro arbitrio suo liceat exequi per alios id quod in mandatis accepit. Sed id impræsens locum non habere. Nam duûm generum esse publ. Mandata: Alia enim sunt in quibus Mandator potissimum & sæpè tantum respicit mandati executionem. In illis modum sive per alios exequendi mandatarii arbitrio relinqui. Alia è contra sunt, in quibus Mandatarii persona ad obtinendam Mandati executionem speciatim respicitur, tanquam idonea, tanquam sola sufficiens mandati ipsius executioni. Id locum semper habere in Legatis, qui ipsi non per alios accepta mandata coguntur expedire. Talem autem *Albertum* nunc venire considerandum: Itaque aut cum solo *Alberto* agere se debere, ex præsentis Regii mandati præscripto, aut aliud Regium mandatum obtineri & exhiberi oportere, quo *Alberto* alios in suum locum substituendi & subdelegandi, ut vulgo loquuntur, potestas concedatur.

IV. Frustrà objici nimiam cautionem, tanquam qua occasio conficiendi pulcherrimi hujus negotii intercipi facilè possit ac turbari.

Nam in hoc negotio considerandum esse, aut bona aut mala fide cum Gallis agere Hispanos decrevisse. Si bona, cur non satisfacerent justæ cautioni, & ineundi contractus securitati? Si autem mala fide, præstare sub initio negotium interverti quam permittere, ut post pacta conventa malæ fidei commoda penes Hispanos, incommoda penes Gallos maneant.

DECRETUM.

Placuit igitur ut, priusquam ad negotia pacis vel induciarum se accingerent, alia Hispanorum Regis Mandata expeterentur, quibus tollantur quæcunque à Gallis meritò in præsens sunt objecta.

EVENTUS.

Id quo fieret Hispanorum Oratores curavere. Nova mandata paulo post exhibita sunt, in quibus & *Alberto* alios subdelegandi fiebat potestas, & speciatim magis omnia, de quibus agendum erat, exprimebantur. Cum tamen omnia maxima minima speciatim in Mandati tabulis vix possent designari; ea formula adhibita est, in qua specialia omnia ita continebantur, ut speciali magis mandato opus non videretur.

Ita nimirum:

Regem Hispaniæ rata omnia habiturum, quæcunque *Albertus*, aut ab *eo Subdelegati*, cum *Gallis* essent *acturi*; cujus tandem ponderis momenti aut modi illa sint, etiam illa, quæ in hoc man-

mandato ſpeciatim non ſint expreſſa: quanquam aliàs ex communis juris præſcripto ſpeciale & expreſſum mandatum requirant.

Atque ita pactis ineundis vis, & ſecuritas abunde eſt conciliata.

JUDICIUM.

Cum tanta modò autoritas mandatarii ſit, quanta in eum expreſſis Mandati formulis à mandatore eſt collata; formulæ mandatorum accuratiſſimè ſemper ſunt excutiendæ, & ſecundum earum vim, autoritatem & verba, conſilia omnia, omnes cum mandatariis expediendæ Actiones omnino conſtringendæ ſunt. Fallitur enim & irritum rerum ſuarum pactorumque eventum facit, qui mandatario plus credit & tribuit, quam in Mandatis ille accepit. Quod tanto majore cura in publicis negotiis providendum eſt, quanto majora ſunt, quæ in iis procurantur. Servitus igitur mandatarii publici eſt, non excedere limites mandati: ſed & cauta quoque ac neceſſaria ſervitus eſt cum mandatario agentis, nihil illi credere aut permittere quod ſit ſupra limites exhibiti mandati, quodque non ſufficiat Rei, quæ in mandatis data eſt, tutæ & ſecuræ executioni.

DIS-

DISQUISITIO.

Quomodo ex duobus malis minus eligendum, & quid minimum in administratione Reipubl. debeat censeri.

CASUS XLI.

Ex Historia Belgica petitus.

CUm *Mendoza* Arragonius Hispanorum Militiæ in Belgio esset præpositus, *Vesaliam*, *Clivia* Civitatem Belgarum confinia respicientem misit Legatos, petentes, ut Vesalienses, qui jure neutralitatis gaudere se debere existimabant, aut intra suam civitatem reciperent velut præsidii loco equites mille, & duo insuper millia peditum Hispanorum, aut bis centena millia coronatorum persolverent, simulque integro menstruo spacio Hispanorum exercitui de frumento suis sumptibus providerent.

Quæ petitiones, cum admodum graves viderentur, in Senatu Vesaliensi actum est: Quid pro Republ. agere oporteret.

SENTENTIÆ.

Atrocem quidam & iniquam petitionem esse asserebant; se Cliviensium Principis Imperium, non Hispanorum agnoscere. Se Fœderatorum, adversus quos destinatus esset Hispanorum exercitus, nunquam se immiscuisse causæ. Itaque cum neutralitatis jus jam ab exordio belli Belgici essent adepti, ejusque semper fuerint ob-

obſervantiſſimi, contra jus & fas Neutralitatis, iis quæ belli ſunt, urgeri ſe: Hiſpanorum præſidia admittere, aut iis pecuniam aut frumentum præſtare non oportere. Si ſemel annuant, ſemper obnoxios futuros. Nam & Hiſpanos eadem auſuros ſæpius, & eadem Fœderatos Ordines data occaſione poſtulaturos, cum qui inter partes aliorum ac factionis jure Neutralitatis utuntur, utrique parti tantundem debere cenſeantur. Denique ſi petita admittant, admiſiſſe ſe hoſtilia & actum eſſe de beneficio Neutralitatis.

Sed reſponſum eſt ab aliis, conveniſſe ſe, non ut de iniquitate petitionis quererentur, ſed ut adverſus eam ſaluberrima remedia communi conſilio expedirent. Iniquam Hiſpanorum petitionem eſſe, ſed armatam, & cui armata manu nec reſiſtere debeant, nec poſſint etiamſi velint. Interim non abnuere ſeſe, ut civitatis nomine ad Mendozam Arragonium mittantur Legati, qui doceant, quæ libertas urbis, quod jus, quiſque uſus ſit neutralitatis.

Quod ſi contumax Arragonius perſtiterit, agendum neceſſariò eſſe, quo pacto commodiſſimè & ipſi & Veſalienſium Reipubl. poſſit ſatisfieri.

Ibi tum alii non conſentiri ſtatim in Hiſpanorum poſtulata debere exiſtimabant, ſed vim armatam prius exſpectari. Ita ſalvum futurum jus neutralitatis, ut non à Veſalienſibus ſed Hiſpanis violatum, ſi non ſponte ſed coacti neceſſitate, ſi non ut meritò petentibus Hiſpanis, ſed

ut

ut vim intentantibus & iniquo, quem prævenire aut repellere non liceat, modo agentibus tandem præbeant assensum: Nam ex omnis juris autoritate non videre volentem egisse, qui armis, quibus sit impar, circumceptus nolendi non habeat potestatem.

Sed contra à plerisque objectum est; si vim agris suis inferre patiantur, incredibilem facturos se rerum suarum jacturam: imò majorem quam si annuant Hispanorum postulatis, cum in agris eorumque proventu repositæ ferè sint opes totius civitatis; qui si libidini militum sint expositi, quid ex iis commodi cives reportabunt? Si obsidione civitatem cingi patiantur, intercipi commercia ac interverti.

Præterea id quoque hic venire considerandum, nimirum vi allata futurum, ut aut in ea repellenda persistant Vasalienses, aut post primum impetum desistant. Si in bello persistant, ruptum iri vix imposterum restituendum sibi jus Neutralitatis: hujus verò tantò majorem sibi habendam rationem, quantò diutius duraturum & propemodum æternum futurum sit hoc inter Hispanos & Fœderatos Belgas bellum exortum. Æterni igitur belli malis se illigandos, si semel se trahi patiantur in belli communionem: Si verò desistant, & post exspectatam vim ac illatam, ut extrema jam necessitate constricti pacisci cum Hispanis constituant, forsan futurum, ut desistere nolint Hispani, & porrò iniquam actionem vi persequantur. Nec enim tam facilè deponi arma quam sumi. Quod si ita eve-

eveniat, quantis involvenda malis civitas sit, neminem non videre. Præterea si statuatur, futurum,ut à vi illata desistant Hispani desistentibus Vesaliensibus, neminem persuadere sibi debere, facturos id Hispanos, nisi satisfiat præsentibus postulatis. Cur non igitur ante vim illatam potius satisfacerent, præventis ea ratione malis, quæ ex vi illata haud dubiè majora metuenda sint. Neque enim gravius jumento arcessendum onus esse, quam quod imponitur. Quid si etiam iniquiora petant Hispani prima Vesaliensium contumacia irritati? Ob has igitur rationes, existimabant illi, alterutram conditionem necessario esse subeundam, videlicet, aut admittendos milites, aut pecuniam & frumenta conferenda.

At verò in hoc bivio,quam istarum conditionum amplecti pro Republ. utilius foret, non satis etiam conveniebant. Quidam intra Urbem admittenda Hispanorum præsidia censebant, hac usi ratione; quod, ubi admittendorum malorum imponitur inevitabilis necessitas,ex duobus malis minimum semper sit eligendum. Namque minus malum respectu majoris habere rationem boni. Jam autem ad præsidia Hispanica in urbe alenda non tantum pecuniæ requiri quantum ad frumenti, & bis centenorum millium coronatorum præsentem paratamque præstationem; minimum igitur, ut esse, ita eligi oportere,quo ærarium Reipubl.minimum sit laboraturum.

Contra alii & alteram conditionem amplecten-

ctendam esse contendebant. Differebant illi ex rebus malis minimum esse eligendum, sed interim quoque negare se id minimum esse, si ad futura tempora respiciatur, maximum omnium & gravissimum debere judicari. Non enim malum præsens, cum malo præsenti, ut majus & minus, sed utriusque mali futurum eventum ut leviorem imposterum vel pejorem esse contendendum. Si præsidia admittant militum Hispanorum, diutius, & toto forsan belli Belgici tempore iis urgendos se videri. Si verò pecuniam & frumentum conferant, eo ipso statim se eximi reliquis malis. Si præsidia etiam admittant, sub iis velut captivam futuram suam domi libertatem, cum omnia habeat; qui arma habet in manu. Si pecuniam & frumentum offerant, integram posse conservari. Denique si præsidia admittant, obsidionem urbis, ut hostibus & infestis sibi aliquando molituros Belgas Fœderatos. Si autem pecuniam & frumentum offerant, & data occasione Fœderati sequi velint iniquitatis Hispanicæ exemplum, non nisi tantundem postulaturos. Præstare autem redimere pecunia Belli calamitatem, ubi id licet, quam eadem inter belli sumptus profusa bellum gerere & insuper belli, utut felicissimè administraretur, experiri calamitatem. Denique præstare, semel malis involvi, & simul eximi, quam continuò iis agitari & inhærere. Adeò ut minus malum sed duraturum, majus graviusque existimari debeat, quam id quod in præsens quidem majus est, sed non duraturum.

DE-

DECRETUM.

In postremam hanc sententiam plurimorum suffragiis tandem itum est.

EVENTUS.

Ea ratione Vesalienses plus in præsens pecuniæ expendêre: sed plus etiam imposterum prævenêre mali, & retinuêre pristinam libertatem.

JUDICIUM.

Ex duobus malis minus est eligendum semper; minus autem censeri debet, non quod impræsens tantum tale, sed imposterum etiam tale futurum sit. Itaque quò inter duo mala prudens & cauta electio instituatur, ad præsentium æstimationem futurorum cogitatio & Eventus debet conferri. Uti in Arithmeticis rationibus una ingens summa pariter proposita, sæpe minor censetur multis summis minoribus quæ ad priores continuò adjiciantur: Ita in cura Reipubl. maximum malum inpræsens omnium minimum judicandum est, si eo multò minora & ideo tandem longè majora futura possint præveniri. Minimi denique temporis magnum malum sæpe minus est & haberi debet, quam minus malum quod in longum extenditur.

DIS-

DISQUISITIO.

Quæ & quomodo vectigalia publica hominibus quibusdam privatis, nomine publico pro certa pecuniæ summa in annos singulos in ærarium publicum conferenda, expediat collocare.

CASUS XLII.

Ex ratione vectigalium inter Fœderatos Belgas impositorum desumptus.

IN Belgio Civilibus turbis exortis quò ad impensas bellorum sufficerent publicæ opes, de vectigalibus imponendis jam statim sub initio mutatæ Reipublicæ actum est.

Inter alia verò, de ratione eorundem colligendorum cautè & prolixè disputatum est inter Proceres; nimirum, An publico nomine certis in eam rem, & velut publicis personis annuo stipendio conductis colligi illa; an verò pro certa pecuniæ summa maxima offerentibus velut in publica auctione, in annos singulos elocari & velut vendi deberent.

SENTENTIÆ.

Quidam nomine publico à quibusdam è Magistratu aut aliis stipendio conductis colligi ea oportere existimabant.

I. Quia in publicis personis plus autoritatis est quam in privatis. Ea autem maximè opus est in exequenda re, in vulgus odiosa. Rem verò ma-

maximè omnium odiosam esse vectigalia, neminem ignorare. Itaque iis colligendis non videri suffecturam privatorum hominum autoritatem.

II. Quia incertus est quorundam vectigalium annuus proventus, ut eorum, quæ vini & cerevisiæ aliorumque eduliorum aut necessariorum, quæ, ut loquuntur JCti, usu consumi solent, nomine persolvuntur. E. G. in eadem civitate subinde millena, subinde bis millena vini dolia quotannis consumuntur; quomodo igitur certæ pecuniæ summa singulorum vini doliorum nomine solvendum vectigal privatis elocari possit, sese non videre illi asserebant. Aut enim majori aut minori pretio, quam accepturi ipsi sint ex privatis, privatos ea redempturos: Si minori pretio, id conjunctum cum damno Redemptorum. Minus enim ea occasione redemptor Reip. persoluturus est, quam publico nomine ex proventu vectigalium ipse sibi accepturus sit.

III. Singulis annis increscere multitudinem Civitatum. Illa increscente, plura inter subditos consumi, & ideò augeri vectigalium ejusmodi proventus. Si igitur in annos plures privatis quibusdam pro certa & in eadem pecuniæ summa annuatim pendenda, elocentur vectigalia in dies augenda: quid futurum aliud, quam ut præsentissimum damnum sentiat Respubl. & commoda vectigalium maximè redundent in privatam utilitatem redemptorum?

IV. Adhæc rem periculi & discriminis ple-

plenissimam esse, proventus publicos, hoc est, ipsas Reipubl. opes credere fidei privatorum. Quid si enim vectigalium nomine plurima illi promittant, & nihil tandem aut minora præstent? Quid si pecuniam collectam ex vectigalibus convertant in privatas necessitates? Quid si denique annuæ pensioni in quam conventum est sub finem anni solvendæ impares deprehendantur & foro cedant? In manu & potestate Reipubl. manere oportere ea, sine quibus Respubl. constare non potest.

Contra ab aliis differebatur; existimantibus privatis vectigalia quædam colligenda elocari pro certa annuæ pensionis præstatione oportere. Observabant enim illi duum generum, seu duplicis conditionis vectigalia esse, quæ in omni Republica condicuntur.

Quædam imponi certis rebus, & proinde certam eorum quo ad proventus iniri posse rationem. E.G. Vectigalia quædam sunt, quæ ædibus singulis, singulis agrorum latifundiis imponuntur: quàm horum certus & definitus numerus agnosci potest, & iniri, tam certum esse & definitum vectigalium ejusmodi impositorum proventum. Alia quædam vectigalia sunt, quæ rebus incertis quæque semper & inter omnes eodem modo se non habent indicuntur. E. G. Vectigalia sunt quæ vino & cerevisiæ aliisque, quæ usu nunc plus, nunc minus consumuntur, solent imponi; quam horum incertus numerus est, censusque, tam incertum esse ejusmodi impositorum vectigalium proventum. Sta-

Statuebant igitur, illa priora, ut certa nomine publico à curatore Reip. nullo negotio colligi posse & repræsentari. Alia autem illa, ut incerta privatis quibusdam pro certa æris summa elocari oportere.

I. Quia in his multis fraudibus & clandestinis artibus inter subditos est locus, quibus nimirum facilè eludant vectigalis impositi præstationem. In illas ideo fraudes diligenter esse inquirendum. Jam verò diligentius in eas inquisituros privatos, ut rei jam suæ & suo incommodo vel commodo (pro ut sua majore vel minore cura egerint) redemptæ, quam publicæ rei, ex qua vel diligentius vel indiligentius curata commodum vel incommodum non in ipsos, sed in civitatum redundet Curatores. Passim quippe observari, quemvis anxiè magis rem privatam quam publicam administrare.

Itaque & tantum authoritatis & plus curæ futurum esse in privatis redemptoribus vectigalium, quam publicis eorum Curatoribus. Nam contractu cum iis inito colligendi eam idoneam & sufficientem autoritatem in illos conferre Magistratus.

II. Frustrà proferri, quia incertus proventus est, quorundam vectigalium nullam certam summam constitui aut admitti posse, quæ eorum nomine à privatis Redemptoribus pendantur. Nam ob hanc ipsam rationem pro certa pensione annua vectigalia ejusmodi privatis necessariò debere elocari. Præstat enim certum quid pro Republ. decernere aut admittere,

quam

quam incertum, & quod multis iniquorum artibus est obnoxium, ac per eas facilè irritum fieri potest nisi accedat industria privatorum. Artes enim illas privatos inter se, accuratius privati commodi causa, ut dictum est, quam personas publicas commodi communis causa exquirere & turbare.

III. Frustrà etiam proferri, subinde plus, subinde minus, quam præstare teneantur, privatos redemptores ex vectigalibus accepturos. Sive enim hoc, sive illud eveniat, semper commodo Reipubl. est prospectum. Si enim plus quam acceperint præstare teneantur, redemptores in præstatione se excusare non possunt. Nam ex mutui contractus cum Magistratu initi Lege tenentur necessariò ad promissam pensionem. Si autem plus acceperint quam præstare teneantur ex lege præscriptæ pensionis, non tantum commodum penes privatos redemptores illos, sed etiam penes Rempubl. esse. Nam anno proximo, si iterum publica quasi auctione eadem vectigalia programmatis publicis elocanda privatis edicantur, aut prioris anni redemptorem accepto commodo illectum, aut alios similis commodi lucrive percipiendi causa majori pretio, quam antea Reipubl. oblato eadem vectigalia redempturos.

IV. Namque frustrà adferri annis singulis mutari, & multitudine hominum frequentiores fieri Civitates. Non enim velle se in plures annos, quam in unum privatis vectigalia elocari, ut quotannis meliore facta conditione civitatum

tum & auctis proinde vectigalium proventibus eorum nomine à Redemptoribus seu prioribus seu novis plus offeratur & præstetur.

V. Nec quicquam etiam & in vanum prætendi, periculosum esse res & opes publicas credere privatis. Nam illa mala idoneis fidejussoribus oblatis posse præveniri, qui nimirum privatorum redemptorum nomine spondeant se, si opus, fortunas etiam suas collaturos, quo satisfiat annuæ quæ Reipubl. promissa est, solvendæ pensioni. Sed & si quis objiciat, ipsos etiam fidejussores aliquando non suffecturos ad præstandum pro quo fidejusserint, in promptu esse aliam rationem, qua in tuto Respubl. collocetur. Posse enim contractu inito constringi redemptores, quo pro rato, ut loquuntur, annuæ pensionis, partem ejus singulis mensibus in ærarium publicum inferre teneantur.

DECRETUM.

Factum illud pro postrema sententia tanquam saluberrima est.

EVENTUS.

Utilitate publica ille æstimatus est.

JUDICIUM.

Quædam publica curanda melius privatis quam publicis personis mutuo contractu inito relinquuntur, illa præsertim quæ incerta sunt; quæque opus habent anxiis quibusdam, & persona publica inferioribus curis. Ergò ubi industria quadam privata & accurata opus est

O in

in re aliàs publica, ejus commodum inter privatos & Rempubl. inito contractu est distribuendum. Aliter enim si fiat, & minus curæ est in publicis personis, & ideò minus commodum ad Rempubl. refertur.

DISQUISITIO.

Quomodo admittendæ sint justæ etiam querelæ eorum, qui Reipubl. debent, & debiti flagitant remissionem.

CASUS XLIII.

Ex Belgarum rebus & vectigalium inter eos ratione petitus.

Cum superioribus annis atrox Pestilentia, qua ingens hominum multitudo absumpta est, Fœderatorum ditionibus incumberet; ideoque minus, quam ante res eæ usu consumerentur, quarum nomine vectigalia exigebantur: Redemptores eorundem vectigalium, libello supplici debitæ pensionis partem remitti petivere. Consultum inter Ordines est. quid fieri; & an rejicere, an vero admittere has preces oporteret.

SENTENTIÆ.

Alii justis eorum querelis & votis satisfaciendum putabant. Nam pensionem annuam à redemptoribus vectigalium in ærarium conferendam promissam esse multitudinis hominum respectu: qua fatali morbo admodum diminuta

minuta non vini tantum & cerevisiæ aut frumenti, aut similium rerum esse absumptum. Ideoque etiam vectigalium proventum imminutum, ac idcirco imminuendam ex contractu aliàs debitam annuam pensionem. Calamitatem hanc esse quæ nulla hominum industria potuerit præveniri. Itaque æquum videri, ut non tam penes Redemptores publicæ Rei, quam penes Rempubl. tantæ sensus esset & incommodum calamitatis.

Alii contra iniquas querelas audiendas existimabant.

I. Quia ubi iidem redemptores longè plura è vectigali annuo censu accipiunt, quam in Rempubl. ex contractu conferre teneantur, ultra promissum nihil ab iis in ærarium infertur. Commoda hæc penes Redemptores non penes Rempubl. manere. Itaque vice versa æquum esse, ut ubi oboriuntur incommoda, qualia ista sunt quæ nunc præferuntur, ea penes redemptores non Remp. maneant. Ea enim occasione prioribus commodis acceptis præsentia incommoda pensari oportere. Non aliter ac ille, qui agrum alterius colendum certo pretio conduxit, ad locationis pretium præstandum, tam sterilium quam fœcundorum annorum tempore tenetur.

II. Quia, si semel remissio debiti, ob ejusmodi querelas concedatur, nunquam eis similes querendi occasiones sint defuturæ. Alia atque alia continuò offerri quibus fiat, ut minus

quid absumatur earum rerum quarum titulo vectigalia penduntur. Itaque si iis querelis vel semel tantum detur locus, quid tandem futurum aliud, nisi ut irriti fiant & in ventos abeant, ut sic dixerim, necessarii illi reditus vectigalium & tributorum? Sibi itaque consultum videri non dare pessimo, & cujus perpetua fere causa futura sit, exemplo occasionem.

Alii, ut æquas querelas redemptorum ita utile pro Republ. esse, ut non remitteretur debitum, & pro eadem gloriosum simul & æquum esse, si ejus solutio importunè non urgeretur, censebant. Æquæ videbantur querelæ, quia, ut jam dictum, annuæ pensionis præstatio in hominum multitudine fundata est, ut fundo opum publicarum. Ea multitudine sublata aut decrescente, videri nullum vel minus saltem esse solvendæ pensionis fundamentum. Non Entis, ut Philosophi loquuntur, non esse accidentia. Utile interea pro Republ. visum est, non remittere debitum facto in eam rem decreto; partim ne pessimum exemplum præberetur, partim quia redemptores vectigalium calamitate temporum nunc afflicti, majores postea opes consecuturi, & tandem aliquando solvendo debito suffecturi credebantur. Æquum interim etiam & gloriosum pro Republ. censebatur non urgere importunè debiti solutionem, & quia solvendo impares erant redemptores, & quia nulla sua culpa, sed cœli ira in hanc conjecti erant calamitatem.

DE-

DECRETUM.

Postrema sententia, ut potior meliorque cæteris, placuit.

EVENTUS.

Sic factum est, ut & facilitate publica non datum sit noxium imposterum exemplum, & jus integrum, sive Actionem sibi servaverit Respubl. & quanquam remissio debiti indulta non sit, factum tamen satis sit præsenti redemptorum & temporum necessitati.

JUDICIUM.

Actiones quas in privatos ex juris stricti præscripto intendere Respubl. potest, non facilè transscribendæ illis aut remittendæ sunt, quantumvis æqua ex moderati juris præscripto remittendi ratio esse videatur. Imò ea etiam occasione accuratè id observandum est, quod ex integra sibi servata actione nihil commodi exspectatura Respubl. videtur. Quanquam enim, ut docent juris periti, minus sit habere Actionem, quam rem: qui tamen actionem habet & servat, rem quasi habere & servare sibi videtur. Magistratus ut bonæ fidei Curatores agere oportet; cum velut Pupilla censeatur Respubl. in cujus proinde præjudicium aliquid decernendi Magistratus non habent autoritatem. Ob præsentem necessitatem differri actiones publicæ & non urgeri possunt adversus privatos, ut melioribus temporibus serventur: remitti & annihilari ob præsentem ne-

cessitatem non debent; quia perpetuò interest Reipubl. privatos, quanquam solvendo non pares, habere debitores. Quod etiam in præsens justissimum videri possit: ut iniquum existimandum ideoque intermittendum est, si ex eo nasci possit iniquum postea in Republ. exemplum.

DISQUISITIO.

Quomodo publica res ita privatis elocanda & permittenda sit, ne ea in fraudem Reipubl. & damnum utantur. Quomodo etiam in contractibus qui ejusdem rei nomine cum Privatis ineuntur, non sufficiat finem eorum assequi, nisi etiam ad modos innoxios Reipubl. quibus pervenitur ad destinatum finem, attendatur.

CASUS XLIV.

Ex eadem vectigalium publica ratione deceptus.

SUperioribus annis Amstelodami redemerant sibi privati nonnulli vectigalia vini nomine persolvenda pro annua pensione (nam annuus tantum erat contractus) centum millium præter propter florenorum. Decretum autem erat Autoritate Magistratus, ut singulorum doliorum majorum nomine florenos xx. præter propter vectigalium redemptori persolverent Cives. Sub finem verò anni, cum jamjam con-

tractus

tractus initus expiraturus esset, redemptores isti cum civium nonnullis pacisci cœperunt contra publicæ autoritatis præscriptum. Et quò plus commodi reportarent, pro singulis doliis florenos tantum decem vectigalis nomine poposcere. Quò minus enim solvendum vectigal erat, eò liberalius privati cives vini dolia sibi comparabant; & quanquam imminuto vectigalis pretio, quia tamen multiplicabatur, ingentem pecuniæ vim redemptores sibi coarcervabant. Quæsitum igitur est in Magistratus urbani consessu, etiam Ordinum publicis Comitiis: an id liceret, aut redemptoribus vectigalium permittendum videretur.

SENTENTIÆ.

Omnino id sibi licere redemptores urgebant.

I. Se non de publico jure sed suo aliquid remittere, cum minus vectigal exigant. Sua enim esse anni hujus vectigalia, suis usibus & commodis ex contractu permissa. Licere autem unicuique re sua pro arbitrio suo & utilitate uti.

II. Non ideo minus se præstare annuam & promissam pensionem: hæc si offeratur, nihil ultra Reipubl. deberi, nec superesse quod possit desiderari.

Magistratus contra, id omnino illicitum esse & iniquum, existimabat: idque ob gravissimam hanc, quæ sola adducebatur, & instar omnium erat, rationem. Nam hoc pacto eludi & minores fieri anni proximi vectigalium proventus cautè admodum intelligebat. Quippe liberali-

tate dicam an dolo hujus anni redemptorum remiſſo paululum vectigali, dolia vini plurima in cellas ſuas inferenda curabant privati, ne anno proximo ſtatutum & juſtum, ideoque gravius, vectigal pendere tenerentur. In fraudem igitur Reipubl. id fieri exiſtimabant, dum quaſi pro unius anni redemptis vectigalibus unius tantum anni penſionem ærario publico inferebant, & interim hac arte duorum quaſi annorum vectigalium proventu utebantur.

DECRETUM.

Placuit igitur, ut impoſterum conditionibus contractus cum redemptoribus vectigalium ineundi hæc quoque inſereretur: Ne redemptoribus cum privatis eodem, quo dictum eſt, modo paciſci liceret.

EVENTUS.

Ita factum eſt, ut ſequentium annorum proventus vectigales integri, & novis redemptoribus & ideo etiam Reipubl. fuerint ſervati.

JUDICIUM.

Quemadmodum in omnibus privatis, ita & in publicis contractibus ad id potiſſimum eſt attendendum, ut non ſufficere ſibi exiſtiment Magiſtratus, aſſequi impræſens initi contractus finem: ſed aſſequendi finis eos proferre ac ſtipulari modos, qui impoſterum eundem finem integrum & illibatum ſemper Reſpubl. poſſit obtinere. Quò enim plures ſunt nocendi artes, præſertim inter anxiè verſipelles privatos; eò

major

major rerum esse debet, quibus cura Reipubl. est mandata.

DISQUISITIO.

Quomodo gravissimæ pœnæ in eos statuendæ sint, qui in minimo alicujus sceleris gradu diprehensi nocere possunt in infinitum, non aliter atque illi qui summo ejusdem sceleris gradu sunt deprehensi. Denique quando pecuniariæ pœnæ inutiles in Republ. & propemodum nullæ sint.

CASUS XLV.

Ex Rebus Belgicis petitus.

ROBertus Dudlæus Lycestriæ Comes Anglorum nomine Belgarum præpositus, Leges monetarias condendas curaverat; quibus inter alia cautum erat, ut pro diversa ratione deficientium aut adulteratorum nummorum diversa pœna autoribus imponeretur, adeò ut monetariorum quasdam & leves (ut ipse existimabat) fraudes, non nisi sexcentorum florenorum mulctâ punire voluerit. Quæsitum est igitur in Ordinum consessu urgentibus monetariæ rei præfectis: an non ea pœnæ ratio, magis ad pessundandam quam juvandam Rempubl, esset reperta? Denique an non ea accenderentur potius monetariorum fraudes quam prævenirentur.

SENTENTIÆ.

Hanc pœnæ rationem æquissimam esse Lycestrius & faventes ei asserebant. Nam poscere æquitatis rationem, ut ubi sceleris gradus sunt, etiam sint gradus pœnæ; adeo ut, sicut illud, ita hoc magis & minus in Reipubl. administratione necessariò admittat. Neque enim aliàs fieri posse, ut observetur illa proportio, quæ exiam ex stricti juris Regula omnem pœnam delicto, prout gravius aut minus grave est, cupit esse adæquatam.

Contra differebant & *Ordines* & Monetariæ rei periti.

I. Poscere æquitatis & utilitatis publicæ rationem, ubi ejusdem sceleris varii sunt gradus, & tam minimi quam maximi ejusdem gradus æquè magnam & gravem noxam inferant, æquè magna & gravi pœna excipiantur. Proportionem enim omnem, de qua differitur, cujusq; usus est in distinguendis pœnis, non tam ipsi facto sceleris, cujus plures gradus sunt, sed noxæ & damno esse debere adæquatam. Quod damnum ubi in minimis etiam maximum est, cur non maximum supplicium minimis irrogaretur? In monetaria verò re ita se habet ut minimum ejus vitium, quo ad damnum quod aliis infertur, maximi sit loco. Si ponatur alium ducentos aureos coronatos percussisse, quibus duo; alium centum percussisse quibus quatuor auri grana desint: nonne æquale damnum fecit, tam qui justo auri ponderi in coronatis duo grana;

grana, quam qui quatuor detraxit? Non igitur æqualis esse debeat & eadem omnium pœna?

II. Pecuniarum tantum pœnam ad alendas fraudes, quibus res monetaria corrumpitur, imponere, nihil esse aliud quam nullam pœnam irrogare. Pecuniariam enim pœnam nullam esse & videri, ubi manet illius sceleris autorem, qui plus lucri fecit cum damno Reipubl. quam deprehensus mulctæ nomine Reipubl. aut fisco cogitur præstare. Ponatur Monetarium, qui aliquot Coronatorum millia procuderit, quorum singulis grana auri duo sint detracta, mulcta tantum sexcentorum florenorum urgeri poterit: nonne ipso scelere plus profecit & eripuit aliis, quam pœna cogitur præstare? Cum utilitate igitur sua & peccat & punitur; cujus scelus, quod in infinitam quandam noxam abiit, definita, ut loquuntur, pecuniaria pœna æstimatur.

DECRETUM.

Placuit igitur priores Leges rejicere & pœnas, & in re monetaria (quæcunque tandem fraus sit deprehensa) unam tantum & extremam, h. e. capitalem pœnam decernere: cujus terrore falsarii Monetæ quilibet consternati ab ejusmodi sceleribus imposterum desisterent.

EVENTUS.

Sic factum ut Moneta minus & non tam frequenter fuerit adulterata.

JUDICIUM.

Summam pœnam meretur, qui in minimo

illius sceleris gradu deprehensus, quo maxima damna possint inferri. Æquales hic reos, si non factum sceleris, certè noxa facit. æqualis igitur minima & maxima in ejusmodi rebus patrantium debet esse pœna. Denique pecuniaria omnis mulcta vana, irrita ac nulla est, ubi reus & usu sceleris tantum obtinere potest, ut non sufficiat tantum præstandæ pœnæ, sed plus insuper convaset sibi ac servet, & pœnam impositam præstitamque fructu sceleris adhuc fruitur & utilitate. Talis enim præmium magis sceleris quam pœnam reportavit.

DISQUISITIO.

Qua ratione adulterata moneta, cujus jam magna copia in Rempubl. invecta est, cum minimo subditorum damno debeat & possit cohiberi.

CASUS XLVI.

Ex rebus Belgarum etiam petitus.

SÆpe in has ditiones Monetæ Falsarii fucatam & iniquam invexerunt (cum facilè id fieri possit in iis regionibus in quibus commercia plurimum frequentantur.) cum autem ea ratione fieret, ut ad pauperiem in dies redigerentur subditi, qui minus habebant, quam possidere se & habere fuco decepti existimabant: Actum continuò consultatum est, quo pacto satisfieri possit publicis votis, & moneta

falsa,

falsa, quam plurimis subditorum falsarii quidam imprimis exteri obtruserant, ut pestis quædam præsentissima possit eliminari.

SENTENTIÆ.

Nemo existit qui non censeret rejici eam & eliminari oportere: at verò inter plures est dubitatum. Alii statim falsam Monetam prohibendam, ejusque usum omnem intercipiendum sub gravis pœnæ comminatione censebant. Differebant illi, nisi statim id fieret, majorem in dies falsæ monetæ vim in has ditiones esse inferendam. Moram huic consilio ac Decreto interponere nihil esse aliud, quam postpositâ subditorum curâ favere falsariis in fucato ære disseminando continuò festinantibus.

Alii id consilium sibi displicere affirmabant; ante omnia moneri subditos; & certum tempus, intra quod ab omni usu monetæ falsæ abstineretur, publico edicto præstitui oportere, censentes.

I. Plurimos subditorum falsam monetam magna copia nunc possidere, quam è vestigio & raptim prohibere velle, quid tandem esset aliud, quam gravissimo eos damno mulctare. Eos autem in tempore monendos, ut permutatione vel mercium vel pecuniæ melioris apud exteros & vicinos, sine ullo suo damno falsam quamvis & prohibitam monetam extra has ditiones amandent.

II. Frustrà præferri ab aliis, Falsarios, mora hac interposita, plures ejusmodi pravæ notæ num-

nummos in hanc Rempubl. invecturos. Monitionem enim hanc publico nomine factam habituram vim, nec tamen inducturam incommodum prohibitionis. Monitos enim & non accepturos falsam monetam, & quam habent, aliò conversuros.

DECRETUM.

Placuit, ut saluberrima hæc mora interponeretur, certo temporis spacio præstituto, inter quod omnis falsæ monetæ usus inter subditos aboleretur.

EVENTUS.

Ita moneta falsa eliminata intra præstitutum tempus est; & falsæ monetæ, antea acceptæ, incommodum subditi non sensere.

JUDICIUM.

Sicut prohiberi debet in Republ. omne malum: Ita id seriò agendum est Magistratibus, ne ex festinata nimium mali prohibitione malum novum & gravius quoddam enascatur. In Reipubl. administratione aliter considerari debent, qui malè agunt, aliter qui patiuntur: illi mali, hi miseri sunt. Qui agunt, statim puniri: qui patiuntur, sensim juvari debent, ne malum aliud ex malo ejusque subito remedio exoriatur. Quod ut in re monetaria, ita in aliis publicis negotiis saluberrimum frequenter usum habet.

DIS-

DISQUISITIO.

Adversus Ambitum, præsertim exterorum, qui ad publicas admoveri cupiunt dignitates, quo potissimum remedio sit opus, & quam utiles ac necessariæ in Republ. sint illæ Leges, quibus non tantùm pœnæ adversus malos decernuntur, sed fit ut malis, etiamsi tales esse velint, non possit esse imposterum locus.

CASUS XLVII.

Ex Trevirensi Historia deprompta.

TRevirenses Gallorum patrocinium jam ab aliquot retro annis agnoverunt. Anno autem 1400. præter propter autoritate & gratia Archi-Episcopi Trevirensis Gallorum plurimi ad publicas admovebantur dignitates. Ægrè id tulit Trevirensium populus & Magistratus. Quæsitum in Procerum consessu est, quo potissimum remedio obviam ire huic malo oporteret.

SENTENTIÆ.

Archi-Episcopus pro se & Gallis plurima urgebat.

I. Trevirensibus necessarium esse Gallorum patrocinium: proinde & necessariam eorundem gratiam. Hanc promotum maximè iri, si publicis honoribus Galli etiam imponerentur.

II. Gallos hactenus ad Rempubl. admotos gessisse Rempubl. ex fide, nihil fecisse contra Le-

Leges. Denique integram Trevirensium Reipubl. servasse libertatem.

III. Non id fieri contra Leges. Nullam enim latam aut à majoribus conditam esse legem, qua ad publicos honores Gallorum genti aditus præcluderetur. Cur igitur ea gratia Gallos æstimare, ut illegitimum nunc præscriberetur.

Ad hæc alii excipere :

I. Opus se habere Gallorum patrocinio : sed ab eorum Domino sedulò sibi esse cavendum ; cum in patrocinio subsidium sit Reipubl. dominum autem nihil inducere posse præter miseram servitutem. Quis autem dubitet quin dignitatibus Galli plurimi pluries impositi mutandæ Reipubl. potestatem in manu sua sint habituri? Eorum quippe arbitrio & libidini, si adversus libertatem audere quid velint, obnoxia sunt omnia ; nec obstare facilè est, qui in potestate sua & arma habet & publicos Magistratus. Æstimare se Gallorum in se gratiam & auctam cupere : sed tutam Reipubl. & salutarem. Etiam Gallos hoc beneficio publicorum honorum non æstimatos, satis causæ habere, cur perpetua & quavis ope adesse debeant Trevirensium rebus : qui cum in eorum confiniis positi sint, atque in eorundem prospera vel adversa fortuna juventur aut laborent, præstandi patrocinii perpetuam habent & causam & necessitatem, licet aliis beneficiis Reipubl. periculosis non ornentur. Denique populi qui gratiam vicino-

rum

rum merentur & opem cognatione fortunæ, eam in cassum & cum damno Reipubl. præsentissimo aliis officiis mereri contendunt. Liberales hic esse debent Magistratus, non autem prodigere publ. fortunam.

II. Non negare se velle bene habuisse Rempubl. Gallos hactenus ad eam admotos, sed an permansuros tales? Optima illos sæpe in spem primò præferre, qui imposterum magis confirmati pessima meditantur. Sed & si illi pro Republ. maneant constantes, quis alios postmodum eodem ambitu admovendos ejusdem consilii indolisque futuros asseveraverit? Ad curam Magistratuum & Reipubl. securitatem ante omnia id facere non tantum publ. honoribus imponere non peccaturos, sed nequidem ad eos admittere tales, qui peccare possint, si velint; quales exteros esse neminem posse dubitare.

III. Fateri sese, non dici posse illegitimum, quod hactenus factum sit, neque enim conditas leges, quibus Galli à Reipubl. administratione arceantur, sed an id omne permittendum, quod illegitimum non est? Mala longè plurima esse numero quam leges, Ex malis moribus natas esse bonas leges: non tamen ideò minus malos mores, malos in se fuisse revera, priusquam prohibiti essent per leges. Et cum nova oriantur in dies, nec à majoribus provisa mala & malorum obices & repagula sint leges: quidni adversum ea novæ leges conderentur? Quidni illegitima illa censeri de-

beant,

beant, quæ licet hactenus non prohibita, legibus tamen impoſterum neceſſariò debeant prohiberi: itaque illegitimum in Republ. habendum eſſe non tantum illud, quod fit contra leges latas, ſed & illud, adverſus quod condendas leges eſſe ſuadet & recta ratio & ſalus Reipubl. quæ ſemel ſancita & æterna, & inſtar omnium lex eſt.

Sed & in Magiſtratus Trevirenſis conventu, dubitatum eſt, qua ratione minimo cum Gallorum odio à publicis dignitatibus gerendis arceri deberent.

Alii ſufficere exiſtimabant, ſi impoſterum Galli ad publicos honores non admitterentur. Id autem obtinere in ſua conſtantia poſitum eſſe & poteſtate.

Sed id vanum & nihili conſilium alii aſſerebant.

I. Quia ratio danda eſſet, cur non admitterentur impoſterum Galli, tot ejuſdem Gentis hactenus ad publicos honores admotis. Si ſola voluntas & præſens tantum conſilium Trevirenſium pro ratione objiciatur, quid id eſſet aliud quam Gallos offendere, & adverſum iis animum palàm oſtentare.

II. Non id ſufficere, ſe id nunc velle & pro Republ. conſultum exiſtimare: Mobiles eſſe homines & idcirco etiam ſuas voluntates, & maximè inconſtantes: ambitu, adulatione, privati compendii cauſa, aliiſque artibus intercipi eas facilè poſſe & interverti. Sed & non ſufficere,

cere, se esse ejusdem voluntatis ejusdemque consilii, & in eo constantes persistere. Quid si enim ejusdem voluntatis & consilii alii, post ad administrationem Reipubl. vocandi, non futuri sint. Æternum igitur aliquid esse statuendum, cui necessariò & semper obstricta sit & præsentium constantia & posterorum. Id æternum esse & obtineri posse in lege. Hanc igitur esse decernendam, qua non Galli tantum, sed & exteri omnes ad curam Reipubl. non admovendi pronuncientur. Ita futurum quippe, ut non Galli soli ex peculiari odio, sed omnes alii ex usu Reipubl. non qua Galli, sed qua exteri; non ex adversa in eos & mutanda voluntate, sed ex justa & non infringenda lege à publicis honoribus excludi se intelligant.

DECRETUM.

Factum est id pro postrema hac sententia, & ejus argumenti Lex adversus exteros omnes, ac proinde Gallos etiam, est promulgata.

EVENTUS.

Ita Trevirensium Libertati prospectum est, cui Gallorum potentia & autoritas jam insidiabatur.

JUDICIUM.

Illegitimum existimari id omne in Republ. debet, quod committitur non tantum adversus latas sed & adversus necessariò ferendas leges, quæ & fieri debent. Quemadmodum autem duum ferè generum mala quotidie offeruntur:

ita

ita alia præſenti conſilio, alia æternitate Legum præveniri debent & propulſari. Conſilio illa mala quæ pro diverſa occaſione & conſtitutione Reipubl. nunc bona, nunc mala poſſunt æſtimari: de his enim nihil æternum & immotum conſtitui poteſt vel debet. Legibus autem earumque æternitate ea mala quæ perpetuò talia ſunt & non poſſunt non ſemper cum diſcrimine & metu ſubvertendæ Reipubl. eſſe conjuncta. Sed &, quoties licet, ineunda Legum ratio, qua non tantum metu pœnæ à malo hi aut iſti taceantur, ſed qua occaſio omnis & faciendi mali & imponendæ pœnæ omnino præcidatur: adeò ut commodè huc retulerim illud Taciti de Agricola ſuo: præponere maluit dignitatibus non peccaturos, quam punire qui peccarant.

DISQUISITIO.

Quomodo in Republ. quædam ſubinde negotia ſe offerant, quæ oblata præſenti potius conſilio expedire utile ſit, quam certum aliquod & perpetuum de iis condere Decretum. Quomodo etiam Decreta certis perſonis certoque tempori alligata, utiliora longè illis ſint quæ latius ſe expandunt.

CASUS XLVIII.

Ex Belgarum rebus petitus.

SUperioribus annis in Batavia Societas in Indiam Occidentalem navigantium inſtituta eſt,

est, & extrudendi communis hostis & frequentandorum commerciorum causâ. Postulabant auctæ ejus res, ut de Præfectis societatis singulis trienniis, duo res isthic summâ authoritate curaturi eò se conferrent. Cum autem navigantes interciperentur frequentius & turbarentur à Dunkerkanis, horumque præfectorum nonnulli in eorum incidissent manus; egregiè & callidè quæsitum est: An non impensis Societatis captivi isti redimi deberent, & perpetuum in eam rem Decretum condi expediret.

SENTENTIÆ.

Alii redimendos captivos ære Societatis, & quale dictum est condendum Decretum putabant.

I. Æquum esse, ut qui societatis nomine hac velut legatione fungerentur, si quid in ea obeunda incommodi se offerret, Societas incommodum sentiret non ipsi. Quorum enim commoda sunt, eorum onera & incommoda esse oportere. Si igitur illi Societatis sint, ut sunt, hæc eidem jure meritò manere.

II. Nisi impensis Societatis captivi isti redimantur, nullos futuros imposterum, qui obeundæ isti tam necessariæ legationi se sint oblaturi. Itaque faciendum Decretum, quo Redemptionis pretium pro Captivis carcere liberandis è Societatis communi ærario solvendum pronunciaretur. Jus omnis Societatis id poscere, ut quicquid socius in communi causa Societatis passus est, ejus ex mandato procuranda,

randa, non ſinguli ſed omnes pariter pati & penſari debere intelligantur.

Contra alii, redimendos quidem captivos pecunia Societatis, ſed non nomine ejus, aut titulo, neque in eam perpetuum Decretum faciendum eſſe inſtabant.

I. Redimendos captivos pecunia Societatis, quia ob adductas rationes fas illud & æquum eſſe videbatur.

II. Non tamen redimendos nomine Societatis, h. e. clam habendum apud hoſtes Redemptionem hanc fieri impenſis ſocietatis: quia cum captivis in mari deprehenſis nullum certum redemptionis pretium in Belgis ſit præſtitutum, ſed pro captivorum majoribus aut minoribus opibus majus aut minus exigatur, & ſingulorum privatorum opes minores eſſe credantur quam totius ſocietatis; ſi ſocietatis nomine pretium redemptionis ſolvi intelligeretur, longè majora Dunkerkani ab ea eſſent petituri quam à captivis, ſi horum nomine de redemptionis convenienti pretio agatur.

III. Eam ipſam ob cauſam nullum perpetuum Decretum hic condendum videri. Nam & eo cognito, hoſtes nimia ſemper pro redemptionis pretio exacturos & legatos ſocietatis acturos negligentius, ſegniuſque ſe defenſuros in mari adverſum hoſtes, utpote privatim ipſius captivitatis nulla incommoda ſenſuros, & captivos publico nomine Societatis plura quam aliàs ſuo, pro redemptione oblaturos.

DE.

DECRETUM.

Callidæ prudentiæ imprimis visum est postremum consilium, placuitque ut pro re nata Societas impensas & redemptionem ejusmodi captivorum faciendas præstaret: usurpato tamen nomine privato captivorum, publico Societatis dissimulato.

EVENTUS.

Sic factum ut pro captivis redimendis longè minus pretium à Dunkerkanis fuerit exactum quam exegissent, si cum publica Societate sibi rem esse intellexissent.

JUDICIUM.

Sunt talia quædam in Republ. quæ exigente necessitate & occasione fieri fas est æquumque, quorum tamen necessitatem sibi perpetuo & immoto Decreto imponere summæ est imprudentiæ. Itaque ejusmodi Decretorum parcus admodum in Republ. debet esse usus. Ut E. G. semper militi stata stipendia sunt persolvenda, nemo id abnuerit: Non tamen perpetuo decreto sanciendum est, ut suum cuique militi singulis octiduis stipendium persolvatur. Possit enim ea necessitas, eæque angustiæ esse Reipubl. per quas singulis octiduis solvendis militum stipendiis non esset suffectura. Tali igitur in re & simili præstat, uti posse præsentis consilii libertate, quam adstringi perpetui decreti servituti. Multa similia in administratione Reipublicæ invenient, qui eam accurate expendent. Ecce expedit apud nos Belgas Cives subinde

inde prodire in publicum armatos, quo belli artibus in omnem necessitatis eventum assuefcant, Non tamen expedit Reip. de tempore, quo id fieri semper debeat, perpetuum condi Decretum: possent enim stato eo tempore excitatæ in Republ. esse civium factiones, propter quas expediret, cohortes civium tum non prodire aut circumire urbes armatos. Ita E. G. iterum Respubl. quævis opus habet supremo quodam rerum domi militiæque Imperatore: interim de ejus potestate, quanta semper esse & manere debeat, non faciendum est perpetuum Decretum. Nam si id fiat eadem sequentes omnes uti volent: atque progressu temporis possit deprehendi, noxiam Reipubl. esse tantum Imperatoris autoritatem, sequentes ea non tam bene uti quam priores; atque alia plura ejusmodi. Præstat ergo in ejusmodi negotio condidisse Decretum personale quam perpetuum. Perpetuum illud voco, quod pro omnibus illis est, qui eandem dignitatem post gesturi sunt: personale, quod pro impræsens eam gerente tantum conditum est. Unde inter tot corrupta Senatus Romani sub primis Cæsaribus consilia hoc unum mihi maximè laudabile semper visum est, quod cum Augusto, Tiberio, aliisque maximam obtulerit potestatem, eam astrinxerit tamen eorum personis, non omni futurorum Cæsarum posteritati. Quanquam ob summam sequentium Cæsarum potentiam, cui impares erant Patres, hujus consilii fructum & Eventum non fuerint experti. Ea igitur quorum in

mu-

mutatis dignitatem personis non idem esse usus potest, semper præsentibus personis tantum, non simul sequentibus tribui expediat. Quæ etiam in præsens laudabilia, imposterum noxia possent deprehendi: non omni tempore, sed præsenti tantum sunt concedenda. In quam rem vehementer mihi semper placuit recepta ex tempore facti sive decreti, sive consilii formula, qua dicitur, aliquid fieri per *Provisionem*. *Barbara* hic est illa dicendi ratio. Sed pro Reipubl. administratione & recto usu, admodum cauta. Cavendum igitur est, quantum licet à perpetuorum Decretorum imponenda aut nobis aut illis, qui post nos ad Rempubl. sunt vocandi, servitute. Namque sæpè præsenti & præter expectationem oblatæ necessitati Reipubl. impares sunt, qui necesse habent, sequi perpetui Decreti necessitatem. Monitum sanè illud utilissimum in humani ingenii imbecillitate, humanarumque rerum multiplici varietate causam habet. Cum enim præsentia blandiantur maximè, quæ mutatis rerum vicibus temporibusque maximè noxia post deprehenduntur; cum etiam futura omnia industria nostra prospicere non possimus: quæ stultitia est, aut rebus præsentibus aut innixo iis præsenti nostro judicio tantum tribuere ac deferre, ut perpetui decreti à nobis facti autoritate eripiamus & nobis & aliis imposterum meliora ac utiliora consulendi potestatem.

DISQUISITIO.

Quomodo minima ſtipendia decerni illis debeant, qui ejuſmodi in Republ. imponuntur dignitatibus in quibus non ſtata aliqua, ſed maxima induſtria curaque opus eſt; & quomodo tamen illis abunde poſſit ſatisfieri. Denique quæ in univerſum ſtipendiorum ratio eſſe debeat in Reipubl. adminiſtratione.

CASUS XLIX.

De Hiſtoria Veneta depromptus.

SUnt in Veneta Republ. conſtituti plurimi Prætores quorum muneris ac curæ eſt, ad reos attendere & noxios comprehendere, qui adverſus leges receptas peccavere. Jam autem primò Reipubl. exordio modica illis ſtipendia & penè nulla ſunt aſſignata: ſæpe itaque augeri ea debere Prætores contendebant. Quæſitum itaque aliquoties in ſupremo Venetorum Senatu eſt: An prætorum ſtipendia adaugere Reipubl. expediret, & an diſcedendum hic eſſet à majorum inſtitutis.

SENTENTIÆ.

Alii augenda ea eſſe exiſtimabant: Æquum enim videri, ut, qui Reipubl. negotiis invigilarent, convenientem & ad vitam & ad dignitatem ſuſtinendam laboris ſui mercedem ex ærario publico reportarent, *Cauſam* eſſe cur nunc defle-

deflectendum sit à majorum institutis, auctis cum Rep. prætorum curis & rerum omnium pretio magis quam ante accenso. Non majorem antiquarum legum æternitatem esse debere, quam causæ; qua mutata aut sublata, cur majorum instituta non mutarentur aut tollerentur.

Alii contra urgebant. Nam in modico stipendio abundè prætoribus esse prospectum: ipsarum eorum dignitatem etiam nullo stipendio addicto satis emolumenti in eos conferre. Cum enim pecuniariæ illis mulctæ velut totæ cedant, eæque in tanta peccantium multitudine frequenter imponantur, rem prætorum admodum iis juvari.

Ad ista adjiciebant, tenui stipendio curam eorum accendi; quæ majore addicto flaccesceret & minor deprehenderetur.

Prætorum esse vigili cura explere stipendii tenuitatem. Quò plures in noxia deprehendant, eò plus accedere illis, saltem pecuniariis ex mulctis. De supplendo autem hac ratione stipendio, si opimius decernatur, videri non cogitaturos. Denique magnitudinem stipendii futuram curæ detrimentum & ejusdem tenuitatem curæ incitamen. Hoc illud esse, quod olim cogitaverint majores. Manere etiamnum eorum instituti causam, imò nunc quam olim aucta Republ. eam esse graviorem. Proinde nihil nunc decernendum esse, quo prætorum necessariæ Reipubl. curæ imminuantur.

DECRETUM.

Placuit igitur, ut modicis tantum ſtipendiis prætores uterentur: ſicut olim prudenter inſtitutum, quod ita accenſa eorum cura magis Reſpubl. juvaretur.

EVENTUS.

Ita factum eſt, ut ad explendam dignitatem plus curæ contulerint prætores; quæ quò major, plus emolumenti reportabant, quò ſtipendii tenuitatem abunde poterant ſolari.

JUDICIUM.

Cum ſtipendiis etiam æraria publica exhauriantur: cauta eorum in omni Republ. iniri debet ratio, quæ pro diverſitate curarum ac dignitatum debet eſſe diverſa.

Sunt dignitates quibus impoſiti præter ſtipendia decreta & publica nulla alia accipiunt emolumenta. Talibus & vitæ & alendæ familiæ & ſuſtinendæ dignitatis gloriæ ſuffecturum debet decerni.

Sunt dignitates, in quibus ut multum curæ eſt, ita plurimum ſplendoris. Illis divites modico ſtipendio addicto imponere expedit. Nam veluti ſtipendii loco hic ſplendor eſt, quo cum divitum illorum honeſta expletur ambitio, ſatis benè ſecum agi exiſtimant. Ita apud nos in *Belgio*, *Conſules* Urbium & Senatores qui è civium opulentioribus eliguntur, modicis & propemodum nullis ſtipendiis utuntur. Inſtar omnium illis eſt dignitas, quam ſupra alios poſiti gerunt.

Non

Non aliter in Romana olim Republ. modicum erat Senatorum stipendium & magnus census. Modicum stipendium,quia gloria dignitati sufficiebat: *Magnus Senatoribus Census*, quo suis opibus sustinere & tueri possent tantæ decus dignitatis.

Sunt dignitates quibus impositi ex industrio & accurato eorum usu commodi plurimum; imò quantò plus curæ conferunt, tantò plus commodi reportant. Illis nullum ferè stipendium, sed cura pro stipendio offerri debet & commendari. Nam cura tum pro stipendio est, quò major eò utilior & Reipubl. & gerentibus ejusmodi dignitates. Ita apud nos etiam prætoribus nulla ferè stipendia assignata sunt. Est eorum attendere ad ea,in quibus contra leges peccatur. Pars mulctarum pecuniariarum illis cedit; itaque accuratius in illos inquirunt, qui peccant & mulctam præstare coguntur.

Sunt quoque dignitates,quibus impositi certa curæ suæ & manifesta dare possunt & debent monumenta. Talibus non tam certa stipendia expedit decernere, quam certum quid pro singulis curæ documentis assignare. Ita enim accenditur & major est pro Republ. cura.Sic apud nos iidem prætores pro singulis noxiis deprehensis & in carcerem conjectis, & capitali vel alio supplicio ob noxam affectis pro minoris vel majoris noxæ aut supplicii ratione certum aliquod præmium instar stipendii addicti, habent sibi assignatum.

Sunt dignitates, quarum usu singulatim

gaudent singuli privatorum. Talibus impositis non tam stipendium ex ærario publico decerni, quam injungendum autoritate publica singulis privatorum, ut nonnihil persolvant, quoties cura & opera gerentium ejusmodi dignitates uti volent, quod in Belgio in frequentissimo usu est. Atque ita de diversa rectaque stipendiorum ratione hactenus, quantum satis.

DISQUISITIO.

Quomodo in sopiendis bellis civilibus, & sancienda Amnestia sive eorum quæ interea facta sunt perpetua oblivione, attendendum sit imprimis, neque titulus supersit Principi cum quo bellum civile gestum est, cujus prætextu aut interpretatione postea pœnas iis imponat; quibus Amnestiæ beneficium debetur.

CASUS L.

Ex Historia Belgica desumptus.

TEmporibus Albani Ducis, Gallo-Belgicæ quædam Provinciæ partes & factiones Hispanis adversas secutæ, eorundem Imperium, certis quibusdam conditionibus iterum sibi subeundum putabant. Ante omnia autem Amnestia eorum, quæ inter bella civilia gesta essent flagitata. *Albanus* generatim Regis Hispaniarum nomine sanxit Amnestiam eorum quæ occasione civilium bellorum & turbarum adversus

ſus Regem commiſſa forent: ſpeciatim tamen ab uſu beneficii Amneſtiæ excluſit omnes eos, qui non tam partes, quam libidinem ſecuti viam & itinera occupantes ſine lege ulla aut diſciplina ferro & armis nunc in hujus, nunc in adverſæ partis bona, agros, ædes, vitam etiam erant graſſati. Quæſitum eſt in Gallo-Belgicorum Ordinum conventu;an ea ſanciendæ Amneſtiæ ratio ſufficeret pro ſecuritate.

SENTENTIÆ.

Quidam eam abunde ſufficere exiſtimabant.

I. Quicquid inter partes nomine partium geſtum eſt, perpetua Amneſtia aboleri: id ſibi ſatis eſſe partes tantum ſecutis, ad quarum defenſionem, non niſi ea contulerint quæ ad ſui, ſuorumque defenſionem unicuique jus Gentium permittat.

II. Graſſatores & enormium flagitiorum Autores, qui non partium autoritatem vel auſpicia, ſed ſceleratam tantum libidinem ſunt ſecuti, ut omnium hoſtes, meritò ab hujus beneficii uſu excludi. Sub Civilium quippe bellorum prætextu & Amneſtia ad ſopienda partium odia reperta, non debere eſſe ejuſmodi hominum ſcelera impunita: itaque illis excluſis & ſatisfieri æquitati, & ſuæ proſpectum eſſe ſecuritati, cum ſub eorum nomine neutiquam poſſint comprehendi.

Alii & quidem cautiores ſuſpectam ſibi & in perniciem ſingulorum erupturam hanc ſcele-

leratorum quorundam ab Amneſtia excluſionem aſſerebant.

I. Illam reſtrictionem & quorundam exceptionem generale illud beneficium Amneſtiæ coarctare: quod tamen nunquam tutius eſt, quam cum maximè eſt generale. Nam ea reſtrictione fieri, ut judicio Principis & interpretationi beneficii Amneſtiæ perpetuò futurus ſit locus; qua ratione ſuam ſubverti ſecuritatem. Quid ſi enim interpretaretur pro partibus à quibuſdam geſta tanquam ex ſola ſcelerata libidine patrata, & proinde ab uſu omni ſancitæ Amneſtiæ beneficii excludenda. Neminem itaque, qui cautus ſit, non videre hac exceptione latam viam aperiri Principi ad Amneſtiam pro libitu obſervandam, & quibuſdam in quos malè ſit affectus beneficium denegandum.

II. Amneſtiam igitur ſine ea reſtrictione ſancitam Gallo-Belgas demum facere poſſe ſecuros. Omnem enim titulum & prætextum hac ratione ſublatum iri, quo Princeps in cujuſquam exoſi vitam ac fortunas poſſit graſſari. Ubi omnium oblivio decernitur, nihil quantumlibet grave ſit, ſubditis poſſe impingi. Ubi verò non omnium, ſed quorundam tantum oblivio decernitur, à malis Principibus & civilis belli memoria ſemper exulceratis, interpretando quædam ſingulis poſſe imputari. Atque ita ejuſmodi Amneſtiæ innixam dubiam ſemper & incertam eſſe ſingulorum ſecuritatem.

III. Præſtare denique facinoroſis omnibus qui-

quicunque tandem sint, veniam nunc & Amnestiam etiam offerri, quam iis exclusis sub eorum nomine iniqui Principis judicio illos posteà posse comprehendi, in quorum gratiam & securitatem Amnestia est sancita.

DECRETUM.

Placuit igitur ut ab Amnestiæ beneficio & usu nemo excluderetur: inque eam sententiam venire *Albanus* quoque est coactus; cum aliàs Gallo-Belgæ Hispaniæ Regis Imperium detrectarent.

EVENTUS.

Ita beneficium Amnestiæ plus securitatis contulit; & nulla irati Principis interpretatione, nullo etiam prætextu usus ejus cuiquam imposterum potuit denegari.

JUDICIUM.

Prudenter admodum initi contractus inter Principes & subditos sunt, in quibus exceptionibus omnibus amotis nihil relictum est interpretationi Principis, qua exporrecta, contractu, aliàs pro libitu uti posset & in perniciem sive libertatis sive securitatis subditorum. Ad quod attendendum est in primis in illis pactis, quibus Amnestia post bella civilia utrinque gesta sancitur. In illis tutissimæ sunt formulæ beneficiorum Generales: in quibus cum quidam excipiuntur, semper esse aut fingi causa potest, ob quam singuli postea circumveniantur. Omnium itaque securitatis interest, omnium

quæcunque tandem facta sint memoriam, oblivione æterna sepelire, ne aliàs interpretando unquam possit omnibus id impingi, quod à quibusdam patratum, usu beneficii Amnestiæ indignum est judicatum.

DISQUISITIO.

Quomodo & quare imprimis cavendum sit, ne subditi Decretorum, quæ jamjam promulganda sunt, executionem moliantur ante eorundem à Magistratu factam promulgationem.

CASUS LI.

Ex Anglorum rebus petitus.

E*Lisabetha* Regina primo Imperii initio tollere publica Pontificiorum, seu Romanæ Catholicæ Religionis sectatorum exercitia, condendo in eam rem Decreto constituerat. Innotuerat verò id Plebi quæ diversa sacra & Protestantium (ut vocant) partes sequebantur. Cœpit igitur illa non expectata Regalis Decreti Autoritate, in templa, Aras ac imagines sacras Romanæ Catholicæ Religionis sectatorum grassari. Quæsitum est in Consistorio Regali: An id permittendum videretur, & rebus regni, cogitatisque consiliis expediret?

SENTENTIÆ.

Alii permittendum id plebi omnino censebant.

I. Quia illegitimum id censeri non poterat, quod

quod paulo post Reginæ Decreto legitimum esset pronunciandum: Jam autem meditari Reginam sacrorum Romanæ Catholicæ Religionis sectatorum abolitionem. Quidni E. plebi nunc permitteretur?

II. Tanto enim futuram faciliorem Regii mandati executionem, si plebs ea jam exequi cœperit, quæ mandato præscribenda sunt. Itaque ad plebem in Romanæ Catholicæ fidei sectatores jam grassantem non posse simpliciter, sed prudenter etiam conniveri.

REGINA *contra testabatur.*

I. In iis in quibus Autoritate Magistratuum opus est, nihil legitimum esse posse aut judicari debere, nisi eadem magistratuum autoritate jam injunctum sit & mandatum. Nam quicquid in Republ. legitimum est, præsupponit ante latam legem, unde ab ea est nomen. Quomodo igitur lege nondum lata, legitimum hic aliquid posset judicari?

II, Non faciliorem, sed difficiliorem Regii mandati futuram executionem, si prævenire impune mandatum & præscriptum legis plebi concedatur. Plebem sine ratione agere, & sine ullo moderamine prudentiæ exequi, quę animo concepit. In legibus verò modum executionis cautæ præscribi, ne aliàs iniqua sit æquæ legis executio. Unde facilè intelligi, perituram vim sanciendæ legis apud plebem, ante legem latam immoderatis exemplis jam imbutam.

III. Decrementum publicæ autoritatis, imo

judicium nullius esse, si eam libidine privatorum contingat præveniri. Ubi prævenitur illa, videri imperasse Magistratibus plebem, non à Magistratibus imperium accepisse.

IV. Romanæ Catholicæ Religionis sectatores Lege adversum se nondum lata posse se grassanti plebi opponere, & jure permissam sibi & suorum sacrorum defensionem illis videri. Quid igitur ex præventa lege expectandum aliud quam cædes & lanienas? legi obsequium deberi & modestum fere à subditis deferri. Cur ergo ante eam vix exerceretur?

DECRETUM.

Factum est, ut decreto insolentia plebis grassantis præveniretur; & debito supplicio afficerentur illi, quorum audaciâ legis authoritas erat præventa.

EVENTUS.

Hac ratione pax & authoritas publica conservata est.

JUDICIUM.

Illegitimum est quod fit privata autoritate, ubi publicâ opus est, etiamsi tale sit quod latâ post lege legitimum pronuncietur. Cumque impetus furentis plebis celerior & major ferè sit quam legum, adeo ut eo leges facilè præveniantur: Silentio involvendum decretum Legis est, donec Executioni mandandum censeatur; vimque jam exequendæ legis nosse & sequi plebem oportet, non autem de ea deliberationes; quæ quo

quo in deliberatione Imperii occultiores sunt, major vis est, & melior usus Legis.

DISQUISITIO.

Qua præter eam, quæ exposita est, cautione insuper in sancienda Amnestia opus sit, quomodo speciatim crimina, quæ Amnestia abolita volumus, exprimenda sint: denique ad quæ in universum, quò tutiores Amnestiæ sint, sit animadvertendum.

CASUS LII.

Ex Historia Italica depromptus.

MEdiolanenses, postquam aliquandiu rebelles exstitissent Ludovico XII. Galliarum Regi, honesta & sibi tuta conditione reconciliari voluere. Sancita itaque generalis Amnestia est omnibus, nemine excepto. *Ludovico* tamen post Decretum id factum, Mediolanensium civitatem ingresso è civium potioribus plurimi supplicio capitali affecti, quibus atrocia quædam crimina & cæteræ multitudinis culpa majora, ut supplici causa impingebantur. Quæsitum proinde inter Gallos & Mediolanenses: An id liceret, an non Amnestiæ beneficium in cujuscunque tandem flagitii compertos extendi oporteret.

SENTENTIÆ.

Mediolanenses id iniquum esse, magno animo testabantur.

I. Objiciebant, publ. fidem, & ex ejus præscripto

ſcripto impunitatem iis, quibus ſemel ſit data & promiſſa, ſervandam eſſe.

II. Si non accuratiores initorum pactorum, & æquitatis Galli ſint cuſtodes, futurum ut Mediolanenſis populus exiſtimet, non ſe etiam teneri illis legibus pactiſque, in quæ cum Gallis pro ſtabilienda eorum Dominatione conventum erat.

Contra Galli alia omnia adſeverabant.

I. Leges Amneſtiæ temporis ejus eſſe, quo decernuntur, non autem cujuſvis temporis poſtquam ſunt decretæ. Decernendarum illarum neceſſitatem ſæpe Principibus ſubditorum contumacia imponi, quam cum ſequuntur, videri arbitrium ſuum aut jus ſequutos. Itaque ejus cauſa decreta, data occaſione, ut irrita & nulla poſt poſſe cenſeri.

II. Addebant, qui è Mediolanenſibus ſupplicio afficiebantur graviſſimorum criminum reos eſſe, ac proinde æquali beneficio Amneſtiæ eos cum cæteris uti non oportere; qui minoribus culpis operti & alios ſecuti, veniam potius quam pœnam merebantur. Enormia flagitia ſpeciatim non expreſſa, quanquam generali Amneſtia ſancita, ſemper puniri poſſe. Neque id contra fas eſſe: non enim præſumi, æquitatis ſtudioſos Principes veniam illis flagitiis præſtitiſſe, quorum impunitas ſalva Republ. eſſe non poteſt. Amneſtia non quæcunque commiſſa ſunt, ſed quæcunque condonari poſſunt, contineri; ac omnem ejus liberalitatem

ad

ad id quod æquum est, & salva æquitate possibile, restringi oportere.

III. Sed & jus ipsum, leges, atque ipsam Rempubl. habere suas formulas, semperque illas etiam non expressas, intelligi, quibus quasi à prætore, quod vi aut metus causa gestum est, restitui possint in integrum. Ita in publicarum rerum administratione, quæ constituta sunt in pace, bellum plerunque abrogat; quæ in bello, pax: non aliter ac in navis gubernatione alia usui sunt in secunda, alia in adversa tempestate.

DECRETUM.

Justa igitur supplicia esse Galli decrevere, & in vanum ad Amnestiæ Legem populum Mediolanensem provocare censebant.

EVENTUS.

Ita factum est, ut modici admodum usus inter Mediolanenses fuerit beneficium Amnestiæ sancitæ.

JUDICIUM.

Finiendorum civilium bellorum saluberrima Lex est, injuriarum oblivio. Hanc ejectis Tyrannis Thrasibulus primus Atheniensibus persuasit, quæ sola lex concussum ac labentem Statum Rerump. ad pristinum splendorem post civilium bellorum motus, potest revocare. Nam quæ (ut loquitur Tertullianus) mala bellis cilibus eveniunt, vice eorum obveniunt, quæ Diluviis ac grandinibus accidunt. Itaque ea perpetuo ulcisci, perpetuo meminisse, alere est ac fove-

fovere. Et ficut idem loquitur, ut pueri fic utiliter caftigantur, fi plura diffimulaverimus, fi pleraque alioquin vera pro falfis habeamus, fi denique multa etiam placeat oblivifci: Sic poft civiles diffenfiones, unufquifque ita optime ad officium revocatur, fi præterita non modo in jus non vocentur, fed & neque liceat reminifci. Interim fciendum eft multa crimina in pacificatione publica condonari, majoris mali impræfens evitandi caufa, quæ poft pacificationem pro gravitate & inhumanitate repetita puniuntur aut dimittuntur. Quod quam frequenter accidat & licere fibi arbitrentur Principes, vel fola Hiftoria cordati aliàs populi Romani teftari poteft.

Sylla quanquam lege lata de ficariis ac veneficis eos excepiffet qui Marianos occidiffent, vel ob relata Civium Romanorum capita ex lege profcriptionis pecuniam de ærario accepiffent; & quamvis acta omnia Syllæ Senatus probaffet, Figulo tamen & Lucio Cæfare Coff. Julius Cæfar in exercenda quæftione de Sicariis nonnullis, etiam qui tres profcriptos Syllæ juffu occiderant, numero habuit Sicariorum.

Quid enim tam inhumanum quam eorum fcelerum præftare impunitatem, quæ ex præfcripto æqui juris fumma pœnarum feveritate perfequi oportet. Ita exiftimant Principes prudentiæ effe, fpecie Amneftiæ veniam illis impræfens præftare: interim juris & autoritatis fuæ effe, ubi tempus & occafiones ferunt, debita

debita illis supplicia decernere. Nec ita olim tantum, sed & nostra ætate judicatum est ferè.

In Gallia inter tot civilium bellorum præcedenti seculo motus, licet Edictis Pacificationum omnia ante acta abolerent, nonne nihilominus pro rei cujusque qualitate *Parlamenti Proceres* multa pronunciaverunt; Edictis contineri & non contineri? Cumque Parlamenti Proceribus nonnunquam objiceretur, fidem publicam hic esse omnino conservendam, respondendum sibi putaverunt, servandam esse, si cui data sit præcise: sed generaliter datam, ex eo interpretationem accipere, quod vero simile sit, neminem seu harum seu illarum partium quocunque tempore velle excusare aut defendere atrocissima illa flagitia, propter quæ etiam post sancitam Amnestiam nonnulli supplicio afficiuntur.

Cum igitur hic tantum liceat Principibus rerum, atque ea quæ hac ratione adversus præscriptum Amnestiæ agunt, æquitati quidem inniti videantur: profectò summa cautione opus est, quò ne specie Amnestiæ decipiantur potius Subditi, qui Principi suo volunt reconciliari, quam vero ejus beneficio utantur.

Tria igitur cautè sunt observanda.

I. Curandum est, ut nulli, cujuscunque tandem sceleris rei sint, excipiantur (de quo aliàs Disquis. præced. L. agebamus) nam eodem titulo alii facilè possunt circumveniri.

II. Spe-

II. Speciatim omnia crimina, quæcunque objici possunt, sunt exprimenda.

III. Omnis quoque juris & autoritatis illius abolitio urgeri atque exprimi debet, quod aut quæ Amnestiæ beneficio ac usui esse possit,

Nullum enim præsentis legis ac beneficii publici post culpam majus est munimentum quam omnis ejus rei speciatim expressa abrogatio, quæ presenti legi aut beneficio possit obesse.

Quorum trium præceptorum observatio facit, ut & tuta & minimè dubia sit Amnestia; & post eam hoc pacto sancitam, nihil Principibus supersit, quo in subditos pœnis possint grassari.

DISQUISITIO.

Divisa civitate per factiones & civilia bella, quod interim ab una parte æs alienum contrahitur, an eadem civitate unita ab omnibus deberi intelligatur.

CASUS LIII.

Ex veteri Historia Atheniensium depromptus.

Scissi olim erant in factiones cives Athenienses. Pars eorum iniquæ cæterorum Dominationis pertæsa in Pyræum ut exules secesserant; pars viribus & factione majores in ipsa urbe Atheniensi permanserant. Factum autem à civitate est, ut hi acceperint mutuo à Lacedæmoniis centum Talenta ad eos obsidendos & in civitatem retrahendos, qui exules in Pyræum

secesserant, Mox tamen motibus his per Amnestiæ legem compositis supervenere creditores Lacedæmonii, qui reddi sibi centum Talenta per legatos petiere.

Indicta est propterea Atheniensis populi concio, quæsitumque: Quid de ea pecunia fieri placeret, & à quibus esset exigenda: an ab iis qui obsederant alios & ipsi mutuo sumpserant, an ab illis qui obsessi, & ea ratione ad salutarem unionem erant compulsi: An vero ab utrisque hoc est in universum omni Atheniensium populo.

Subtiliter admodum id tunc quæsitum est: Ideoque à nobis non prætermittendum, quia & exemplum utile est hac tempestate & instar normæ exquisiti ingenii illis esse potest, qui subinde publici juris excutiendi asserendique causa accuratius omnia contemplari necesse habent.

SENTENTIÆ.

Dicebant qui in Pyræo obsessi erant, nihil se debere, & pecuniam qua Lacedæmoniis satisfieret, pro rato (ut loquuntur) conferre detrectabant.

I. Ab adversariis suis sumptam mutuo pecuniam esse, & ideo sumptam ut obsiderentur; itaque in se non ab se aut pro se acceptam pecuniam esse. Cur debita hostium sua facere cogerentur? cur ea solvere, quæ adversum se contracta? atqui tunc hostes sibi fuisse qui erant Athenis, & sumpta mutuo pecunia, hostilia meditatos.

II. Ne-

II. Neminem invitum ab eo in cujus potestate non sit, tertio alteri obstringi posse aut obligari: atqui se invitis & ignaris hanc pecuniam mutuò sumptam. Præterea in potestate eorum qui Athenis remanserant & debitum contraxerant, se non fuisse. Causam sibi & Rempubl. ab ea aliorum fuisse separatam. Quomodo itaque sic conjuncti & socii & ut iidem intelligantur, ut quæ alii fecerint, ipsi fecisse, quod alii æs alienum contraxerint ipsi contraxisse, & eo nomine teneri intelligantur?

III. Nec referre quod ab Atheniensibus mutuò sit sumpta ea pecunia, & quod Amnestia sancita hodie sint omnes unius civitatis cives, omnes Athenienses. Nam ex juris omnis Regula tempus crediti inspiciendum esse: quò certè in Pyræo se habitasse, non Athenis, & suam non Atheniensium, quæ iniqua videbatur, Rempubl. esse secutos. Quicquid nunc igitur æris alieni contrahat Respublica, se debere, ut Athenienses & eodem quo cæteros loco jam habitos cives. Quicquid verò tunc contraxerit non debere, ut non tunc Athenienses.

IV. Sed & si rectè examinentur omnia creditum revera esse non Atheniensium, sed Tyrannorum. Serviebant qui in urbe erant sub iniquissima quorundam dominatione: qui exules in Pyræo liberi erant & propriè Athenienses: ibi erat Respubl. non Athenis. Debere igitur Tyrannos cives opprimentes, qui æs alienum contraxerint, non cives qui, quia diutius opprimi nolebant suam libertatem, sedes transtulerint

stulerint

ſtulerint atque aliò ſeceſſerint. Et fruſtrà Lacedæmonios præferre Athenienſium, quibus mutuo dederint, nomen: nomine enim eſſe deceptos. Contraxiſſe eos non cum Athenienſibus ſed cum Tyrannis; quicquid ſit, à ſe ſaltem nihil exigi jam poſſe.

V. Denique nihil in communem utilitatem acceptum verſumque ex ea pecunia eſſe; cum pro juvanda tantum eorum parte qui in urbe remanſerant, proque opprimenda eorum qui exceſſerant, ſumpta ſit.

Ex eo quid aliud ſequi, quam nihil communiter haberi? Si enim qui commoda ſentit, onera ſentire debeat; quomodo meritò poſſit urgeri, onera ſentire illos debere, qui tantum abeſt ut commodo ex ſumpta pecunia ſint affecti, ut non niſi vim, ferrum & ſumma incommoda ex ea ipſa reportarint.

Contra alii non minus ſubtiliter diſſerebant.

I. In Bellis civilibus tam cives eſſe, qui hanc partem quam qui illam ſequuntur, unde & belli civilis utraque in parte à civibus eſt nomen. Itaque bellis civilibus ſopitis conjunctoque corpore civitatis ad debita utrinque contracta, omnes ut Cives teneri.

II. Utcunque ſit, per Amneſtiam nunc coaluiſſe omnes, & non minus eoſdem eſſe Athenienſes, quam qui fuerint ante centum annos, & qui eo intervallo ſint futuri. Civitatem rem quandam eſſe contiguam, una perpetuaque ſerie compactam, quæ licet alii aliis ſuc-

ſuccedant, attamen mutationem non admittit, ſed ſemper conformis ſibique ſimilis exiſtit, quamdiu communitatis nexum ſeriemque retinet atque unitatem.

III. Unde meritò ſequi omnes nunc teneri. Cum enim, quanquam omnibus tabulis commutatis, navis Titii eadem ſit ac dicatur: civibus autem novis ſubſtitutis, nonne iidem cives, nonne iidem Athenienſes cenſebuntur? Quid refert, an iidem aliis ſucceſſione naſcendi ſint ſubſtituti, an iidem reconciliatione conjuncti? ut quanquam aliæ aliis undæ ſuccedant, idem tamen mare eſt & idem flumen; ut qui heri mutuum ſumpſit, hodie debet, quanquam heſterna conditione in cæteris forſan mutata; ut denique qui ad cœnam vocatus poſt horam venit, non tamen venit invitatus: Ita meritò in quavis rerum ac perſonarum mutatione unam ſemper eandemque & omnium præſentium & præſentibus ſuccedentium civitatem cenſeri. Itaque & omnes debere quocunque tandem tempore & quacunque de cauſa civitas debita contraxit.

IV. Sed & quotidianam experientiam inter gentes omnes receptam pro ſe facere. Qui enim peregrinus, jure civitatis alicujus donatur inque eam recipitur, qui nunquam inquilinus ante exſtitit aut civis, tenetur tamen ad debita civitatis jam ante ſecula forſan contracta. Quidni igitur qui è Pyræo in Athenienſium urbem ſe contulere, teneantur, ut qui ante cives ſint reperti, cum debituri etiam nunc fuerint,

etiamſi

etiamsi nunquam antea exstitissent cives Athenienses.

V. Quemadmodum mutuo acceptum à populo rectè ab eo populo exigitur, cujus qui sumpsisset omnibus immutatis nemo superstes esset: sic nihil interesse omnes ne Athenienses Athenis essent nec ne; cum populus Atheniensis mutuum sumpsit à Lacedæmoniis, Athenienses accepisse, Athenienses quotquot sunt, nunc debere; nec referre in quam causam, aut Tyranni vel Athenienses acceperint, publicè enim acceptum; E. publicè deberi.

VI. Frustrà denique proferri, quasi commoda tantum ex accepta pecunia acceperint, qui in urbe remanserant: incommodo autem qui ad Pyræum successerant. Nam exules hos si rectè cogitent, maxima commoda accepisse. Obsidione enim, cui impensa est pecunia, factum, ut Amnestiæ Lex fuerit decreta, ut civitati nunc suæ cives redditi sint ac Libertati. Cur non igitur onera sentirent, vel simul cum cæteris ex privatis suis conferrent fortunis quantum Lacedæmoniis debebatur?

DECRETUM.

Populus censuit jussitque plurimæ multitudinis suffragiis, ut æs illud alienum omnium videretur.

EVENTUS.

Mutuam id concordiam admodum firmavit, & primum validissimumque Amnestiæ pignus fuit.

JU-

JUDICIUM.

Ita rectissimè judicatum est, sive Amnestiæ ipsam Legem, sive alias rationes ab iis adductas, qui in Urbe remanserant videamus. Quippe Amnestiæ nullus usus aut fructus esse potest, nisi post eam sancitam, aut non audiantur amplius controversiæ, in quarum Examine repetuntur Actiones, quæ renovant eorum, quæ inter bella civilia facta sunt, ingratam memoriam, aut ita decidantur, ac si partes nullæ & factiones antè exstitissent. Quid enim aliud Amnestia omnis propositum habet, quam partium & quæ inter partes gesta sunt sive oblivionem sive æqualitatem. Sine hac autem non sopitæ partes, sed adhuc superesse videntur, & facilè iterum sunt erupturæ.

Porrò si ad rationes eorum, qui remanserant, respiciamus; solidum earum fundamentum in ipsa republ. positum est, cujus administrationem in secessione aliorum civium qui servant sibi, nec deserunt destinatum ei locum sive caput rerum (ut loquitur Tacitus) non omittunt, meritò omnia, omnia rite & pro autoritate ac ut veros Magistratus fecisse censendum est. Quod adeo est certum, ut post unitis post civiles secessiones partibus, ea quæ mansit & Reip. retinuit clavum, rerum à se gestarum laudandarum alteri quæ excessit imponat necessitatem; hæc autem illi non item, nisi inter Amnestiæ pacta aliter fuerit conventum.

Tanti hic momenti, tantique ponderis est observata Reipubl. administratio; nisi enim id, quod

quod dixi, obtineret, præsertim quo ad impensas factas ab iis qui secessere, solvendis omnibus impar esset Respubl. imò plura facilè solveret, quam quæ impensa, cum qui secedunt, non publ. sed privata autoritate aut sua impendere aut plurima contrahere debita, ad res suas exequendas soleant. Quicquid igitur secedentes & Rempubl. deserentes agunt, agere ut privati censentur. Respubl. proinde à qua discessere, sive æqua sive iniqua secessionis causa sit, jure non tenetur. Quod etiam verum est & locum habet, ubi pars quæ secesserat superior exstitit, & administrationem Reipubl. ereptam aliis, suis impensis reddidit sibi ac redemit. Cum enim nulla in secedentibus sit publica authoritas; nulla habita sit, aut consignata impensarum ratio; si privata autoritate factis impendere se, opesque suas Respubl. cogeretur: nullus finis esset petitionum, instituerenturque falsæ & iniquæ petitiones, nullis publicis rationibus redargui possent falsitatis. Denique cuivis avaro & iniquo in promptu esset titulus privatis impensis adjutæ Reipubl.

Sanè post ejectum Hispaniarum Regem, confirmatamque hanc Rempubl. Ordines Fœderati haud aliter sibi judicandum putavere. Nullas quippe admiserunt eorum petitiones aut probarunt, qui vel suis impensis vel privato nomine contractis debitis in prima ab Hispanis secessione causam egerant Libertatis. Privata enim autoritate omnia egisse censebantur. Nihil debet Respubl. nisi ejus rei no-

mine, cui publica autoritas jus suum & pondus adjecit. Et inconsultum præterea videbatur aperire viam omnium petitionibus, quæ pro libitu potuissent institui & augeri. Et cùm nulla essent publica Mandata, publicæve rationes, ad quas poterant expendi; argui, sicut dixi, non poterant iniquitatis.

DISQUISITIO.

Quomodo cavendum, ne sub prætextu tractationis longæ, cum adversæ partis delegatis institutæ, publica consilia & occasiones rerum gerendarum corrumpantur.

CASUS LIV.

Ex Belgica Historia depromptus.

POst primos in Belgio exortos motus, sæpe actum est de reconciliandis tumultuantibus Belgis ac Hispanis. Plurimi in eam rem indicti sunt ac instituti conventus; in quibus id unum hactenus agebant Hispani, ut longis deliberationibus traherent tempus, post quas nihil essent concessuri, & interim occasiones præsentes rerum bene gerendarum stabiliendæque libertatis ereptas irent Belgis. Tandem aliquando iterum Bredæ conventum est. Accesserant utriusque partis Legati. Hispani omnia ordine agi & expendi volebant statuebantque, ordinem in eo versari, si res factæ, si res particulares; si particularia generalis reconciliationis impedimenta primo amoverentur & excuterentur: Deinde de

ge-

generali Reconciliatione firmanda ageretur. Quod cum intelligerent, sæpe ita decepti Belgarum Legati, quæsivere inter se: An eo ordine hoc conventu esset procedendum?

SENTENTIÆ.

Alii annuendum Hispanorum consiliis ac ordini statuebant: Hujus autem ordinis legem poscere, ut de factis prius quam futuris agatur, præsertim cum hactenus facta futurorum esse possint impedimenta, neque posse de reconciliatione in universum agi nisi ejus impedimentis ac remoris sublatis. De his igitur tollendis primo agendum esse.

Alii contra contendebant: Frustrà hunc ordinem observari, nisi eo observato, ad æquissimum & destinatum finem perveniatur; qui si non obtinendus intelligatur, cui usui futuras longas de cæteris deliberationes & altercationes? Quid futurum aliud, quam ut corrumpantur præsentes occasiones?

Propositum sibi esse finem *Libertatem Religionis*; si eam non obtineant, frustrà de cæteris agi, frustrà cætera omnia concedi. Itaque ante omnia quærendum esse ex Hispanorum Legatis: An salva Religionis ac conscientiæ Libertate Reconciliationis decernendæ acceperint autoritatem? Si sic, omnia ordine posse expediri; neque enim dubitari tunc posse de optimo Eventu. Si non, frustrà cætera omnia agi ordine; perituras interim esse occasiones & ipso conventu nihil tandem effectum iri, atque plurimis iis sibi cognitum esse experimentis.

DECRETUM.

Placuit ſententia poſtrema ut ſaluberrima. Rogatum ante omnia, & priuſquam in rem præſentem veniretur: An in mandatis accepiſſent Hiſpanorum Legati permittere Religionis libertatem.

EVENTUS.

Ibi tum ſtatim intellectum eſt,eos id in mandatis non accepiſſe. Itaque & ſtatim Belgarum Legati diſceſſere; atque irriti conventus tractu non impediti,aliis occaſionibus oblatis adverſus Hiſpanos & pro aſſerenda Religionis Libertate uti potuerunt.

JUDICIUM.

Quanto rarius præclaræ occaſiones offeruntur, tanto magis obſervandæ ſunt. Sed hoſtes adverſariique eas plerunque ſpecie oblatæ pacis & longo indictorum conventuum tractu corrumpere allaborant. Quid hic facto opus eſt? Sanè conventus pacis cauſa oblatos & indictos homini Chriſtiano repudiare vix licet: Interim aut durante conventu qui ineundæ pacis cauſa inſtituitur, omnia adhuc expedienda ſunt hoſtilia, donec pax ſit confirmata; aut ſi aliter pacto ſit conventum, ne conſultationum & dilationum tractu labantur tempora & occaſiones, in principio eſt ſtatim quærendum ex adverſæ partis delegatis: An ea concedenda in mandatis acceperint, quæ nos omnino deberi nobis exiſtimamus, quibus carere nec volumus nec poſſumus, & denique ſine quibus fruſtrà omnia cæ-

cætera conceduntur. Sin ea non habeant, quidni sub ipsa statim initia conventus, ut irriti & noxii deserantur. Hic summæ prudentiæ est, magnumque & temporis lucrum & occasionum, statim in exordio expiscari, quid futurum sit de summæ rei, ob quam conventus institutus est, momento. In quo eximium illud Belgarum consilium fuit.

DISQUISITIO.

Quomodo ejusmodi quædam negotia offerantur, quæ expediat non subjicere cognitioni Senatus, aut vocare in deliberationem; quæ hic laudati Præsidis munia sint ac partes.

CASUS LV.

Ex Historia Gallica desumptus.

DUx *Alensonius*, *Henrici* III Galliarum Regis frater, ambitiosi turbidique animi Princeps, bella Civilia adversus fratrem excitaturus jam haud dubiè credebatur. Nam & constans de ea re erat fama; & accedebant *Alensonii* minæ, & militem occeperat jam conscribere. Interim factum est ea tempestate, ut *Alensonius* literas miserit ad Christophorum *Thuanum* Parlamentarii Senatus præsidem, Senatui inscriptas, quibus ei causæ suæ æquitatem commendare & probare, eumque in partes suas pertrahere obnixè conabatur.

Thuanus anxius animi, fidelissimis Amicorum è Senatu in ædes suas privatim vocatis, instituit apud eos consultationem: An in pleno

Senatu ejus argumenti literas prælegere & super iis sententias omnium rogare, nunc temporis expediret.

SENTENTIÆ.

Erant, qui in pleno Senatu exhibendas eas esse existimabant.

I. Senatui inscriptas esse literas; ideoque ei tradendas. Senatum non solum esse Præsidem, sed ejus collegas. Itaque quod omnes spectaret, unum illum sibi vendicare non oportere.

II. Ejusdem Senatus esse suscipere cognitionem causarum controversarum, non tantum Populi, sed etiam Regii sanguinis Principum, atque in ea & æquitatis pariter & tranquillitatis publicæ consilia inire; cur igitur id *Alenzonio* negaretur?

III. Neque videre se quicquam in ea re periculi aut discriminis esse. Aut enim in Senatu omnes dissensuros ab instituto *Alenzonii*, aut quosdam ex eo id probaturos. Si omnes dissentiant, autoritatem totius Senatus in vulgus meliorem facturam Regis, deteriorem & inferiorem *Alenzonii* causam. Sin verò quidam faveant, interesse Regis pariter & Senatus, ut intelligant, qui *Alenzonio* in occulto faveant. Nam à cognitis tutius caveri posse, quam ab iis, qui in occulto nocent.

Thuanus, quem ego sanctissimum gravissimumque ea tempestate virum fuisse invenio, alia omnia testabatur.

I. Inscripturas quidem Senatui literas, sed indi-

indignum cognitione Senatui,& noxium Reip. esse earum argumentum, ideoque meritò habendas tanquam Senatui non inscriptas. Magistratum non compellari intelligi, nisi accedat debita in Magistratum compellantis veneratio. Hac ratione in benè constitutis Rebuspublicis rejici literas & compellationes, in quibus vel titulis tantùm Principum aut Magistratuum sit aliquid detractum. Si id in titulis,quanto majorem venerationem deberi in argumento ? quod nisi æquum, nisi salutare Reipublicæ, nisi extra culpam sit distrahendi in partes Senatus, neutiquam admitti exhiberique oportere. In malè facta constitutas esse pœnas. Pœnam malæ & iniquæ rogationis esse, eam rejicere & non admittere rogantem.

II. Verum quidem esse ad Senatum spectare similium causarum cognitionem ; verùm interim quædam esse, quæ in controversiam in Republ. non debeant vocari. Ejusmodi esse monitiones adversum Regem & Rempubl.Si igitur de iis controversiam instituere non liceat, nisi contracto crimine læsæ Majestatis, neque profecto licere ea in deliberationem vocare.

III. Deliberare de rebus oblatis nihil esse aliud, quam dubitare an æquæ sint an iniquæ. Nam de re dubia tantum instituuntur deliberationes. Atqui an Regi arma inferenda sint civilia, dubitari nec posse nec debere.

IV. Scire se in Parlamentario Senatu haud paucos esse, qui *Alenzonio* faventes,minui bene cupiant aut causæ Regis aut Publicæ tranquilli-

tatis. Præstare autem nunc non aperiri illis occasiones, *Alenzonii* causam in Senatu approbandi. Sic enim futurum, ut palam in partes discedat Senatus: quid ex eo futurum aliud quàm Rempubl. distractam? Nam in quas partes Senatum imprimis Supremum divisum intelligit populus, in eas statim se partitur. Nam, ut ille loquitur:

Scinditur incertum studia in contraria vulgus;

Præsertim si in extremis Magistratibus horum aut istorum studiorum inveniat ac intelligat esse autoritatem.

V. Præstare *Alenzonii* literas Regi offerre quam Senatui. Regi, quo sibi in tempore caveat, cognitis prius adversantium consiliis, excogitetque in tempore rationes, quibus orituros mótus aut sistere possit aut propulsare. Non Senatui, ne pariter initium fiat, & curæ Regis pro defendenda publ. tranquillitate, & curæ eorum qui in Senatu *Alenzonio* faventes, eam statim ad pacem publ. turbandam essent conversuri.

VI. Denique Præsidis esse non tantum deferre causas oblatas ad Senatum, & de iis sententias rogare; sed etiam diligenter animadvertere, quid referendum sit, quid non referendum ad Senatum. Ita quæ adversus facta & non movenda decreta, quæ ad alterius Magistratus cognitionem spectantia, quæ in se ac prima fronte iniquissima, quæ ad diminutionem autoritatis Senatus, quæ ad excitandas turbas comparata & distrahendum Senatum, aliaque ejusmodi postulantur; ad Senatum referre præsidem non posse nec debere. Jam autem argumentum literarum

rarum *Alenzonii* quid esse aliud quam Seminarium motuum ac turbarum?

DECRETUM.

Placuit ut in pleno Senatu non exhiberentur *Alenzonii* literæ, sed Regi offerrentur.

EVENTUS.

Ita factum est, ut in factiones divisus palam non fuerit, ut nullorum è Senatu autoritate, in qua momenti plurimum, pro se uti potuerit *Alenzonius*: ut denique Rex in tempore rebus suis prospicere ad contraria studia per literas *Alenzonii* illis non excitatis, qui *Alenzonio* in Senatu favebant.

JUDICIUM.

Rectissimè profecto & pro ratione turbatissimi temporis & Reipubl. censuit *Thuanus*. Non deliberandum de iis est in Republ. de quibus nefas est cogitare; non deliberandum etiam de rebus ad turbam comparatis inter eos qui nihil æquè cupiunt, quam turbandæ Reipubl. occasionem sibi dari.

Generatim igitur hic discere est; ad providentiam Præsidis imprimis spectare, ut accurate dijudicet, qua de re ad Senatum referat, quam ad eum referre non debeat: Et si quæ referenda videantur, ut consideret quando commodissimè referenda sint, & cujus ingenii & studii illi sint, ad quos sunt referenda. Est itaque ejus subinde aut non referre rem oblatam ad Senatum, aut in commodiora tempora differre relationem. Hæc enim virtus ejusmodi est, quæ præcipua Præsidis boni munia contineat atq; absolvat

In Batavorum Republ. haud aliter sub initium Civilium bellorum turbarumque judicatum semper fuit. Cum enim Magistratibus urbanis interessent alii faventes Hispanorum Imperio, alii faventes revocandæ libertati; atque ab Hispaniarum Rege gratissimæ plures in speciem literæ ad eos destinarentur, quibus meliora Imperia polliceri videbatur: Præsides ferè & qui meliori causæ erant addicti, literas ejusmodi dissimulandas in Magistratuum conventu, atque apud populum, prudenter existimabant.

DISQUISITIO.

An delinquentem contra Rempubl. excusare id possit, si delicti causam non in se, sed in alio fuisse ostendat.

CASUS LVI.

Ex veteri Græcorum Historia depromptus.

RHodii negotii publici expediundi causa, quosdam legaverant Athenas. Hi, cum sibi Quæstores sumptum, quem dare oportebat, non dedissent quibus diebus Lex præstituerat, ut in Legationem proficiscerentur; profecti non sunt. Ergo hoc nomine instituta est eorum accusatio, & quid de ejusmodi Legatis fieri oporteret, multa contentione inter Rhodios est quæsitum.

SENTENTIÆ.

Legati hoc nomine accusati, nihil defendebant, quàm sumptum, qui de publico dari solebat,

bat,

bat, sibi à Quæstoribus datum non esse. Itaque nullam culpam suam esse dilatæ Legationis, sed Quæstorum: Neque se, sed hos Legationi impedimento fuisse. Jam autem neminem luere propter culpam alienam.

Accusatores verò, & è Magistratu Rhodiorum plerique contra asserebant.

I. Culpam quæstorum, si quæ est, non ad hoc judicium pertinere: sed solàm eorum, qui accusabantur. Suo quemque officio consulere debuisse; nec, si illi peccassent, legatos etiam peccare oportuisse. Si illi deliquerint, posse illos separatim quoque accusari: neque enim cum horum defensione illorum accusationem esse conjungendam.

II. Nam utut concedatur peccasse Quæstores, non ideo minus peccasse Legatos videri. Nam hos suis sumptibus potius proficisci debuisse, quam quantum ad se attinet commoda Reip. prodere; quippe & Remp. cui naturaliter & civiliter obligati sumus, cuique accepto legationis munere hi magis quam cæteri erant obligati, potuisse, quod impendissent majore cum fœnore restituere.

III. Quin verò saltem Magistratum docere eos de contumacia, vel negligentia quæstorum debuisse. Quæ cum à Legatis sint omissa, delicto eos non vacare; nam Reipubl. negotia ex Mandato gerenti non sufficere prò defensione allegare, ab aliis injecta impedimenta, si ea quavis ratione, qua potuit, tollere & impedire ipse non fuerit conatus.

IV. Qui personam publ. gerit, & publica mandata exequenda suscipit, & quidem ejusmodi, quæ differri non posse intelligit, quæ necessario omnino sunt exequenda: non posse aut debere excusationem haud peracti negotii aut mandati petere, ab impedito uno aut altero exequendi modo. Modos rerum agendarum varios esse. Eos industriæ eorum relinqui quibus agendæ res sunt demandatæ. Quibus mandat Respubl. rei necessariæ paratam præsentemque executionem, omnia mandasse videri. Omnia igitur alia molienda fuisse Legatis à Quæstoribus rejectis, quo explerent necessariam legationem.

DECRETUM.

Justa accusatio visa est & damnati sunt Legati.

EVENTUS.

Tanto major cura excitata est in illis, qui publica negotia imposterum essent gesturi.

JUDICIUM.

Certè quod protestati non fuerint, Legatorum causa deterior fuit, meritoque sunt damnati. Quam diu supersunt alii agendi modi, ad intermissæ demandatæ Actionis excusationem non sufficit in Republ. unius aut alterius modi oblatum impedimentum allegare. Nam, qualis esse debet, idonea Reipubl. cura omnia includit.

Aliter tamen judicandum, si quemadmodum nonnunquam contingit, certus & definitus aliquis modus agendi autoritate publica sit demandatus.

DIS-

DISQUISITIO.

Quomodo in administranda Republ. ex diversis consiliis, quorum singulis suæ sunt rationes, non semper illud eligendum sit, pro quo militant validissimæ rationes: sed pro quo maxime militat præsens rerum ac temporum conditio, executione accommodata.

CASUS LVII.

Ex Historia Belgica petitus.

CRescentibus superiore seculo, per Tyrannidem Præfectorum Hispanorum Belgarum motibus; missus tandem in Belgium est jussu Regis Dux *Albanus*. Quæsitum vero ante omnia in secretiori Regis consilio: An severe ut ante; an verò mitius cum Belgis agendum videretur?

SENTENTIÆ.

Alii mitiora consilia præ cæteris laudabant.

I. Eam indolem Belgarum Gentis esse, ut non nisi & salva libertate & molli imperio in obsequio possit contineri. Optimam verò esse illam Imperii rationem, quæ moribus & imperio subditorum, quantum licet, est accommodata.

II. Hactenus Belgio à Rege imposito nihil profecisse per exercitam severitatem: alia igitur & contraria remedia esse tentanda; exemplo Medicorum, qui ubi priora successu caruere, alia & sæpe contraria ac diversa curandis ægro-

ægrotorum corporibus solent adhibere. Inutilem esse illam contumaciam cum in Republ in eo consilio persistitur, per quod nihil hactenus est profectum.

Albanus contra, severius quam ante Belgas habendos esse existimabat.

I. Fateri se, indolis gentis habendam esse rationem; jam autem eam Belgarum specie ac prætextu Libertatis in licentiam & exuenda Principum Imperia pronam esse ac proclivem: severitate igitur Edictorum, eorumque constanti executione lupatum ei necessario esse injiciendum. Nam lenitatem Imperii non futuram, nisi effrenis licentiæ, quæ jam satis prorupit, incitamentum.

II. Gentem, quæ non amet Principem, metu in officio contineri debere; amare illam & clementi mollique imperio eam amplecti, nihil aliud esse, quam se odisse Jam autem Belgarum in Hispanos odium esse plus quam Vatinianum.

III. Severitate quidam hactenus nihil profectum: sed causam haud esse in ipsa severitate, sed in nimis remissa severitate eorum, qui hactenus Belgarum rebus regundis sunt admoti. Non satis magnam eam aut contumaciæ parem gentis fuisse: quæ cum in dies magis magisque adversus Regem & ejus mandata insurgat, quidni severius imposterum haberetur?

IV. Si etiam leniora quam ante nunc admittantur Imperia, perire omnino Regis authoritatem, infringi vim eorum quæ jam promulgata sunt, Edictorum. Denique ubi quis semel gratificatur

ficatur contumaciæ subditorum, aperiri viam perpetuæ cuidam dedignationi parendi: Proinde salva Regis autoritate non posse quicquam remitti de Edictorum severissima Executione.

V. Denique jam partem Belgarum descivisse; cæteros de eo deliberare & secuturos Exemplum. Qui deliberant, jam descivisse: quidni jam vim meditantes alibi, alibi inferentes, vi sub officium revocarentur. Nam nimis impar esse Reipubl. curandæ remedium *Lenitatem* & *Modestiam* inermis Imperii illis opponere, qui jam partim sunt armati.

DECRETUM.

In Hispanorum consilio gravissimæ sunt visæ *Albani* rationes, placuitque ejus sententiam approbare.

EVENTUS.

Aucti ea severitate Motus Belgarum sunt, & sub *Albano* integræ ab Hispanis Provinciæ descivere.

JUDICIUM.

Nemo profecto negare poterit, quin *Albani* Ducis consilii validissimæ extiterint rationes. In singulis enim momentum maximum est, si rectè attendamus. Interim tamen non bene nec ex utilitate Hispanorum Regis factum est, quod id consilium fuerit admissum. Cujus rei si quis ex me causam quæret, non aliam attulerim, quam quod hoc Albani consilium facilius inter deliberandum rationibus probari poterat, quam hoc rerum ac temporum statu executioni utiliter mandari.

Pu-

Publica consilia igitur non ex rationibus simpliciter; sed ex futura etiam executione possibili aut impossibili expendenda serio sunt. Melius est quod minus probes & exequi possis, quam quod magis probes & exequi non possis. Plus virium nunc erat Belgis quam ut opprimi possent aut flecti, minus virium in Belgio Duci *Albano* erat, quam ut ad optatum consilii eventum cœpta imperandi ac retenta auctaque severitate posset pervenire.

Denique ad publica consilia admovendus, perpetuæ hæc legis habeat loco. Consultantem non tantum vires rationem sed Consilium hoc aut illud amplectentem suas etiam spectare oportere; quæ si minores sint, maximæ prudentiæ loco est, minora consilia majoribus præferre.

DISQUISITIO.

Quomodo post bella Civilia inter Principes & subditos exorta, ineundæ, sanciendæque sint Pacificationes, & quanta cura ad eorum formulas sit attendendum.

CASUS LVIII.

Ex Historia Belgica excerptus.

POst commissos primum inter se Belgarum Ordines & Hispaniarum Regem, ne latius serperent civiles motus, de Pacificatione, ut loquuntur Gandavi, quæ Flandriæ urbs est, actum fuit. Quæ cum libertatis Belgarum abunde satis haberet rationem, utrinque sancita, & Pacificatio

ficatio Gandavensis est appellata. Verum cum postmodum plurimis illa modis infringeretur, iterum Bella Civilia exarsere. Quibus dein sopiendis, interponentibus sese Cæsare & Germaniæ Principibus, Anno 1579. Coloniæ Ubiorum indictus est conventus. Ubi cum convenissent & Regis & Ordinum Legati, variæ pacificationis formulæ propositæ sunt, & de singulis acutè est disputatum.

SENTENTIÆ.

Belgarum, qui libertatem suam læsam causabantur, Legati Pacificationis ineundæ hos articulos & conditiones hac forma & phrasi conceptas proposuere.

I. Concedetur utrinque perpetua oblivio sive Amnestia omnium eorum, quæ à tempore exortorum primorum motuum & illorum causa, quocunque modo & loco tam generaliter quam specialiter aut particulariter facta sunt, ita ut eorum nulla fiat amplius mentio, exprobratio aut inquisitio, haud aliter quam si ea nunquam accidissent.

II. Rex Hispaniæ gratum, ratumque habebit, quicquid factum, contractum, constitutum, decretum, conclusum, definitum, provisum, aut quoquo modò actum est per Archi-Ducem Austriæ Matthiam, Ordinesque Generales & particulares, tam id quod negotium bellicum quam politicum concernit.

III. Rex promittat rata se habiturum, & præsentium tenore rata habebit, non modo omnia Privilegia, jura, usus, antiquasque consuetu-

ſuetudines, cujuſcunque Provinciæ, Status, Civitatis & Territorii: verum etiam conſentiet & concedet, ut omnes Provinciæ generatim & quælibet earum ſingulatim frui queant & fruantur Privilegio Brabantis conceſſo, videlicet ut liberati omnes Ordines ſint, nec teneantur ſtare præſtito juramento fidelitatis, ſi Princeps ante dicta Privilegia, uſus & conſuetudines non obſervaverit. Secundum cujus Privilegii præſcriptum ſi contingat eadem Privilegia, conſuetudines aut articulos, hac Pacificatione ſanciendos infringi, dictæ Provinciæ generatim liberatæ à jurejurando habebuntur. Integrum illis erit alium Gubernatorem vel Principem eligere, quem expedire ſibi exiſtimabunt, tam quia omnes Provinciæ hoc reſpectu æquali Privilegio utuntur, quam etiam, quia jusjurandum & obligatio Principis ac ſubditorum reciproca eſt.

IV. Omnes milites quotquot ſunt extranei hujus aut iſtius partis auſpicia ſecuti intra ſex hebdomadum ſpacium, ex Belgicis Ditionibus excedant.

Princeps Parmenſis Militiæ Hiſpanorum præfectus deſeret illico oppida & loca quæ occupat detinetque poſt pacificationem Gandavenſium initam, aut obſidet aut aggreſſus eſt impræſentiarum. Eorundem extraneorum militum loco oppidis & arcibus quibus expedire videbitur, imponantur milites Belgæ natione, qui durante bello civili à partibus ordinum ſtetere, qui quidem milites prẹter fidelitatis juramentum, quod Hiſpa-

Hispanorum Regi præstabunt, ut Provinciarum Principi ac legitimo Domino, jurabunt insuper fidelitatem Patriæ, Ordinibus Generalibus, & particularibus Provinciarum quarum Urbibus imponentur; ac imprimis articulorum hac Pacificatione sanciendorum observationem.

V. Captivi omnes utriusque partis, nullo redemptionis pretio soluto dimittantur.

VI. Et quia Comes Bueranus, Principis Auriaci filius ex oppido & Academia Lovaniensi vi extractus advectusque ex Belgio in Hispaniam est contra Privilegia tum Illustris Academiæ, tum Brabantiæ Ducatus: idem Comes statim restituetur in libertatem, remitteturque in Oppidum Antwerpiense, post duos ab hac pacificatione menses exactos.

VII. Quilibet utriusque partis quod ad bona immobilia, in integrum restituetur, non obstante qualicunque abalienatione, facta à tempore Pacificationis Gandavensis, atque etiam quoad bona mobilia, non distracta, aut abalienata.

VIII. Quotquot Belgarum calamitate temporum compulsi in externas Ditiones se recepere, ubi visum erit, in Belgium revertendi habebunt potestatem, ea lege ut Fidelitatem Regi, patriæ Ordinibus & observandis hujus pacificationis pactis jurent.

IX. Pacificatio Gandavensis optima & haud infracta fide observabitur.

X, Ad ista in iis Provinciis, Civitatibus & locis, ubi Religio, quæ dicitur Reformata, Con-

fessio Augustana vel pax Religionis, dicta *Religions-Vrede*, recepta est, omnia in suo statu in quo nunc sunt permanebunt, ita ut à neutra parte contra iri possit. Qua in re concedenda, nulla moveri debet difficultas, quia alias possibile non est, invenire idonea remedia stabiliendæ securæ pacis & publicæ tranquillitatis, & si quis alium hic ordinem observandum urgeret, non nisi majoribus novisque motibus occasionem præberet.

XI. Gubernatio Generalis Belgii manebit penes Archi-Ducem Austriæ Matthiam iis conditionibus in quas juravit. Quem si mori contingat, aut si ipse forte alio se conferre vellet, Regi Hispaniæ integrum non erit alium eligere Gubernatorem, nisi Ordinibus gratum; qui tenebitur juramento confirmare eas leges ac conditiones, quibus Matthias Archi-Dux ad gubernandum Belgium vocatus sit.

XII. Nulli imposterum admittentur ad Provinciarum, Civitatum, Castellorum, Munimentorum, Centurionatus gubernacula aut alias militiæ Præfecturas, neque ad Consilia status, aut alia publ. majoris momenti munera, nisi nati Belgæ, nisi rebus agendis idonei, nisi qui durantibus Bellis ab Ordinum partibus stetere, denique non nisi qui grati sint acceptique Civitatibus ac Provinciis, in quibus suas functiones exercere debebunt; qui solemniter etiam jurare hanc pacem & Privilegiorum & Consuetudinum omnium observationem tenebuntur.

XIII. Quia verò Belgium incidit in has

Ca-

Calamitates & miserias ortas ex bello, cujus caussa est penes *Iohannem Austriacum* Privilegiorum Belgii violatorem, quodque etiam Ordines coacti sint, magnas pecuniarum summas pendere Tribunis, Centurionibus & militibus, quibus privatim à Rege solvi stipendia debebant, eâ spe futurum, ut publica Belgii tranquillitas hoc pacto conservaretur: Rex Hispaniæ restituet eam summam, quam militibus solverunt, quæ exsurgit ad decies centena millia coronatorum. Idemque Rex eosdem Ordines exonerabit à reliquis omnibus obligationibus, quibus dictis militibus se obstrinxerint; quia conditiones sub quibus eæ peractæ sunt, non sint adimpletæ.

XIV. Et quia Ordines obstricti sunt Reginæ *Angliæ* propter Amicitiam, vicinitatem, Societatem & auxilium ab Ea ad utilitatem publicam acceptam: ipsa reciprocè sub hujus Tractatus Legibus comprehendetur in confirmatione antiquorum fœderum perpetuò inter Principes ejus Regni & Belgii conservatorum.

XV. Similiter sub ejusdem Tractatus Legibus Dux Andegavensis, Regis Galliarum frater continebitur, tanquam defensor Libertatis Belgii: ubi etiam comprehendentur omnes alii Confœderati dictorum Ordinum.

XVI Hic Tractatus reciprocè solemni juramento præstito confirmabitur, & à Rege intra duorum Mensium spacium more ac ritu solemni approbabitur.

Articulorum hujus Pacificationis Exemplum Hispa-

Hispaniæ Legatis Legati Ordinum obtulere, petentes ut omnibus accuratè excussis mutarent quæ mutanda censerent, & mutatos à se Ordinum articulos eorum Legatis denuò examinandos præberent. Abnuebant verò id agere Hispanorum Legati, & novam sibi potius condendam Pacificationis formulam putavere. Si enim hic aut alibi verba quædam in articulis, nomine Ordinum oblatis, mutarentur, futurum videbant, ut ex quantilla etiam mutatione artes suæ patefierent, & ea consilia aperirentur, quibus cognitis totum pacificationis negotiũ turbaretur.

Exempli Gr. Inter alia articulis à se exhibitis inseruerant Ordines, ut Præsidiarius miles Civitatibus imponeretur Belga natione & Ordinibus gratus. Illa verba (*Ordinibus Gratus*) Hispanis displicebant, quibus in articulo ab Ordinibus exhibito, palam expunctis, Ordines non assensuros & Consilio omnia Hispanorum suspecta habituros. Consultius itaque videri novos articulos condere, in quibus ea verba omitterentur. Omissa enim in novo scripto aut instrumento, non tam facilè in oculos incurrere, quam in veteri & exhibito jam Instrumento mutata.

Nimirum callidè, ad ea quæ in scripto alieno expunguntur maxime attendi, intelligebant. Cum enim nemo sine gravi causa hîc aliquid expungere aut mutare censeatur: ii quorum mutantur Formulæ tanto majorem sibi causam esse existimant, ob quam nolint mutari. Quod præcipuè locum habet, ubi utrinque de Pactis inter partes decernendis agitur.

Post

Post quæ Ordinum Legati petiere, ut saltem singulis articulis à se oblatis, Hispanorum Legati ejusdem argumenti articulos suos subjicerent, aut sub oblatis singulis de iis sententiam suam explicarent. Tanto enim faciliorem & minus obscuram futuram de singulis utrinque deliberationem.

At verò id quoque facere abnuebant Hispani. Nam ut Contraria juxta se posita magis elucescunt (sicut Philosophi loquuntur) ita callidè animadvertebant versipelles Hispani, si articulos suos singulos, singulis Ordinum ejusdem argumenti apponerent, opponerent, aut subjicerent, tantò cautius Ordinum Legatos illos inter se collaturos, & facilius mutata animadversuros.

Malebant igitur illi & consultius putabant Hispani novos articulos novis formis concipere: eosque seorsim non adjectis aut adscriptis Ordinum articulis examinandos exhibere; hac enim ratione facilius se circumventuros Ordinum legatos existimabant.

Ita aliud pacificationis exemplum Hispani exhibuere; in eo articuli articulis Ordinum ordine non respondebant, quo horum Legatis difficilior & impeditior collatio redderetur. In eodem quoque Instrumento, quæ annuere & permittere constituerant, multis verbis amplificavêre & uberioribus longe formulis usi sunt quam Ordines, quo hac ratione Legatos Ordinum inescarent, & minus ab illis attenderetur ad alia: quibus cum assensum omninò præbere nollent Hispani; restrictionibus in iis formulis utebantur. ut Eccè. *Arti-*

Articulum de *Amnestia* amplissimis verbis expressêre, & supra Ordinum formulam ita auxere, ne qua ad nutriendam animorum diffidentiam occasio quoquo modo superstes videri queat relicta; atque eatenus ad universum menatum, scrupulosque omnes tam natos quam nascituros ex animis subditorum planè radicitus evellendos. Placuit suæ Majestati, ut Generalis utrinque oblivio omnium illorum, quæ ab exordio primorum motuum accidêre, decernatur; ita ut eorum memoria perinde evanescens, sepultaque intereat, ac si non accidissent: districtè interdicens omnibus non solum Procuratoribus, Fiscis, aliisque officiatis; verum etiam quibusvis personis publicis privatisve, ne deinceps rerum quarumlibet præteritarum occasione ulli negotium facessere præsumant, &c. & alia plura amplissima, quæ in eam rem sequuntur.

In eodem etiam Instrumento Hispanorum Legati dubiis quibusdam dicendi Formulis utebantur, quibus quæ omnino in speciem admittere nunc & concedere videbantur, post sancitam Pacificationem ut irrita & vana & non concessa eludere potuissent. ut Ecce:

De Observatione Privilegiorum Provinciarum Belgii Articulum hoc pacto conceptum exhibuere.

Rex Vasallis subditisque suis seriò promittit ac pollicetur imposterum servare, manutenere; imò, si opus videbitur, de novo firmare, omnia & singula jura, Usus, consuetudines, immunitates,

tes, Exemptiones & privilegia quarumlibet Provinciarum, Civitatum, Communitatum, aliorumque Privatorum omnium, tam in genere quam in specie, pro ut iisdem usi fuêre ac fruebantur eô tempore quo S. M. dictis Provinciis olim solemniter inauguratus promisit; & sicubi eadem ipsa Privilegia interea temporis ullam infractionem sive violationem passa fuerint, nihil promptius fuerit quam eadem instaurare, & prisco vigori suo restituere. Sanè si quis articulum illum inspiciat, primâ fronte Ordinum Articulo ea de re concepto, ex amussim respondere videbitur. Latet interim anguis in herba; & Ordinum Legati summum fucum deprehendere. Nam quanquam revera eadem contineret quæ Ordines postularent: displicebat tamen, & suspicionem meritò movebat restrictio illa verbis his concepta ac inserta, *pro ut iisdem usi fuere.*

Suspectam dico meritò eam habuere, quia post pacificationem sancitam cum Belgis de usu vel non usu Privilegiorum disputaturus, & data commoda occasione novas centroversias Rex Hispanorum moturus credebatur.

Quare satius esse putabant dubiam illam & ad novas lites excitandas comparatam formulam omitti, & ut in suis articulis fecerant generalem & omnimodam, sine ulla ejusmodi restrictione proponere & admittere Privilegiorum observationem. In eodem etiam Instrumento ab Hispanis oblato, uno tantum vocabulo detracto, quo usi Ordines erant, irritam

R fece-

fecere cæterorum omnium quæ concedebantur præstationem. ut Eccè:

Articulus de Præsidiario milite civitatibus Belgii imponendo ita concipiebatur:

Et quantumvis Rex olim, licet invitus motuum tunc temporis exortorum occasione coactus fuerit, peregrinum militem tuendæ autoritatis suæ causa in Belgium inducere: tamen paterne inspiciens ad onera & gravamina subditorum, statim à pace promulgata mandabit omnibus, ad unum usque extraneis militibus, quo citra moram Provinciis Belgicis excedant, eorumque urbibus Arcibusque milites naturales Belgæ substituantur.

In eo & Ordinum Legati, viri Cautissimi verbum unum detractum petitioni suæ deprehendere, quo totius beneficii non hoc tantum articulo, sed & in cæteris omnibus concessi usus irritus reddebatur; Proposuerant enim Ordines, ut Civitatibus non tantum imponeretur miles Belga natione, sed *Ordinibus Acceptus & Gratus*, quod postremum omiserunt Hispani. Omne tamen totius Pacificationis fundamentum in hoc positum erat. Belga enim Miles Ordinibus ingratus & potius in augendam Regis Dominationem pronus, quam in tuendam Belgarum libertatem cujusvis extranei militis & hostis loco futurus erat. Itaque suam hic formulam retineri Ordines omnino voluere.

In eodem insuper instrumento ab Hispanis exhibito, in eum modum articuli quidam concepti extabant, ut callide, quæ certa esse debebant,

bant, incerta fierent, & tamen quasi certa proponerentur, plusque futuræ post sancitam Pacificationem interpretationi Regis quam Ordinum securitati relinqueretur. ut Eccè:

Articulus de ratis habendis illis omnibus quæ à Matthia Archiduce Austriæ & Ordinibus durante bello civili essent decreta, ita offerebatur conceptus atque concinnatus: Decreta vero juxta ac Disquisitiones & Ordinationes per Archi-Ducem Matthiam & Ordines Statuum à tempore ultimarum turbarum sub auspiciis S. M. emanatæ, tametsi notoriè constet, legitimæ facultatis defectu viribus nequaquam posse subsistere: tamen studio promovendæ hujus reconciliationis S. M. consentit, ut pro legitimis & validis habeantur, suosque debitos fortiantur effectus, quo ad beneficia dignitatis, officia aut alias quasvis res quæ solent esse potestatis ac dispositionis ordinariæ illorum qui tenent locum Gubernatoris dictarum Provinciarum, non autem quo ad ea quæ propriæ personæ S. M. reservantur; aut si quæ facta sint contra jura, Privilegia, aut immunitates Patriæ tam in generali quàm in speciali ac particulari.

In eo articulo Ordinum Legati vim sanciendæ Pacificationis omninò infringi & everti videbant. Itaque excepere nolle nunc temporis eam Disputationem ingredi, An Dispositiones & Ordinationes per Archi-Ducem Matthiam & Ordines facta ac decreta Legitimæ facultatis defectu careant. Quæstionem hanc alterius esse loci. Sed hoc se nunc solùm velle admonere

Articulum hunc Paci omninò contrarium esse, ex quo nimirum infinitæ contentiones & lites inter Subditos & Regem possent exoriri: quarum evitandarum causa, nihil arbitrari se magis conducturam Regi aut Reipublicæ, quàm si Formula Articuli ab Ordinibus, in eam rem exhibiti, Pacificationis Pactis insereretur, sanctéque observaretur.

In eodem etiam Instrumento Pacificationis ab Hispanis oblato, observabant Ordines quosdam Articulos, qui obligatorii non erant (quemadmodum JCti loquuntur) in quibus nimirum Hispaniarum Regis officia potius quam debita exprimebantur: cum interim nulla Pacificationum certa aut immota vis esse queat, nisi partibus omnia non jam ex officio, sed ex pactorum præscripto necessariò agenda imponantur.

DECRETUM.

Cum æquis Ordinum postulatis & eorundem Legatorum cautionibus necassariis satisfacere Hispani abnuerent, à sancienda pacificatione, illi sibi abstinendum putavere.

EVENTUS.

Ita factum, ut majorem securitatem Belgarum Reipubl. bellum continuatum conciliarit; quæ iniquis ac subdolis pacificationis pactis non tantum fuisset subversa, sed simul etiam ejus revocandæ omnis omnino occasio imposterum sublata.

JUDICIUM.

Non unum hic se observandum offert illis, qui

qui ad ejusmodi officia ac negotia publica expediunda vocandi sunt.

I. Monemur in pactis Pacificationum cum partibus ineundis maximè ad ea & eorum formulas esse attendendum; circa quæ aliter atque aliter exprimenda, partes quibuscum nobis res est, maximè hærent & occupantur.

II. In pactis Pacificationis curandum, ut non nomen ejus, sed vis obtineatur. Vis obtinebitur, amotis, rejectis aut correctis formulis, aut etiam dilucidius explicatis, de quibus post sancitam eam controverti possit ac dubitari.

III. In iisdem nihil partium judicio aut arbitrio in exequendis pactis, omnia indubitatis ac immotis formulis eorumque inevitabili præscripto sunt relinquenda. Si enim arbitrio partium quid relinquatur, non illæ necessitati pacificationis observandæ; sed hæc illis subest, & pro arbitrio & occasione infringitur, mutatur.

IV. Deneque omnino abstinendum est ab ineundis illis pacificationibus, in quibus partes plus pace quam bello petunt.

DISQUISITIO.

Quomodo in Republ. comminisci liceat ac expediat vectigalia, quæ cum minimo & propemodum nullo subditorum onere sunt conjuncta, & tamen Reipubl. utilissima futura.

CASUS LIX.

Ex Belgarum rebus petitus.

MAgna pecuniæ vi opus habet Fœderatorum Respubl. ad sustentandum tot annorum

totque impensarum cum Hispanis bellum. Opes autem quibus Fœderatorum Respubl. finitur non sunt aliæ, quam quæ à singulis Fœderatorum Provinciis in commune ærarium inferuntur. Colliguntur illæ ex impositis ubique & acceptis vectigalibus ac tributis, quæ in principio eadem in omnibus Provinciis recepta fuere. Sed id iniquum postea usu dehrehensum est, idque ob diversam singularum Provincirum conditionem. Cum enim E. G. ager Geldriæ non tam fœcundus sit ac ferax, quam ille Hollandiæ: iniquum videbatur, pro spatio centum decempedarum agri Geldrici tantum persolvere, quantum pro spacio centum decempedarum agri Hollandici, longè quam ille fœcundioris. Placuit igitur communi Fœderatorum consilio, habita magnitudinis ratione & opum singularum Provinciarum, certam pecuniæ summam singulis indicere in commune ærarium quotannis inferendam; *quotam* vulgo vocant. E. G. Si centena florenorum millia in commune ærarium sint inferenda. Quotæ nomine una Hollandia sexaginta florenorum millia præstat; Zelandia decem millia florenorum; reliqua cæteræ Provinciæ, singulæ plus, minusve, pro ut magis vel minus sunt opulentæ. Atque ita singularum Provinciarum Ordinibus integrum est, quam volunt & suæ Provinciæ expedire existimant imponendorum tributorum rationem inire, qua Quotam suam præstare & satisfacere communi Fœderatorum Reipubl. possint.

Hollandiæ igitur Ordines plerisque mercibus

bus impositis gravibus satis vectigalibus; nec tamen illis, ob crescentes in dies impensas sufficientibus: de novis atque aliis superioribus annis cœperunt cogitare: invitatis in eam rem Edicto publico subditorum ingeniis: præmio illis amplissimo proposito, qui novi alicujus Tributi subditis minimè onerosi, & Reipubl. utilissimi rationem essent inventuri.

SENTENTIÆ.

Extitit tandem non nemo callidus & ingeniosus, qui vectigal sive Tributum *Chartæ* sigillatæ est commentus (vocant *de Impost van bezegelde Brieven*) quod nimirum pendendum esset omnis illius Chartæ nomine cui sigillum Ordinum erat impressum.

Volebat ille, ut autoritate publica constitueretur, ne qui Codicilli aut Libelli supplices ab Ordinibus, Urbium aut Pagorum Magistratibus vel Assessoribus Curiarum, vel aliis quibuscunque publicis Collegiis admitterentur, neque in Curiis descripta manu forensi Instrumenta litigantium reciperentur, neque à Quæstoribus publicis Chirographa (quæ Quitantiæ vulgo vocantur) admitterentur, neque acta à Notariis, Secretariis, Procuratoribus, aliisque publicis personis consignarentur.

Denique ne quæ ejusmodi Instrumenta in judicio ac foro rata haberentur, nisi omnia chartæ, sigillo Ordinum munitæ, essent inscripta: ut Secretarii Urbium, Pagorum, Curiarum chartam ejusmodi civibus divenderent, & sigilli majoris impressi nomine asses sex, & mino-

ris nomine asses duo pro singulis philaris sive bogis (ut vulgo loquuntur) ab Emptoribus persolverentur.

Prout enim majoris vel minoris res essent, quarum argumentum describeretur, majoris vel minoris sigilli usus esset.

Placuit plerisque Ordinum ingeniosum illud Commentum.

1. Quia modicum erat quod pro philaris ejusmodi singulis chartaceis subditis esset persolvendum.

2. Quod pauperes & depressæ conditionis homines immunes quasi essent hic & exempti, cum illi vix ejusmodi negotia aut gerenda aut describenda habeant, in quibus ejusmodi chartarum possit esse usus.

3. Quod ex hoc Tributo plurimum commodi in ærarium publicum posset conferri, dum inter civium opulentiores Mercatores, litigantes, contrahentes continuus ac multiplex futurus esset earum chartarum usus.

Erant tamen ex Ordinibus nonnulli, qui quædam adversus eam exigendi Tributi rationem objiciebant.

I. Quod ejusmodi sigilla facilè imitando à privatis possint exprimi, nec proclive esse fraudem deprehendere. Itaque hac ratione periturum facilè omnem hujus Tributi usum.

At vero responsum est præveniri eam fraudem posse, si in singulis urbibus Secretarii singulis sigillis nomen subscriberent; neque enim tam facile esse manum alterius quam sigillum exprimendum imitari.

II. Quod

II. Quod sæpè iniqua ejusmodi chartis Privati essent inscripturi, quibus impressum videre *Ordinum* sigillum quid revera aliud futurum, quam publicam autoritatem iniquitati Argumenti commodare.

Sed responsum est, aliud longè esse subjicere, aut subtus exprimere Ordinum sigillum, aliud in supremo chartæ margine ad oram id exprimere.

Si subjiciatur, videri confirmari, quæ supra scripta sunt: si verò in margine superiore extet, non alterius rei futurum indicium, quam chartæ publicæ, cujus necessarius usus sit, in consignandis illis rebus quæ publicis Magistratuum oculis & curarum judiciis essent offerendæ.

Ad oram igitur supremi marginis chartarum spectari hæc sigilla debere.

DECRETUM.

Placuit Ordinibus approbare & inire eam tributi exigendi rationem.

EVENTUS.

Placuit etiam aut non displicuit subditis, cum modicum esset illud quod earum chartarum nomine persolvendum indicebatur. Magnus tamen pro Republ. proventus erat ob quotidianum (sicut dictum est) & continuum earum usum.

JUDICIUM.

Inventum profectò ingeniosissimum, & cujus in quavis Repub. facillimus possit esse usus. Nam autoritate hic publica tantum opus est in eo

indicendo, & nemo Civium facilè illud modicum abnuere potest quod venit persolvendum.

Et sanè, si quis accuratè excogitet, existimo ad eam rationem in quavis Republ. plura alia nullo negotio posse excogitari. Quid si enim ut E. G. hoc nunc asseram, in Republ. institueretur ut singulæ literæ quibus alii aliis se ad hæc aut ista præstanda obstringunt, aut debere se aliquid profitentur (obligationes vulgò vocant) vendidisse se aliquid testantur, annis singulis de novo, confirmarentur manu Secretarii publici, dorso literarum, ut loquuntur, hujus rei causa inscripta, nisique id fieret, ut irritæ & invalidæ ejusmodi literæ haberentur, ac novæ & repetitæ confirmationis nomine aliquid Reipubl. penderetur, majus quid aut minus, pro ut majoris aut minoris momenti esset, vel summæ literarum singularum Argumentum. Haud illibenter subditos admissuros qualecunque hoc Tributum existimaverim, utpote cum utilitate sua conjunctum, literis ejusmodi magis magisque hoc pacto quotannis confirmatis.

DISQUISITIO.

Quomodo inprimis probanda sint & facilè admittantur ea vectigalia, quæ non tam titulo Necessitatis publicæ, quam emendandorum, qui corrupti sunt, morum imponuntur.

CASUS LX.

Ex Institutis Fœderator. Belgarum desumptus.

URgente publica necessitate de novis vectigalibus constituendis superioribus annis est

co-

cogitatum. Inter alia quæsitum: An non in tanta multitudine litium & causarum quæ vel Magistratibus Urbanis vel Curiis offeruntur vectigal aliquod à temerè litigantibus titulo corrigendi corrupti Moris, exigendum videretur?

SENTENTIÆ.

Quidam id iniquum existimabant.

I. Enim id satis grave esse, si Actor, aut is in quem agitur in judicio, causa cadat, Afflictionem non addendam esse afflicto.

II. In vectigalibus imponendis ad id ferè attendi, ut ea præstare maximè necesse habeant, quorum florentes res sunt & fortunæ: Et quantum licet, ab illis abstineatur, quæ pariter divites & pauperes premunt. Maximè autem & omninò ab illis, quorum onus soli paupertinæ & miseræ conditionis homines sint subituri. Atqui miseros esse qui causâ cadunt. Cur igitur solis illis novum vectigal imponeretur? quin verò à feliciter litigantibus id justius exigendum videri.

III. Non ad instar pœnæ hoc vectigal temerè litigantibus debere aut posse imponi. Neque enim hic quicquam mali videri committi, quod pœnam possit mereri. Si enim causa aut controversia impedita exorta sit inter privatos, non tam hostes sæpè æquitatis, quam ignaros juris; quidni ejus finiendæ causa ad peritiam & autoritatem Magistratuum aut Judicum recurreretur? Vix enim decerni posse quis temerè litigaverit, id enim totum in animo repositum esse,

quia si iniquus sit, temerè litigasse videri. Cætera in eventu si quis causa cadat, apparere potius infeliciter quam temerè esse litigatum. Cui igitur, aut quare hoc vectigal ad instar pœnæ imponeretur?

IV. Et profectò, si quid imponendum, pœnæ satis esse; cum, qui succumbunt in Judicio, in expensas etiam litis, quæ multæ satis ac graves sunt, soleant damnari.

Contra alii differebant.

I. Non addi hic afflictionem afflicto; Neque enim censeri afflictum oportere, qui non accipit quod petiit, non alia de causa, quam quia non debebatur. Si quis afflictus hic haberi debeat, eum aut esse Judicem, cujus temerè & iniquè intentatâ lite augentur curæ; aut eum, cujus sive actor sit, sive in quem agatur, Jus & Actio in dubium & Controversiam vocatur.

II. Frustrà hic in medium adferri, miseros aut pauperes minimè vectigalibus esse onerandos. Litigatores enim, quorum tanta frequentia hodie est, opimæ ferè esse homines conditionis; rarò aut nunquam Pauperem litigare, cum non habeat aut prætendat quicquam, propter quod cum alio contendat. Quid ni igitur præstituto vectigali velut pœnam pecuniariam illi lucrent, qui & meriti eam sunt & possunt sustinere.

III. Quippè meritò imponi pœnam. Ex eventu enim apparere, non tantum infeliciter, sed etiam iniquè & contra fas esse litigatum. Nisi enim contra fas de quibus sermo est, litigarent,

garent, non succumberent eorum judicio, quorum est jus tueri & justitiam administrare.

IV. Nec satis profectò pœnæ esse, si ad expensas, factas in litem, præstandas succumbentes constringantur. Hoc enim fieri in ejus gratiam, qui victor in Judicio exstitit, cujus justæ actioni, nihil decedere debet per expensas, quarum causa in solo illo est, qui iniquam causam probandam aut defendendam suscepit. Nondum tamen hic satisfactum esse Reipubl. quæ iniqua lite intentatâ, veluti læsa debet videri. Ut fur non sustinuisse satis pœnæ creditur, imò ne pœnam quidem sustinuisse, si vero Domino restituit rem ablatam, nisi etiam exemplo alterius pœnæ aut emendetur ipse aut emendet alios. Ita hic quoque esse cogitandum. Nam vectigali hoc, ut pœna, imposito, cautiores futuros alios in litibus intentandis. Pro moribus igitur & pro Republ. cum facturum sit hoc vectigal, cur non admitteretur?

V. Neque novum esse hic quandam quasi constitui pœnam: neque enim ignorari posse, quid in jure Romano disertim cautum sit adversus temerè litigantes.

DECRETUM.

Placuit igitur decernere & approbare vectigal, quod temere litigantium est, vulgo *De Impost van ongefondeerde processen*, solet appellari.

Est autem id quod penditur ab illis, qui coram Magistratibus Urbanis, Curiis, aliisque Tribunalibus publicis aliis litem intentant, & in

in judicio succumbunt, pro ut major aut minor summa est, de qua litigatur, plus minusve pendi solet. E. G. Si florenorum illa sit quinquaginta, asses triginta; Si centum, Sexaginta pendantur; atque sic porrò.

Sub initium contestationis litis, pecunia illà curiarum Secretariis persolvenda est ab actore. Si autem Actor superior causa evadat, attritus ille, in quem Actio instituta est, quique succubuerit, reddere ei cogitur pecuniam, quæ vectigalis hujus nomine Secretariis Curiarum est persoluta.

E V E N T U S.

In tanta litium frequentia hæc veluti pœna temerè litigantibus imposita, licet in tanta hominum iniquitate vix corrigantur mores: admodum tamen Reipublicæ ærarium adjuvatur. Licet enim non uterque finis, alter saltem obtinetur; & alterius obtinendi forsan interest, alterum non obtineri.

J U D I C I U M.

Rectè & pro Republ. censuisse Ordines hic crediderim; Justus enim est & laudabilis, nec cuiquam ingratus esse potest titulus emendandorum Morum, qui sunt corrupti.

Accedit, quod nemo ægrè ferre debeat id Vectigal, quod pendere non cogitur, nisi qui imprudens est & iniquus.

Quæ facillima est omnium imponendorum vectigalium Ratio.

F I N I S.

IN-

INDEX
DISQUISITIONUM POLITICARUM,

Hoc volumine comprehensarum.

tes

CA-

FINIS.

MARCI ZUERII BOXHORNII

DISSERTATIONES POLITICÆ,

DE REGIO ROMANORUM IMPERIO,

& quædam aliæ.



AMSTELODAMI,
Apud CASPARUM COMMELINUM,
CIↃ IↃC LXIII.

PRÆFATIO.

Quod Civilis sapientiæ, & Antiquitatis ac Historiarum, sine quibus frustra graviora tractantur, studiis, eo, quo oportet, ordine in hac Academia operanti, ac in posterum, quod sperandum est, operaturæ juventuti benè vortat Deus immortalis, nos quoque ex auctoritate Illustrissimorum Academiæ Curatorum, & Amplissimorum Vrbis Consulum, publicam Palæstram ingredimur; in qua, quò in pulcherrimarum utilissimarumque rerum ipso complexu ac abundantia quadam continuò simus, præter scientiam Civilem, quam totam, si idem ille, cujus pacem nunc imploravimus, vitam ac hoc otium produxit, sic absolvere animus est, quidquid insuper in Antiquorum monumentis vel instituti, vel consilii, vel casus egregii est, florentium ingeniorum examini subjicientur. In quo quidem ut à veteri, & Romanis ipsis recepto olim laudatoque more haud deflecti-

mus; ita quoque non sterilem, aut alienam, sed illam sive Tacito, sive Fabio in Dialogo de Oratoribus probatam, apertam, & in ipsa argumentorum brevitate disertam, atque, ut licebit, verè Romanam contentionem & petimus hic merito & exspectamus. quo sic & alteram muneris nostri partem ac destinationem explere possimus. Principium autem operis septem Romanorum Reges & ante omnes Romulus erunt.

MARCI ZUERII BOXHORNII

DE

Regio Romanorum Imperio Dissertationes Politicæ.

CAPUT I.

DE

ROMULI PRINCIPATU.

IMperium Romanum cœpisse anno Mundi 3219. ante Christum natum 752. quo Æterna Urbs condita traditur, plerique Chronologi consentiunt; primam ejus formam Monarchicam sive Regiam fuisse, apud omnes in confesso est: & hanc potius, quam Aristocraticam aut Democraticam, illius tum ferocioris populi ingenio convenisse, haud temerè à nobis affirmatur. Minor enim libertas, quod in Monarchia usu venit, concedi illis debuit, qui per omnem licentiam hactenus vitam egerant, & ad constituendam novam Remp. vocabantur. Ex quo apertum est, quæ Reipub. forma melior sit, frustrà plerumque disputari. Quævis enim optima & longè cæteris præferenda, quæ suorum ingeniis est attemperata. Quare & post exactos Reges, Senatus & Populi, post certamina populi & potentiorum, Cæsarum Imperium Romanis maximè convenisse censendum est.

2. Primus id habuit Romulus; Rhea Sylvia, virgine Vestali, & Marte, ut ferunt, genitus; callide recepto inter veteres more, ut narrationibus in miraculum corruptis initia Rerumpubl. ac Principum consacrarent. Imperio autem absolutissimo usus est, quod παμβασιλεία Aristoteli, ἐξουσία αὐτοτελὴς Straboni, *summum rerum judicium* Tacito Annal. VI. appellatur. Auctor est idem lib. Annal. III. *Nobis*, inquit, *Romulus, ut libitum, imperitaverat.* Et tamen in eo constare debuit, ac constitit, populo sua libertas. Non enim tali Principi quidvis licet. Neque res sunt natura sua dissociabiles, aut pugnant, absolutissimum Principum imperium, & populi libertas. Nec, quod existimant nonnulli, hoc imperium & libertas opponuntur à Tacito, ubi inquit, *Urbem Romam à principio Reges habuere; libertatem & Consulatum L. Brutus instituit;* sub initium Ann. I. Certè in quovis legitimo imperio, subditis sua esse debet libertas; ac proinde etiam in illo summo.

3. Frater ei Remus fuit. *Gemini erant*, inquit Florus; *uter auspicaretur & regeret adhibuere piacula. Romulus victor argurio urbem excitat. Ad cujus tutelam sufficere vallum videbatur; cujus dum irridet angustias Remus, idque increpat saltu, dubium an jussu fratris occisus est.* Dubiè de Romulo, de Remo admodum modestè. Sed multo graviora huic à Plutarcho in Romulo tribuuntur; τὰ μὲν ἐχλεύαζε τῶν ἔργων, τοῖς δ' ἐμποδὼν ἐγίνετο; *Quadam,*

dam, inquit, *operum Romuli ludibrio habuit, quadam & interpellavit.* Quod postremum vim etiam factam significat. Cæterum tamen illam Remi ut iniquissimam recentiorum plerique ac veterum interpretantur. At gravem satis & idoneam Romulo caussam fuisse judicamus. Cautius tamen fecisset, si abstinuisset à cæde, ad declinandum odium, quo summo laboravit, postquam

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Nam justissimæ etiam pœnæ principes reddunt exosos; ideoque subinde melius est, eas non exigere, aut saltem mitigare. Hinc autem petenda origo est illius juris, quo placuit ut mœnia civitatum sancta haberentur; prudentissimo certè instituto.

4. Condità urbe deesse visus idoneus civium numerus. Ac idcirco Asylum apertum, ad quod, impunitatis præmio proposito, undique plurimi confluxêre, boni, mali, servi, debitores, latrones, alii facinorosi. Et quosvis Romulus recepit; nec servum domino, nec creditori nexum, nec Magistratui reum, quanquam rogatus, reddidit, ut in ejus vita author est Plutarchus. Quod ut iniquissimum sugillat Albericus Gentilis, lib. 1. cap. 11. De Armis Romanis. Nos æquum id & primæ origini Rerumpubl. apprime convenire existimamus. Neque interim eo exemplo tueri se possunt, qui olim ac hodie florentes suas civitates eadem ratione augere instituerunt. Non enim idem utilitati jus est, quod est necessitati.

5. At convenerat hactenus populus modo virorum; & sequior sexus desiderabatur. Missi igitur ad vicinos populos legati, matrimonia ambituri. Cæterum repulsam tulere. quæ & naturæ & gentium juri adversa fuit, sicut & iis officiis, quæ vicino ac hactenus innoxio populo debebantur. Romulus igitur, necessitate compulsus, ad licitas Principibus artes confugit; vicinos ad indicta ludorum spectacula vocat; quorum virgines, doli ignaræ, & veniunt, & jussu Romuli rapiuntur. Quod ejus factum mirum in modum exagitant ex Christianis antiquis Tertullianus de Spectac. Minutius in Octavio, Augustin. de Civ. Dei lib. II. c. XVII. lib. III. c. XVII. Nos, Plutarchi ac melioris rationis auctoritatem sequuti, aliter sentimus, & id factum κάλλιστον, & πολιτικώτατον cum eo appellantes laudamus. qui & passim τὸ περὶ τὰς γυναῖκας ἔργον, οὐχ ὕβρει τολμηθὲν ἀλλὰ δι' ἀνάγκην, id factum non ex libidine, sed ob connubiorum difficultatem necessario facinore perpetratum scribit, ac sic satis tuetur.

6. Hæc origo prima bellorum in Italia cum Romanis. in quibus gerendis dubites utrum major prudentiorque Romulus fuerit, an in victoriarum recto usu. Victos plerosque in Romanam civitatem recepit, ut, scilicet, victis non esset grave victoris imperium; atque illi, ut vetus auctor loquitur, dominum mutasse viderentur, non fortunam. Civitates autem subditas (paucis exceptis, quas, ut nulli

nulli usui futuras, diruit) Romanis inhabitandas dedit. Quæ prima & vera origo Coloniarum Populi Romani. Prior mos recepiendi in urbem victas nationes tandem desiit, hac auctâ plus satis & habitatâ; alter traditus posteris & semper probatus, transmittendarum in Provincias Coloniarum. quas licet *sedes servitutis* apud Tacitum Ann. XVI. appellent Provinciales, ideoque cogitent de rebellione, inter arces tamen & præcipua ac necessaria illius imperii munimenta veniunt laudandæ.

7. Ac hi quidem populi, vel vi subacti, vel metu ad deditionem sunt compulsi, quod neque eodem tempore, neque armis & consiliis conjunctis Romanos aggrederentur. Dum singuli pugnant, universi vincuntur: quod de Britannis in vita Agricolæ Tacitus pronunciavit. Igitur invalidi populi, domi imperio singuli distincti, belli studiis consiliisque conjungendi sunt, ubi cum potentioribus committuntur.

8. Inter cæteros autem plurimum negotii Sabini præbuêre. Sed cum his, visceribus urbis inhærentibus, pax facta, iis legibus, ut Sabinis ad Romanos transeuntibus, illorum Rex Titus Tatius simul cum Romulo imperium haberet. Quare Σιωάρχων Romuli Plutarcho appellatur. Quo imperio licet per annos aliquot continuato, neque Imperium Romanum desiit esse Monarchicum, neque Respub. in Repub. fuit, quod in Reipub. admi-

nistratione est monstrosum. Sed hic cœpit illa vetus Tacito in vita Agricolæ dicta & recepta pridem consuetudo populi Romani, ut inter instrumenta servitutis etiam Reges haberet; magnificis scilicet titulis delinitos.

9. Quinquennio fere sic exacto Tatius occiditur, insidiis Laurentum, dubium an à Romulo subornatis, quorum legatos Romam proficiscentes Tatii familiares & propinqui in itinere spoliaverant. qui gentium jure postulati ad pœnam, nec dediti erant. Rei quippe principes merito censentur, qui reos, violati inprimis gentium juris, neque puniunt ipsi, neque aliis dedunt ad pœnam, cum possint. Sed & id primum in Romanorum historia exemplum est, quo inviolabiles legati meritò censentur, non modo eo in loco, in quo munere funguntur, sed & in via, qua accedunt, quâque revertuntur. quod & eò nos extendimus, ut auctoritate ejus Reipubl., ad quam missi sunt, etiamsi adversus eam conjurasse deprehendantur, haud eos jure puniri posse statuamus.

10. Hæc fere externa. Præcipuum Romuli domi institutum est Senatus. In eum præcipuæ dignationis, & majores annis, centum adlecti. Quem numerum sunt qui nimium arbitrantur; nos eum ut idoneum & instituto Regis convenientem laudamus. Nam & sic plures demereri potuit sibi, quod in novo præsertim imperio necesse: & quæ ex plurium consilio decreta vulgo videntur, facilius

facilius admittuntur. Interim speciem potius auctoritatis, quam vim, Senatui permisit. *Neque enim ad Rempub. gerendam*, inquit Plutarchus, *adhibebantur Senatores, sed nomen modo & speciem honorificam; ac de more potius, quam sententiæ dicendæ caussa cogebantur in Senatum;* Planè idem, quod de Senatu sub primorum Cæsarum imperio passim prodit Tacitus, cum illi ὄνομα καὶ σχῆμα ἦν μόνον, hoc est, ut ipse loquitur, magnifica verbis omnia, sed re inania tantum mansere. Neque tamen Romulus, ut Cæsares, in eo peccavit. Non enim alia arrogare sibi jure poterat Senatus, quam ab illo, à quo erat institutus, acceperat.

II. Ægrè tamen hæc ferre Senatores. Quare cum post annos imperii XXXVII, vitæ LV. ut auctor est Dionysius, apud Capreæ paludem videri desiisset, conspiratione patrum necatum eum plerique tradidere. Cui narrationi quidem si habenda sit fides, quin id iniquissimum factum fuerit Senatorum, dubitari haud debet. Neque enim, tyrannidem exercuisse Romulum, colligere est. Ferocius quidem ei tribuitur ingenium. Sed ferenda sunt Principum ingenia; optimi votis exposcendi, qualescunque tolerandi; neque Rebuspubl. usui sunt crebræ Principum mutationes. Quæ monita apud Tacitum passim leguntur.

CAPUT II.

DE NUMÆ PRINCIPATU.

1. Romuli excessum inter & initia Imperii Numæ, unius anni Interregnum Romæ fuit; quod *Regni intervallum* eleganter vocat Livius, & Romanarum rerum Græci Scriptores μεσοβασιλείαν interpretantur. Centenarius Patrum aut Senatorum numerus in decem decurias divisus est. Ex singulis decuriis singuli delecti, qui summæ rerum præessent, & imperium sociarent, quod quinque dierum spatio finiretur. Ita decem simul imperitabant, ex quibus unus tantum cum insignibus imperii & lictoribus erat. Ac si per omnes in orbem ibat suprema potestas. Hæc ex Livio colliguntur. Plutarchus auctor est, in singulos Patrum supremum imperium vicissim fuisse collatum, quod post horas sex exactas terminaretur. At Livii narratio rationi magis convenit, ac idcirco verior nobis videtur. Major quippe eorum auctoritas esse potuit, qui per dies quinque præerant, quam istorum, qui sex horarum imperium adepti, iis elapsis, privatorum loco habebantur. Cæterum, cum toto simul Senatu sociatum imperium, dum de eligendo Rege agitur, tutius prudentiusque futurum fuisse nobis videtur.

2. Sed

2. Sed superstiti Romulo de successore diligendo imprimis cura esse debuerat. Quæ fere semper cautioribus Principibus: maxime Augusto, fuit; qui vivus videnſque nepotes suos, aliosque, in certam spem imperii adoptavit, non tantum quo ipse, sed etiam ut Reipub. pluribus certioribusque, sicut Tacitus Annal. 1. loquitur, munimentis inniteretur. Neque enim Reges modo, sed & regna ipsa sic tutiora redduntur. At in interregno vix idonea satis imperitantium auctoritas, & prope vacuum imperium est; quod ab ambitiosis & deterioribus facilè occupatur.

3. Verum inter hæc fremere plebes Romana; centum dominos & toties mutandos nolle; quorundam superbius imperium interpretari: denique unum Regem velle. Igitur Patres, qui servare sibi imperium maluerant, urgente multitudine, cujus totius consensui impares sunt, & imprudenter se opponunt supremi magistratus, decernunt, qui Romæ regnaret. Is erat Numa Pompilius, qui haud sequutus Sabinos, Romam cum Tatio migrantes, Curibus Sabinis habitabat; *omnis divini atque humani juris consultissimus*, ut Livius; φύσει πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν εὖ κεκραμένος τὸ ἦθος. *naturâ ad omnem virtutem temperato animo instructus*; ut Plutarchus loquuntur. quare merito creditum, ejusdem imperii æquabili jure & Romanos, & junctos iis Sabinos eum complexurum. Quæ naturæ bonitas

nitas, & virtutes, sapientiæ maximæ studiis acquisitæ. quanto inventu sunt rariores, tanto magis cavendum est à Romanorum, Regem sibi exterum adsciscentium, exemplo. Et, licet peregrini creditas sibi Respub. nonnunquam bene habuisse legantur, prudentissimum tamen æquissimumque est illarum gentium institutum, quæ ut ad obsequii gloriam admittunt peregrinos, ita eosdem æternis, nec mutandis, legibus arcent à Reipub. administratione. Sunt enim his minores plerumque in eam caritates.

4. At cum hac tempestate plurimis involutus bellis esset Populus Romanus, & Numa militiæ inexpertus, ac ab eâ aversus, pacis tantum studia coluisset, erunt forte, qui prudentiam eorum desiderabunt, à quibus princeps φιλοπόλεμος & bello innutritus vocari potius ad regnum debuerit. Nos tamen optimo consilio huic potius oblatum tunc imperium censemus.

5. Ergo missi ad eum legati, qui Senatus ac populi, imperium offerentium, desideria exponunt. Tum ille, malle se privatum vivere, respondit. gnarus, scilicet, grave & subjectum fortunæ esse cuncta regendi onus. Et certè facilius tutiusque est obsequi, quam imperare. Neque tamen propterea vacua relinquenda sunt imperia. At aliud hic jus in civem est, aliud in peregrinum. Civis jure cogi potest ad gerendum magistratum; quia magistratum gerere, inter necessaria munia est.

eſt. Unde apparet illarum inter nonnullas gentes legum æquitas, quæ jubent, ut exilio Rempub. mutet, qui contumaciter abnuit gerere injunctam imperii dignitatem. Peregrinus verò cogi haud poteſt. Itaque Numam ſuadendo aggreſſi Romam tandem ſibi Regem impetravêre.

6. Is initia imperii, amotis cohortibus armatis, quæ Celerum dicebantur, quibuſque, ob ſecuritatem majorem, Romulus ſeſe circumſepſerat, commendare conatus eſt. His quippe ad cuſtodiam aſſumptis, inſigne populi odium in Romulum erupiſſe conſtabat. Neque tamen propterea Numæ hoc conſilium probandum eſt. Quanquam enim, ut in Panegyrico diſſerit Plinius, fidiſſima ſit cuſtodia, Principis ipſius innocentia; ſitque hæc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere; ab optimis tamen Principibus armati corporum cuſtodes optimo ac neceſſario conſilio aſſumuntur.

7. Sapientiæ aut Philoſophiæ ſtudia ac præcepta ad curam imperii cautè ac feliciter eum contuliſſe, omnium auctorum conſenſu celebratum eſt. Non tamen magiſtratibus ad ſapientiæ ſummam ἀκρίβειαν omnia imperanda aut exigenda ſunt. Neque enim iſtam mores hominum patiuntur. Ac noxia Reipub. eſt illa ſapientia, ex qua non tenetur modus; quamque *intempeſtivam* eleganter Tacitus Hiſtor. III. ubi de Muſonio Rufo,

Rufo, appellavit. Ergo ex Politicæ Philosophiæ præscripto non jubendum est, quidquid tantum ratio, sed quidquid ratio simul & Respub. probat.

8. At,cum inclyta esset religio viri, omnis Deorum cultus, cum Sacerdotiis, institutus ac distinctus, omnium ejus operum pulcherrimum & maximè necessarium fuit. Ea quippe, quæ magistratus subditis, & hi vicissim illis debent, non alia ratione aut sanctiora fiunt, aut promptius possunt obtineri, quam si supremam alicujus numinis potestatem, illâ supremorum magistratuum majorem, agnoscant & imperantes & obsequentes. cujus, scilicet, jussu ac nutu credantur imperia constitui, everti, conservari: quodque gravissimis pœnis eos persequuturum certo sit, qui aut male gesturi sunt imperium, aut debitum obsequium detrectaturi; ac denique ex quo ingentia illi præmia haud dubie exspectent, qui acceptam in civili illa societate personam sanctè integreque sunt gesturi. Unde liquet claretque, vinculum Reipub. adeo necessarium esse religionem, ut præstet falsam in eâ esse & coli, quam nullam. Et simulatus ille Numæ cum Ægeriâ congressus, & ancilia cœlo delapsa, & æterni isti tantâque solicitudine semper custoditi Vestæ ignes, aliaque ejusmodi figmenta aut instituta, ut reapse vana sunt, stolida, &, si mollius accipias, miseranda, ita inter præcipua continendi istius imperii instrumenta fuêre.

9. Cultu

9. Cultu Deorum ac veneratione Romanis persuasa, primus in Rempub. invexit morem concipiendorum per numen juramentorum, quibus, ubi id necesse, uniuscujusque fides magis adstringeretur, eliceretur & probaretur; licito & ad temperandam societatem civilem necessario inprimis instituto.

10. Fecialium origo & jus ad eumdem auctorem refertur. Horum erat, si quæ populo Romano injuriæ essent illatæ, apud eos, qui intulerant, queri, & res ablatas repetere, & justa alia omnia erigere; ac, his demum negatis, bellum denunciare. Quod juri gentium convenientissimum fuit, quo placet, ut non gerantur bella, nisi indicta; nec indicantur, nisi cum pacatis & mitioribus consiliis alia omnia nequidquam sunt tentata. Neque enim caussa belli justa est, nisi etiam sit necessaria.

11. Cæterum eo imperitante Romani bella gessisse haud leguntur. Adeo ille pacis studiis non modo imbuerat animos suorum; sed vicinarum quoque gentium sibi amorem conciliaverat. Non igitur auctum sub illo imperium, sed magis confirmatum est. *Eo,* inquit Florus de Numa, *ferocem populum redegit, ut quod vi & injuria occupaverat imperium, religione atque justitia gubernaret.* Quod venustissimi Scriptoris verum de Numa, iniquum de Romulo judicium est. Neque enim injuria Populus Romanus imperium occupavit; neque injusta illa bella sunt, quæ regnante Romulo

Romulo gessit. Verum quidem est, nulla bella sine iniquitate aliqua posse administrari; at ex eo colligere, injusta esse, plane fuerit absurdum. Et de Numa quidem nunc ista suffecerint; qui exactis imperii annis XLIII. magno sui desiderio relicto, finem vivendi creditur fecisse.

CAPUT III.

DE TULLI HOSTILII PRINCIPATU.

1. NUmam Tullus Hostilius, sed ingenio dissimili, bellator, & ipso ferocior Romulo, in imperio excepit. qui civitatem Romanam, ne dulcedine inertiæ soloque religionis studio torpesceret, ex pacata eam fecit, quam φλεγμαίνουσαν πόλιν, sive æstuantem, Plato appellavit.

2. Itaque exercere domi juventutem, &, quanquam nullo adhuc hoste, belli artes docere princeps ei cura fuit. Unde mos per multa dehinc sæcula optimo consilio observatus ad posteros abiit campestrium meditationum; quibus, in altissimâ etiam pace, ad armorum tractationem, & omnia militiæ munia, idonea civium manus imbuebatur. Pax quippe sicut sanctè observanda est, tanquam semper mansura; ita castrensibus studiis exercenda.

cenda eſt, velut quæ facile & brevi in bellum ſit exitura. Nam experiendo ſemper cognitum eſt, nomen pacis inter mortales potius exiſtere, quam uſum.

3. Militarem tum quoque diſciplinam ille condidit, matrem prope unicam & alumnam tot triumphorum Populi Romani. Hujus præcipuæ partes, ordo militiæ, ſua cuique munia præſcripta, ac denique juriſdictionis caſtrenſis rigidiſſimæ leges. Nam adductius ſeveriuſque imperium convenit militaribus ingeniis, quam paganis, aut iis, qui milites non ſunt. Quare ex præſcripto diſciplinæ Romanæ, à Tullo ſancitæ, nonnulla delicta, quæ pagano vel nullam irrogant pœnam, vel leviorem, militi graviſſimam imponunt. Quod & cordatæ omnes gentes ſequuntur; & æquiſſimum eſſe ſtatuimus. Nam, ut M. Cato in fragmentis librorum de Re militari tradit, aliis in rebus errata poſtmodum corrigi poſſunt; in bello autem delicta non accipiunt emendationem; & leviſſimi errores exitii omnium ſunt hîc, aut eſſe poſſunt, cauſſa.

4. His ita domi ordinatis aggreditur Albanos. Cauſſa belli variè traditur. Quod Albanus tum princeps populus magnitudine ſuâ impediret, aut impediturus crederetur incrementa imperii Romani, vero ſimillima nobis videtur. Quæ cauſſa belli quin injuſta ſit, ambigi haud debet. Nec enim perſequi convenit belli pœnâ, quæ omnium maxima jure

jure gentium constituta est, quidquid nobis noxium est, sed tantum quod aliis in nos haud licet. Neque semper iniquum aut illicitum est, sive in publica, sive privata caussa, quod alteri nocet. Ex quo cuique colligere promptum est, plane illaudata esse illa bella, quorum neque caussa alia est, neque alius finis, quam aliarum, sive vicinarum, sive remotiorum, gentium sine ullâ iniquitate noxiam magnitudinem & potentiam impedire ac conturbare.

5. Cæterum cum uterque populus frequentibus præliis utrimque attereretur, & similior victo plerumque victor esset, placuit tandem in compendium mittere atrocissimum bellum, duello trigeminis, inde Horatiis, hinc Curiatiis, permisso. Ante omnia autem pactæ fœderis leges. In quam rem M. Valerius, fetialis, & Sp. Fusius, pater patratus (is, inquit Livius, ad jusjurandum patrandum, id est, sanciendum, fit) legati de lecti sunt à Romanis. Fetialis, priusquam cum Albanis colloqueretur, rogavit Tullum: *Rex, facisne me tu regium nuntium Populi Romani Quiritum? vasa comitesque meos?* Rex respondit; *Facio.* Ita desertim idem Livius. Ergo comites legatorum, eorumque vasa, eadem, qua legati, immunitate ac sanctitate meritò uti censentur. Quod & ex jure gentium observandum est, etiam cum in eo munere defuncti sunt legati.

6. Suprema lex fœderis; Trigemini, pro

sua

sua quisque patria, ferro dimicarent; ibi imperium in alium populum fore, unde victoria fuerit. Ad ista, porco, ut mos erat, saxo silice percusso, ira Deûm in eum populum invocata, qui *dictis legibus prior defexit, publico consilio.* Totidem verbis usi sunt legati. Et ea quidem formula longe est æquissima. Sicut enim culpa universitatis, sive consilio publico contracta, meritò singulis imputatur, & vulgatum illud, *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi*, miseram potius significat, quam iniquam subditorum conditionem; ita è contra singulorum culpa vel non observantium, vel violantium fœderis initi cum alio populo leges, non est imputanda universitati, neque ideo hæc ut rea bello est plectenda. Jure quippe gentium universitas ex consilio tantum publico tenetur.

7 Fœdere percusso, placuit summam imperii in casum dare. Trigemini ergo, sicut convenerat, inter se ferro dimicare jubentur. qui prompti adsunt, cum probe intelligerent, non esse integrum civi, ejusmodi obsequia, quantumvis cum præsentissimo summoque discrimine conjuncta Reipub. denegare. Anceps ibi tum, & magnæ curæ certamen; at fortuna pro Romanis fuit. Cæsis enim Horatii virtute tribus Curiatiis, populus Albanus ditionis Romanæ factus est. Nullum in omni hujus gentis historia exstat magis novum majorisque celebritatis exemplum. Manilius IV. Astron.

Nulla

Nulla acies tunc evicit ; pendebat ab uno,
Roma viro. ——

Ac idcirco, an id duellum licitum, & si licitum, an prudenter satis utriusque populi imperium eventui ejus permissum sit, hic breviter disquirere, haud fuerit absurdum.

8. Duellum, quo tamen nomine nonnunquam quodvis bellum designant Romani, Græcis μονομαχία, est singularis dimicatio ex pacto & condicto, qua duo aut paullo plures inter se committuntur. Est vero aliud publicum, aliud privatum. Privatum est, quod quis alteri dicit ac infert privata auctoritate. Id semper improbum esse, & nullo jure, nullaque ratione tueri se posse, omnino asserimus. Nam ad dirimendas privatorum controversias reperta sunt judicia & leges, quorum auctoritatem pessimo exemplo invadit ac turbat, qui ab alio læsus ad singulare certamen, sive domi, sive militiæ, confugiendum sibi arbitratur. Igitur nulla de caussa, ne quidem, quod nonnullis falso persuasum est, ob læsam graviter existimationem, & tuendi honoris gratia, cuiquam, cujuscunque tandem loci sit & conditionis, id licet. Neque obstat, quod egregia cujusque fama vitæ æquiparetur; & cordato cuique ea non minus quam vita sit defendenda. Publicum duellum nobis dicitur, quo aut ipsi Principes rerum, cum Principibus adversi populi (quod veteribus Gothis multo in usu fuisse legimus) aut eorum jussu privati cum privatis (quomodo

modo Horatii & Curiatii) committuntur, ad controversias, inprimis publicas, bella maxime,, ex eventu terminanda. Id quin plane licitum sit, non dubitamus. Si enim bellum justum sit, perinde justum videri debet, sive duorum, sive plurium manu, sive singulari certamine, sive uno vel pluribus justis præliis, cum expeditione transigatur.

9. Licuisse igitur, agnoscimus. At prudenter fecisse, vel Tullum Hostilium, vel Metium Fuffetium, negamus. Quis enim non damnet eorum temeritatem, qui summam imperii, quam justi etiam prœlii casibus non objiciendam esse recte statuunt cautiores, trium fratrum virtuti ac fortunæ permisere? Nec illos tuetur, quod missum sic in compendium gravissimum bellum, & humano sanguini consultum sit. Neque enim iis rationibus hîc est locus.

10. Sed victoris Horatii gloria statim parricidio fœdata est. *Flentem,* verbà Flori sunt, *spolia circa se sponsi quidem, sed hostis, sororem, viderat. Hunc tam immaturum Virginis amorem ultus est ferro. Citavère leges nefas, sed absolvit virtus parricidam, & facinus intra gloriam fuit.* Neque aliter Livius; *Recens meritum facto obstabat.* Et paullo post; *Absolverum eum Romani admiratione potius virtutis, quam jure caussæ.* Apud eundem pater Horatii pronuntiat, jure eum sororem occidisse. At graviter peccasse eum judicabant Romani; & tamen, ob rem paullo ante adeo præclare

gestam

gestam, absolvêre. Neque sane ab æquitate alienum est, in mitigandis aut remittendis reorum pœnis, prioris eorumdem meriti habere rationem.

11. Fœdus quoque initum cum Albanis haud multo post insigni Metii Fuffetii perfidia ruptum est. Clam quippe Vejentibus ac Fidenatibus ad bellum impulsis, in ipso prælio deserturum se cum suis Romanos, ac in adversam aciem transiturum addixerat. In quo scelere deprehensus sanctissima gentium jura violasse merito judicatus est. Namque standum est fœderi, quamtumvis ipso eventu noxium cognoscatur; neque victis semper licet subtrahere se imperio victoris, & in pristinam libertatem vindicare.

12 Ergo in Metium Fuffetium, ut ruptorem fœderis, discerpto per equos in diversum actos corpore, animadversum est. quod supplicium *imperiosius, quam humanius*, Varro de vita P. R. *exempli parum memoris legum humanarum*, Livius appellavit. quod & nobis videtur. Laudandum potius sequentium Romanorum institutum, de quibus disertim & verè idem Livius, nulli gentium mitiores pœnas placuisse. Et sane in puniendis reis non delicti tantum, sed humanitatis habere oportet rationem.

13 Auctore defectionis sublato cum reliqua Albanorum multitudine clementius, neque imprudenter, actum. Albâ enim dirutâ, principes viri in Senatum adlecti; reliqui

omnes

omnes Romam translati jure civitatis donati sunt. Addit Livius, ad hæc indultum iis, ut patrio ritu sacra Romæ facerent. Neque absurdum est, suæ cuique ac diversæ religionis cultum permittere, modo nihil ea contineat, quod ad subvertendam Rempub. sit comparatum. Ac id institutum Romanis innoxium semper mansit.

14. Dehinc bello provocati Sabini & devicti sunt. qua gloria cum esset auctus Tullus, longinquo morbo implicitus, post annos imperii duos & triginta, vitam cum morte commutavit.

CAPUT IV.

DE

ANCI MARTII PRINCIPATU.

1. SEquitur Ancus Martius, Numæ ex filia Pompilia nepos, ad pacis bellique artes æque promptus. Inprimis vero & paravit auctoritatem sibi & tutatus est eo ingenio, quod *civile* Tacitus Annal. II. appellavit. Quo infimo etiam cuique faciens copiam sui, & popularibus officiis exhibendis intentus, gratissimam multitudini reddidit summæ istam potestatis personam.

Qui enim vim ac decus majestatis hac ratione imminui statuunt aut everti, egregiè falluntur.

2. Carcer ad terrorem increscentis audaciæ media urbe excitatus, Colonia Ostiæ in ipso maris Tiberisque confinio posita, ad totius orbis opes commeatusque recipiendos, murus denique, quo mœnia urbis complexus est, plurimaque alia militaria opera, ut de cæteris jam non dicam, ob quæ *Ædificatoris* ei Florus tribuit cognomentum, contra vim hostilem exstructa, inter prudentiora ejus domi facta censentur. Neque ignavum est adversus externos insultus sic etiam se tueri: & ridiculum omnino Lycurgi institutum, qui, ut auctor Epictetus est apud Stobæum, quo suorum animos magis ad virtutem accenderet, Spartām muris circumdari noluit.

3. Initia imperii ejus Latini turbavere, rupto fœdere, cum Tullo Hostilio inito: ad quod observandum, eo humanis rebus erepto, se non teneri, existimabant. In quo quidem an recte, num vero perperam illi senserint, vix à nobis potest dijudicari, cum modus ejus fœderis ac verba apud Auctores rerum non legantur. Interim haud est dubium, ut fœdera, quorum nullum certum tempus definitum, & perpetua caussa est, transeunt ad successores principum, eosque obstringunt; ita quoque ad ea perpetuo observanda teneri eos populos, quibuscum contracta sunt, licet principe, cum quo disertim conventum

est,

est, exstincto. Si igitur hæc fuerint fœderis cum Tullo, Latinisque percussi verba; POPULUS ROMANUS, POPULUSQUE PRISCUS LATINUS AMICEI SUNTO; statuendum est, Latinos, post excessum Tulli, ab eo fœdere jure non potuisse resilire. Ne quidem, eo fœdere solemni jurejurando ab Anco & Latinis non confirmato aut renovato. Ista quippe confirmatio aut renovatio ad observandi istiusmodi fœderis substantiam haud facit, neque necessario requiritur.

4. Igitur cum ex agro Romano prædas egissent Latini, neque repetitas res reddidissent, bellum iis per fetiales solemniter est indictum. Qua occasione notat Livius, jus fetialium, ac cerimonias ritusque gerendi indicendique belli Ancum descripsisse. Ad Numam tamen horum institutorum initia referunt Plutarchus & Dionysius. Cæterum haud difficile fuerit gravissimos auctores conciliare, si cœpta à Numa Ancum auxisse, ac perfecisse statuamus. Interim operæ pretium erit earum cerimoniarum formulas ex Livio huc adferre, earumque jus ac sanctitatem propius introspicere. Sunt verò earum aliæ, quibus legatum sese esse fetialis probat; aliæ, quibus res ablatas repetit, & rogat ut delictum idonea satisfactione expietur; aliæ, quibus, cum satisfactum non esset, populum Latinum injustum pronunciat: aliæ denique quibus bellum palam ex edicto denuntiat.

5. Priores quod attinet, ubi ad fines Latinorum venit capite velato (filum lanæ velamen erat) AUDI JUPITER, inquit, AUDITE FINES POPULI PRISCI LATINORUM, AUDIAT FAS. EGO SUM PUBLICUS NUNTIUS POPULI ROMANI, JUSTE PIEQUE LEGATUS VENIO, VERBISQUE MEIS FIDES SIT. Ita quidem profonam probat, pro innocentia illorum temporum & fimplicitate. Hodie, quod longe cautius eft, mandata publica, litteris expreffa, oftenduntur. Vocat fe *publicum Nuncium Populi Romani.* jus quippe legatorum mittendorum non competit nifi iis, qui fummi imperii potiüntur; non provincialibus, non municipalibus, non fubditis, non denique iis nationibus, quæ alterius fupra fe imperium agnofcunt. Addit, *fe jufte pieque legatum venire.* Ac fane ita ei apud illos agendum eft, apud quos fungitur legatione. Si tamen aliter ac fraudulenter fe gerat, etiam fi horum reipub. clam infidiatus effe deprehendatur, imo in jus gentium deliquerit, ab his puniri non debet. Si tamen palam vim inferat, poteft jure naturæ atque gentium occidi.

6. Poft hæc, mandata peragit. quæ adeo fancte legatis obfervanda funt, ut, qui aliud, quam in mandatis habent, egerint, aut rem mandatam aliter, quam mandata eft, gefferint; etiam fi res, quas gefferunt, bene ceffferint, earumque reddi poffint aliæ omnes

idoneæ

idoneæ rationes; hi pœnam non debeant evitare. Perniciosissimum enim in Republ. exemplum est, quo publica consilia, religione mandati solutâ, corrumpuntur. Repetit ergo, ut jussum erat, res ablatas; & solemni modo exclamans, Jovem testem facit; SI EGO INJUSTE IMPIEQUE ILLOS HOMINES, ILLASQUE RES DEDIER NUNCIO POPULI ROMANI MIHI EXPOSCO, TUM PATRIÆ COMPOTEM ME NUNQUAM SINAS ESSE. Ergo præter res repetitas, sontes insuper dedi vult ad pœnam. Merito utrumque. Neque enim satis est, reddi iis, qui læsi sunt, sua, nisi justitiæ simul sua, id est, reorum supplicia, offerantur. Quare neque inique fecissent Romani, si plura, quam quæ ablata, à Latinis repetiissent. Atque hinc quoque discere est, ex jure gentium populo in populum, quamlibet summo imperio utentem, esse quasi quandam jurisdictionem, & eo nomine ab hoc obsequium illi deberi. Quod qui eo usque extendunt, ut à Christiano principe infideli populo Christianam religionem imperari, &, ob non admissam, bellum inferri posse statuant, maxime falluntur. Et hactenus Latinos per legatum interpellant Romani. Quæ interpellatio & ex ejusdem juris gentium, & ex prudentiæ præscripto necessaria fuit.

7. At superbè respondent Latini; neque res avectas, neque sontes tradunt; quanquam adeo justa omnia rogarent Romani, ut.

rebus licet traditis, justam idoneamque belli indicendi caussam præferre potuerint, reis simul ad pœnam non deditis. Quare legatus eum populum injustum palam pronuntiat; AUDI JUPITER ET TU JUNO; QUIRINE, DIIQUE OMNES CÆLESTES, VOSQUE TERRESTRES, VOSQUE INFERNI AUDITE. EGO VOS TESTOR, POPULUM PRISCUM LATINORUM INJUSTUM ESSE, NEQUE JUS PERSOLVERE. SED DE ISTIS REBUS IN PATRIA MAJORES NATU CONSULEMUS, QUO PACTO JUS NOSTRUM ADIPISCAMUR. Sancte profecto, pro illius gentis religione, & graviter. Ergo, quanquam caussa belli nunc esset justissima, dicit, consultaturos tamen domi natu majores (id est, Patres. Talibus enim potius Respub. quam junioribus credenda est) an bellum Latinis indicendum sit. Non enim omnia justa bella expediunt Reipub. Nec semper agendum est, quidquid est justum. Atque ut subinde inconsultum est, punire delicta privatorum, ita nonnunquam ratio suadet, delicta gentium belli pœna non esse persequenda.

8. Placuit verò, ut bellum Latinis indiceretur. Quod Romanorum decretum æquissimum prudentissimumque censemus. Fetialis igitur jussus est hastam feratam in fines eorum mittere, & non minus tribus puberibus præsentibus dicere; QUOD POPULI PRISCO-

PRISCORUM LATINORUM, HOMINESQUE PRISCI LATINI ADVERSUS POPULUM ROMANUM QUIRITIUM FECERUNT, DELIQUERUNT, QUOD POPULUS ROMANUS QUIRITIUM BELLUM CUM PRISCIS LATINIS ESSE JUSSIT, SENATUSQUE POPULI ROMANI QUIRITIUM CENSVIT, CONSENSIT, CONSCIVIT, VT BELLVM CVM PRISCIS LATINIS FIERET; OB EAM REM EGO POPVLVSQVE ROMANVS POPVLIS PRISCORVM LATINORVM, HOMINIBVSQVE PRISCIS LATINIS, BELLVM INDICO FACIOQVE. Ita bella indicebantur. Quod juris gentium plane egregium est, & principibus rerum sequendum institutum.

9. Atque id quidem bellum eâ felicitate gestum est, ut Ancus, domitis tandem Latinis, sequutus laudabilem priorum principum morem, eorum omnem multitudinem Romam travexerit.

10. Notat vetus Auctor Libelli de Viris illustribus, eumdem, factis aliquot circa Ostiam salinis, vectigal salis nomine exigere cœpisse. Id omnium antiquissimum, & pene omnes inter gentes receptum invenio. Nec sane iniqua aut illaudata sunt ea vectigalia, quæ rerum ejusmodi, quamvis omnibus necessarium, nomine indicuntur. Neque obstat, quod ea divitibus pauperibusque æque

gravia sint. Hæc ferè Ancus; qui annos quatuor & viginti, magna gloria, Romæ regnavit.

CAPUT V.

DE

TARQUINII PRISCI PRINCIPATU.

1. TArquinius deinde Priscus rex salutatus est, origine quidem Corinthius, sed qui Romanas artes, omnemque imperii disciplinam sub Anco didicisset; adeo ei ob inusitatam dexteritatem ac industriam acceptus, ut in familiaris amicitiæ jura adductus, publicis pariter ac privatis conciliis, bello domique interesset, & per omnia, ut Livius loquitur, expertus, postremo tutor etiam liberis regis testamento institueretur. In qua quidem unius, licet magnitudine virtutis supra cæteros eminentis, usque adeo auctâ potentia haud prudenter satisfecisse Ancum, judicandum est. Tales enim supra cæteros evecti, & sub Principe soli omnibus impositi, cogitant plerumque plus quam civilia, & tandem ipsi principi ac regnatrici domui insidiantur. Cui malo haud aliud validius remedium opponitur, quam gratia principis, & ei proxima potentia, cum pluribus communicata. Sic enim singu-

ſingulorum forte ambitioſæ de invadendo imperio cogitationes à pluribus ejuſdem potentiæ, vel modeſtioribus, vel idem faſtigium concupiſcentibus, impediuntur. Igitur bonis ſimul & cautis principibus, non tantum exoſa eſſe debent vitia eorum, quorum miniſterio utuntur, ſed etiam ſuſpectæ, neque ſupra modum ornandæ virtutes. Omnia enim tuta timenda ſunt.

2. Igitur, poſt exceſſum Anci, cum prope puberem ætatem jam eſſent ejus filii, metueretque ne tandem ipſi ad imperium vocarentur, id indefeſſo ſtudio egit, ut ante juſtam eorum ætatem de creando rege Comitia Romæ haberentur. In his regnum ei oblatum eſt, ingenti multitudinis conſenſu, cujus animos plurimis beneficiis jam pridem ſibi conciliaverat. Qua in re & à Populo Romano, & ab ipſo Priſco atrocem injuriam liberis Anci factam, ex veteribus nonnulli pronunciant. Inter quos Scriptor Virorum illuſtrium; *Priſcus*, inquit, *Anci regis familiaritatem conſequutus eſt: à quo tutor liberis relictus, regnum intercepit, & ita adminiſtravit, quaſi jure adeptus fuiſſet.* At eos omnes ratio fugit. Neque enim filiis Anci eo nomine, quod ex rege eſſent geniti, regnum debebatur. Nam illud Romanum hereditarium non fuit. Ita quidem ſubinde id vocatur Dionyſio: ſed contra hiſtoriæ fidem. Quid enim apertius, quam poſt Romulum omnes hactenus electos fuiſſe? Unde illa

ſolemnia apud Livium, ubi de creatis regibus agit; *Regem populus juſſit: Patres auctores facti.* Et; *Regem populus creavit, Patres fuêre auctores.* Neque obſtat, quod abſolutiſſimo imperio uſi ſint Reges Romani. Qui enim ſtatuunt, omnia illa eſſe ſumma principum imperia, quæ per ſucceſſionem; nunquam verò iſta, quæ per electionem deferuntur; nimium aberrant. Formam enim imperii non afficit aut facit modus, quo ad id pervenitur. Et prudenter, hercle, poſt Romulum exſtinctum electione regnum in eos, quos probarent maxime, Romani contulêre. Hæc enim ſucceſſioni præferenda eſt. Neque regium tantum imperium, ſed & illud Cæſarum apud Romanos, etiam acciſa omni Senatus & Populi auctoritate, per electionem offerebatur. Priſcus igitur & populi juſſu, & Senatus auctoritate, & auſpicato, more denique optimo ad imperium pervenit. Neque in eo peccatum, quod palam illud ambierit. Neque quidquam hic factum, ob quod neglecti officii vel boni tutoris, vel grati hominis in familiam Anci, à quo plurimis affectus erat beneficiis, argui poſſit.

3. Atque id quidem de jure. Sed an prudenter egiſſe cenſendi ſunt Romani, qui, ſobole Anci prætcrita, ad Priſcum vota convertêre? Nobis eorum conſilium probatur; non tam quia impuberes etiamnum erant liberi Anci; quam quia libertati auctoritatique eligentium intutum eſt, ex eâdem continuo

tinuo familia principem Reipubl. dare.

4. Ingenium huic tribuitur, in quo Græcæ atque Italicæ artes essent permixtæ. Domi militiæque sub haud pœnitendo magistro, ipso Anco rege, Romana se jura, Romanos ritus didicisse, ipse apud Livium testatur. Ergo recte imperaturo cognoscenda sunt subditorum ingenia & instituta, quorum in administratione principatus adeo habenda est ratio, ut quædam virtutes vitiorum loco censeri, &, ut noxiæ, postponi debeant, si ab ingenio eorum, qui obsequuntur, sint alienæ. Vonones Parthorum imperio exutus est, quia Romanas verasque principum virtutes ad imperium contulerat. *Prompti aditus, obvia comitas, ignota Parthis virtutes; & quia ipsorum moribus aliena, perinde odium pravis & honestis.* Ita loquitur Tacitus sub initium Annal. 11.

5. Ante omnia Senatum auxit, Patribus centum adjectis. *Senatus*, inquit Florus, *majestatem numero ampliavit.* Cæterum id ejus judicium neque rectum, neque pro Prisci destinatione est. Ego enim arbitror non tam ampliatam hac accessione, quam imminutam esse Senatus auctoritatem. Nam hæc quo cum pluribus communicatur, eo ipso fit minor. Ergo Livium audiamus; *Centum*, dicit ille, *in Patres legit; factio haud dubia regis, cujus beneficio in Curiam venerant.* Sufficiebat; nimirum, prior numerus Senatui & Reipub. sed non Principi. qui cum non

nesciret, se esse transmarinæ originis; priores Senatores aliorum beneficio in curiam adlectos; tantoque se, absentem imprimis ab urbe, & in bello occupatum, adversus insidias, maxime filiorum Anci, futurum securiorem, si verè suos, suaque auctoritate ad eam dignitatem evectos, tantoque magis sibi obstrictos in Senatu haberet, hunc numerum priori adjiciendum prudenter judicavit. Neque in eo consilio quidquam improbandum nobis videtur; etiamsi auctus eamdem dignitatem gerentium ordo commissæ curæ molem ac magnitudinem longè excedat. Et haud aliter Augustus, ac Cæsares alii, ampliasse magistratuum numerum passim leguntur.

6. Circo idem descripsit domi locum; in quo ludi, postea solennes annui facti, & Magni aut Románi dicti, pugilibus commissis, ederentur; utili Principibus, Magistratibus, civibus, toti denique isti Reipub. instituto.

7. Auspiciis quoque auctoritatem, ab Accio Navio, eorum, ut tradunt, peritissimo in ea superstitione confirmatus. Unde mos posteris mansit, nihil nisi auspicato, publicè inprimis, consulendi & audendi. In quo ut omnia vana, ita ipsa illa, inani credulitate aucta, id imperium habentibus nonnunquam plurimum ad extorquendum promptius obsequium profuêre. Neque enim veris modo, divinâ auctoritate confirmatis, sed etiam falsis, ejus speciem mentientibus, mortalium animi impensè capiuntur.

8. Inter

8. Inter hæc bellum Sabinum exarſit; adeo repente, ut poſt dubiam primo victoriam, haud pares futuri fuerint Romani, niſi Sabinis in caſtra copiis imprudenter contrahentibus, datum iſtis ſpatium ad comparandum de integro bellum fuiſſet. Quo factum eſt, ut equeſtrem manum Tarquinius augeret, eaque inſtructus Sabinos compelleret, ut, perditis jam prope rebus, pacem peterent, quam & obtinuêre. In quo imprudentiæ arceſſendi ſunt Romani. Neque enim ſemper cum hoſtibus ineunda pax eſt, licet petentibus. Nec obſtat, quod nullum juſtum bellum ſit, niſi quod pro fine pacem habet. Quippe in ea indulgenda haud modo conſiderandum, quid ex re hoſtium & voto ſit, ſed vero vel maxime, quid expediat nobis.

9. Tum & Collatini Romanis ſeſe hac formula dedidêre. *Eſtiſne vos legati, oratoreſque miſſi à populo Collatino, ut vos populumque Collatinum dederetis? Sumus. Eſtne populus Collatinus in ſuâ poteſtate? Eſt. Deditiſne vos, populumque Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utenſilia, divina, humanaque omnia in meam, populique Romani ditionem? Dedimus. Et ego recipio.* Neque enim deditio eſt, ſine acceptione. Licet autem vitam ſalvam hic diſertim non paciſcantur Collatini, ſalva tamen iis manere debuit ſub Romanis, & manſit. Æquitas enim vult iis etiam parci, qui ſine conditionibus ſe victori dedunt aut ſupplices fiunt. Neq; victori licet repudiare

aut

aut non admittere ejuſcemodi deditiones.

10. Dehinc Etruſci domiti. à quibus Priſcus ea omna majorum magiſtratuum & ducum ornamenta mutuatus eſt, quibus externa ſpecies dignitatis imperii eminet, & conſervatur. In quo haud imprudenter eum feciſſe cenſcendum eſt. Ut enim magiſtratus præ cæteris agnoſci debent & æſtimari, ita convenit cultu & pompa eos ab aliis diſtingui. Et externis illis inprimis capitur, plurimumque tribuit vulgus.

11. Hinc faſces & ſecures, quæ majoribus magiſtratibus à lictoribus præferebantur. quæ inſignia imprudenter uſurpata quidam ſtatuunt, cum eorum aſpectus non niſi terrorem multitudini inferre, & invidiam magiſtratibus conciliare potuerit. Nobis tamen illa, licet pœnas tantum minitantia, probantur. Nec enim niſi facinoroſos terruêre. Inde quoque, phaleræ, haſtæ puræ, coronæ, aliaque præmia, quibus eximia quæque militaris virtus ornabatur. quæ cum ex viliori plerumque & nullius pretii materia, ut quercus foliis, aliiſque ejuſmodi quiſquiliis conſtarent, ſunt qui ea ut ridicula, vana, & aut æſtimandis magnis virtutibus, aut eliciendis, nequaquam ſufficientia reprehendunt. Nobis nihilominus ea verè magnifica, & ex illius juſtitiæ, quæ in diſtributione præmiorum verſatur, præſcripto, illuſtribus meritis adæquata fuiſſe videntur. Habent enim præmia aliunde, quam ex materia, dignationem,

Deni-

Denique ab iisdem Etruscis tum quoque accepta pompa, sive, ut in Romulo Plutarchus loquitur, ὄγκ@- triumphorum. quæ ipsa ut non est illaudabilis, ita statuendum est imprudenter fecisse Romanos, qui militiæ ipsos duces, post devictos hostes, tam superbo honore affecêre. Namque id principibus ac Reipub. plane intutum fuit. Quare & tandem Cæsares eum morem optimo consilio mutavêre. Illud interim recte, quod ob bellum civile confectum nunquam triumphus decerneretur. His ita feliciter gestis, Priscus insidiis liberorum Anci circumventus, & securi in ipsa regia percussus est; anno ferme imperii duodequadragesimo.

CAPUT VI.

DE

SERVII TULLII PRINCIPATU.

1. Tandem servilis ille conditionis Tullius regio se impositum fastigio vidit. Matre enim captâ, quod plerique tradunt, genitus est; recepto inter gentes tum optimo, neque iniquo, more, ut non capti modo, sed & eorum posteri servirent. At supra istam fortunam ingenium ei ac virtus fuit, & utriusque magnitudinem Tarquinio Prisco,

Prisco, in cujus familia erat, ita jam tum à parvulo approbavit, ut inter Patritios primo receptus, dein regiæ filiæ matrimonio æstimatus, tandem socero Martiorum fratrum scelere interempto, auctoritate primo Senatus, deinde etiam, post Vejentinum bellum rarâ felicitate confectum, populi jussu, ad Romanæ gentis sceptra admoveretur. Quanto autem vilior ei fuit sors nascendi, tanto virtutis hujusque tam excelsæ ejus fortunæ magis celebrata est inter omnes claritudo. Et profectò ita statuendum est, longe esse difficilius, ex humillimis & ab omni fortunæ præsidio destitutis initiis, quam magnis clarisque ad maxima adsurgere.

2. Neque tamen imperia iis, qui contemptæ originis sunt viliorisque conditionis, licet cætera dignissimis, facile permittenda sunt. Quippe ad conservandam & pacem publicam & dignitatem plurimum facit observatus fortunæ ordo, quo, si simul boni sint, origine nobiles ignobilibus, antiqui novis, divites pauperibus regundis meritò imponuntur. Neque aliud vel magis deturpavit vel invisius reddidit Tiberii, Claudii, aliorumque Cæsarum imperium, quam quod, clarissimis quibusque viris postpositis, publicas dignitates servis libertisque mandaverint.

3. Inprimis autem Servius Tullius pietati in socerum satisfecit, actis in exilium filiis Anci, quos cædis ejus auctores esse constabat. In quo tamen eum prudentia defecit. Ejus enim

enim loci magnatibus non esse exilia indicenda judicamus.

4. Dehinc consilia omnia eo convertit, ut populo placeret; primusque omnium regum condidit leges, quibus partem imperii cum populo communicavit; iisque observandis non se modo, sed & sequuturos reges obstrinxit. Atque his ut mirum in modum aucta est libertas populi ac potestas, inprimis autem in creandis magistratibus, in condendis legibus aut abrogandis, ac bello indicendo, & ineunda pace; auctoritati regum plurimum decessit. Mansit nihilominus regium imperium; neque mixta hæc Reipub. forma dicenda est. Huc faciunt illa Taciti Annal. III. ubi aperit originem legum; *Præcipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, queis etiam reges obtemperarent.* Ergo summa principum potestas non est soluta omnibus legibus, quas ipsa tulit; & eidem licet se ipsam imminuere ac coarctare, & sic libertatem populi augere; ac denique non integrum est successoribus ejusmodi leges, licet auctoritati principum per eas plurimum detractum sit, infringere aut abrogare. Quis interea Servii imprudentiam hic quoque non arguerit, qui quo regiam dignitatem populo redderet gratiorem, ejus auctoritati tantum ademit?

5. Idem præcipuus ex regibus juris Romanorum civilis auctor celebratur, factis legibus de injuriis, commerciis, contractibus, aliisque, de quibus

quibus natæ lites regum arbitrio hactenus decidebantur. At melius tutiusque est, certis, promulgatis, scriptisque legibus, quam principum, aut datorum ab iis judicum arbitrio permittere caussas privatorum. Neque sine illis ulla Resqub. potest constare. Jus autem civile est, quod uniuscujusque populi proprium est, ut hoc Romani. Ejus fundamentum est non simplex ratio, sed cum hujus gentis indole, inclinatione, moribus, & utilitate comparata. Si enim simplex ratio id jus constitueret, gentium esset, non civile. Eo plurima illicita esse statuuntur & puniuntur, quæ alibi impune & merito licent; crimina fiunt, quæ, extra id jus, non sunt; denique actiones multas excludit, quas simplex ratio ut validas admittit; neque tamen est iniquum.

6. Sequitur non minus ardua, quam omni ex parte laudatissima, distributio populi Romani. quæ, post actum diligentissime censum, quo capita civium omnium numerata, & bona æstimata sunt, pro diversa opum uniuscujusque, & ætatis, & artium officiorumque ratione instituta. *A Servio Tullio*, inquit Florus, *populus Romanus in censum relatus, digestus in classes, curiis atque collegiis distributus, summâque regis sollertia ita est ordinata Respub. ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur: ac sic maxima civitas minima domus diligentia* conti-

contineretur. In eo militaris ordinis exemplum regem sequutum crediderim; quo omni castrensium multitudine in legiones, cohortes, manipulos, centurias distributâ, facilius in omnes imperium derivatur. Formam omnem distributionis istius in classes & centurias Livius ac Dionysius diligenter tradidêre; qui tamen in numero centuriarum nonnihil inter se dissentiunt. Nos eos sequuti, quo lucem aliquam majorem huic instituto fœneraremur, sequentem tabellam confecimus, & hic exhibemus.

CLAS-

Populus in sex classes pro diversitate opum distributus est, & classes singulæ in Centurias; & harum aliæ Seniorum, aliæ Juniorum.

CLASSES CIVIUM.	CENSUS CLASS.	CENTURIÆ CLASS.
I. *ditissimorum*	C ∞	LXXX. *Senior.* XL. *Junior.* XL. *His additæ* XVIII. *Equitum, & Fabrûm insuper duæ.*
II. *ditiorum*	LXXV ∞	XX. *Senior.* X. *Junior.* X.
III. *divitum*	L ∞	XX. *Senior.* X. *Junior.* X.
IV. *mediocrium*	XX ∞	XX. *Senior.* X. *Junior.* X. *His additæ duæ tibicinum, ut vult Dionysius.*
V. *modiocrum,*	XI ∞	XXX. *Senior.* XV. *Junior.* XV.
VI. *tenuissimorum*	XI ∞ *æris minor.*	I. *Hæc immunis erat à militia & tributis, ad quæ priorum Classium Centuriæ tenebantur.*

Cen-

Centuriæ igitur cxciii. fuêre. At supra fidem alicui possit videri, cum pauci fuerint ditissimi, plures mediocris fortunæ, plurimi autem tenuissimæ, ac proinde horum tanta multitudo in plures centurias, quam ditissimorum illud modicum corpus, dipesci potuerit, ditissimorum tamen hic plures, quam cæterorum Centurias recenseri. Verùm Centuriæ singulæ ditiorum ex multo minori civium numero constitere, quam illæ hominum inferioris conditionis. Caussa verò hujus instituti non una fuit.

7. Prima, ut in ferendis suffragiis de Rep. ditissimi reliquos superarent. Cum enim in Comitiis centuriatis singularum Centuriarum singula valerent suffragia, & ditissimorum, illis Equitum & Fabrûm additis, Centuriæ essent C. ac idcirco tot suffragia, quivis videt adversus horum consensum nihil potuisse reliquas classes, utpote quarum Centuriæ conjunctæ non essent nisi numero xciii. nec nisi totidem vota conficerent. Quod consilium ipsa ratio probat. Cum enim credibile sit boni publici magis futuros studiosos, qui eo amisso jacturam facturi sunt privatarum opum, ditioribus potius, quam his, qui minoris fortunæ, cura Reipub. mandanda est. Quare & optima ratione sequuti post Romani ad Senatoriam dignitatem haud alios evexêre, quam qui definitum legibus amplissimum censum possiderent. Neque laudandum Romuli institutum, qui cum curiatim suffragia populi eliceret, hoc egit, ut

in

in Comitiis pauperes plus possent, quam locupletes.

8. Altera, ut tributorum onera maxime in ditissimos inclinarentur. Finge, à singulis Centuriis duo æris millia fuisse exacta, & invenies, solos ditissimos, paucos numero, sed in plurimas Centurias distributos, ducenta millia contulisse, cæteris omnibus classibus centuriisque earum conjunctis non nisi centum millia octoginta & quatuor præstantibus. Cum enim plus commodi ex Republ. reportet, qui plura possidet, plura, quam alii, quorum res modicæ, isti debet. Neque interim iniqua, aut non recepta Romanis, ejusmodi vectigalia, quæ divitibus pauperibusque sine discrimine, æque gravia indicuntur.

9. Tertia, ut militiæ gerendæ onus in ditissimos inprimis derivaretur. Pone, ex singulis Centuriis juniorum sub signa vocatos milites quinquaginta, & videbis, pene omnes ditissimos simul in castra fuisse evocatos, cum credibile sit eorum Centurias non multo plures, quam quinquaginta viros fuisse complexas. Reliquarum verò Classium Centuriis plus quietis, & facile fuit quinquaginta mittere in expeditionem, cum singulæ aliquot centenis aut millenis civibus constarent. Quam autem ea res ardua ac sumptuosa fuerit, vel ex solo eo colligere est, quod civibus in bellum ire jussis nulla tum stipendia persolverentur. In quo tamen non inique

cum

cum suis egisse Romanos censendum est.

10. Ut à laboribus militiæ Classis sexta civium tenuissimæ fortunæ immunis haberetur, non ideo modo placuit, quod sine stipendiis in hostem hi haud potuerint educi; sed etiam quod consultissimum sit, infimam illam multitudinem ab usu armorum abstinere. Neque obstat quod ad tolerandos militiæ labores & subeunda pericula aptissima sit. Nec minus laudandum, quod domestico milite, quam externo, & nunc, & deinceps, uti maluerint Romani.

11. Orborum, viduarumque fortunas à censu tum exclusas, nec earum nomine tributa exacta fuisse, ex Livio manifestum est. Cujus singularis favoris beneficium nulli idoneæ rationi inniti existimamus. At in eo consilio, quo jure civium donandos libertos Servius censuit, nihil improbandum est.

12. Tradit Plinius lib. XXXIII. cap. III. eundem æs primum signasse. Nam adeo ejus rei jus competit supremæ potestati, ut ipsa ratio dictet, capitali supplicio eos etiam privatos esse afficiendos, à quibus omni ex parte, substantia, pondere, forma, scriptura, circulo, signo, vera & justa moneta excusa est ac signata. Tandem, exactis imperii annis quadraginta & quatuor, dum Tarquinio, genero suo, quem ob solas suspiciones affectati imperii, ut reum majestatis aggredi merito debuerat, nimium fidit, ejusdem scelere occisus est.

CAPUT

CAPUT VII.

DE

L. Tarquinii Superbi PRINCIPATU.

1. INtererat nunc Populi Romani, ut L. Tarquinius, Prisci nepos, rapto per scelus imperio, jugulum ipsum ac vitalia peteret adeo à Servio auctæ libertatis; quo hæc post ejectos Reges, tanto major illustriorque exurgeret. Superbi cognomen sua illi scelera & odium publicum fecêre. Ob insepultum cadaver soceri, objectum, ita dictum tradit Livius. Sed quanto gravius Latinus Pacatus in Panegyrico ad Theodosium Imperatorem? *Arrogantiæ quidem* (inquit) *ita majores nostros semper pertæsum est, ut graviorem semper putaverint servitute contemptum, ejusque impatientia sint coacti, post bellatores Tullos, Numasque sacrificos, & Romulos conditores, regnum usque ad nomen odisse. Denique ipsum Tarquinium execratione postrema hoc damnaverunt maledicto; & hominem libidine præcipitem, avaritia cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem vocaverunt Superbum, & putaverunt sufficere convitium.* Unicum ergo Superbi vocabulum quovis flagitio contaminatum principem designat.

2. Ne-

2. Neque tamen militarem virtutem ac gloriam foris ei defuiſſe, bellum cum Volſcis feliciter geſtum, pax cum Æquis facta, & cum Thuſcis fœdus renovatum, aliaque oſtendunt. Gabios etiam, ſed fraude, ſuperavit. Sextum quippe filium transfugam ſimulare juſſit, velut à paterni imperii ſuperbia ſibi ac crudelitate metuentem. Habent ei fidem Gabii; militaribuſque ſtatim copiis contra Romanos imprudenter imponunt; ignari transfugia eſſe debere ſuſpecta, & ſuorum deſertores aut omnino non occupandos eſſe in publicis negotiis, aut occupandos in iis, in quibus prodeſſe quidem poſſint, non verò, ſi forte velint, nocere. Sextus igitur ſummam potentiam ita indeptus, conciliare ſibi plebem, & tollere è medio proceres, quoſdam in exilium agere, alios bonis ſpoliare; donec orba, ut Livius loquitur, auxilio conſilioque Gabina res Regi Romano ſine ulla dimicatione in manus traderetur. Dolum mentiti transfugii Tarquinio licuiſſe exiſtimamus.

3. Inde ex captivo ære Capitolium, quod Priſcus voverat, exſtruere aggreſſus eſt. Ita Livius. Fundamenta tamen ejus jeciſſe Priſcum, & nonnulla adjecta à Servio, ſed Superbum plurimum ad id contuliſſe, Tacitus auctor eſt Hiſtor. III. *Voverat Capitolium Tarquinius Priſcus, bello Sabino, jeceratque fundamenta, ſpe magis futuræ magnitudinis, quam quod modica adhuc Pop. Rom. res ſufficerent;*

V mox

mox Servius Tullius, sociorum studio; deinde Tarquinius Superbus, captâ Suessa Pometiâ, hostium spoliis exstruxere. Sed gloria operis libertati reservata. Quidquid sit, nobis mores tyrannorum propius inspicientibus haud est dubium, quin religionis ac augustissimi templi prætextu, excitaverit arcem & in præsidium laboranti sibi, & ut ea inexpugnabilis sedes servitutis Romanæ esset. Neque tamen arguendi principes, qui ejusmodi munimenta exstruunt non pro servitute obsequentium sed imperii securitate.

4. In eo autem opere, aliisque fabrorum fossorumque ministeriis (nam foros in circo, Cloacamque Maximam, quâ totius urbis purgamenta reciperentur, insuper fieri tum jussit) inclementer plebem exercuit, ejusque animos haud dubie in se irritavit; neglectis eorum callidis artibus, qui, quo securius in proceres grassentur, reliquæ multitudinis gratiam sibi captandam arbitrantur. Nam cædibus, exilio, multatione bonorum in Patrum præcipuos jam tum ab initio ita sævierat, ut neque prior numerus, neque ulla auctoritas Senatorio ordini maneret. Scelere namque parta imperia non nisi scelere licet tueri. Sed Livium audiamus, faciem ac ordinem omnem lanienæ istius publicæ paucissimis aperientem; *Tarquinio*, inquit, *in caritate civium nihil spei reponenti metu regnum tutandum erat; quem ut pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum, sine consiliis, per se solus exerce-*

exercebat: perque eam caussam occidere, in exilium agere, bonis multare poterat, non suspectos modo & invisos, sed unde nihil aliud quam prædam sperare posset. Neque nunc alia in medium adferre necesse est, cum sola ejusmodi judicia, contra leges & rationem omnem exercita, exquisitissimam atque intolerandam Tarquinii tyrannidem fuisse, abunde probent. Quod ipsum Neronem quoque sub initium imperii sensisse, constat ex præclara illa ejus oratione, quæ exstat apud Tacitum sub initium Annal. XIII. qua formam futuri principatus præscribens, & ea maxime declinans, quorum recens invidia flagrabat; *Non se*, inquit, *negotiorum omnium judicem fore; ut clausis unam intra domum accusatoribus & reis paucorum potentia grassaretur. Nihil in penatibus suis venale, aut ambitioni pervium; discretam domum & Rempub.* Et sane capitalia supplicia, licet merito irrogata, bonos etiam principes tyrannidis reddunt suspectos, si ea soli ipsi indicant; si clam sumant; si denique populo non aperiant legitimas eorum rationes. At tyrannorum interest, ut eas tegant, & ad earum cognitionem alios non admittant, quia pro crimine habent innocentiam, & solam aliorum virtutis ac fortunæ magnitudinem evertendam arbitrantur.

5. Ea autem tam atroci tempestate Junium Brutum prudentissimum virum fuisse invenio; qui, cum maximos quosque & sapien-

tissimos, & libertatem laudantes proceres non nisi ultima supplicia manerent, stultitiam simulavit, ac ita se gessit, ut, omissâ inopportunâ jactatione libertatis, & sapientiæ, quæ in eo summa erat, ostentatione, servaverit sese commodioribus temporibus, quibus ab infami tyrannide Remp. liberaret. Peccant, & aliis tantum nocent ac sibi, qui sub iniquissimo principum imperio crepant semper & loquuntur libertatem, quales merito passim arguit Tacitus. Sicut enim mala facienda non sunt, ex quibus eveniant bona; ita quoque bona facienda non sunt, ex quibus non nisi mala possint exspectari.

6. Ad Superbi tot infanda scelera tandem accessit filiorum ejus, Sexti inprimis, fœdissima libido; quâ ferro armatâ & terrore, Lucretiæ, conjugis Collatini, contumax pudicitia violata est. Matrona quidem contumeliæ impatiens sese ferro interemit; & quantum incomparabili castimoniæ studio gloriæ promeruit, tantum spontaneâ & ignavâ morte amisit. Nam neque concessa est αὐτοχειρία, quanquam tantopere Stoicis laudata, neque quidquam in ea est generosum. Vide hac de re accurate disputantem Augustinum lib. 1. de Civit. Dei, cap. XIX. *Si ad vestrum judicium*, inquit, *Leges judicesque Romani, deferret quisquam hoc crimen, non solum indemnatam, verum etiam castam & innocentem interfectam esse mulierem; nonne eum qui id fecisset, severitate congruâ plecteretis;*

retis? Hoc fecit illa Lucretia, illa sic prædicata Lucretia innocentem, castam, vim perpessam Lucretiam insuper interemit? Proferte sententiam. Cur interfectricem innocentis & castæ tantâ prædicatione laudatis? Verum Brutus, cum ad regnum expugnandum omnia nunc opportuna esse haud temere judicaret, corpore Lucretiæ in forum delato, & Superbo ejusque filiis liberrimâ oratione accusatis, incensam multitudinem perpulit, ut imperium regi abrogaret, eumque cum conjuge ac liberis juberet exulare.

7. Cæterum an licuerit Pop. Rom. Tarquinium imperio exuere, nunc quærendum est. Neque dubium hac de re erit judicium, si paullo altius quædam huc facientia, sed tamen breviter, inspiciamus. Certe haud ambigitur, quin, si quæ alia, subditis sancta atque inviolabilis esse debeat suprema illa imperantium potestas; sicut & in confesso est, eamdem obnoxiam esse imperio rationis, que jubet ut nihil ab eâ nisi quod æquum est in subditos statuatur. Nihilominus tamen si ea principes abutantur, & grave sit eorum imperium, obsequium iis deferendum est; imo etiamsi divinis, naturæ & gentium legibus adversa quædam præscribant, non quidem parendum iis est, sed neque ideo statim potestate exuendi sunt; imo si in singulorum aliquot civium exitium ferantur, non idcirco omnibus licet vi iis se opponere. Sola patientia & divinâ auctoritate, & tot cordatarum gentium exem-

plis, & tanto sapientum consensu hactenus subditis commendata est; neque ultra quid adversus iniquum principem iis licet. Imperium non amittit princeps nisi eo scelere, quo id creditur periturum. Cum enim hic maxime pœna non debeat excedere magnitudinem delicti, imperio, quod in omnes accepit, non privandus est, nisi qui omnium sit hostis, atque ea evertere contendat, in quibus constet incolumitatem omnium versari. Ergo si intoleranda sint omnibus ejus scelera, &, nisi in tempore obviam eatur, in exitium omnium totiusque Reipub. haud dubie sint exitura, & alia omnia ad flectendum coarcendumque ad meliora principem nequidquam sint tentata, licere proceribus populoque cum imperio exuere & vi expellere judicamus. Talis enim princeps esse desiit. Et subditis patientia commendata est, non quâ evertitur Respub. sed qua conservatur. Neque id in eos tantum principes licet, qui adstricto certis legibus imperio utuntur, sed eos quoque, qui omnium absolutissimum accepere. Par enim hic eorum est ratio; cum nec sub his, nec istis, Respub. debeat everti. Faciunt huc illa Salisberiensis in Polycratico lib. III. cap. XV. *Imago Deitatis princeps amandus, venerandus est & colendus; tyrannus pravitatis imago plerumque etiam occidendus, si tamen aliter coarceri non potuerit.* Et addit alibi gravissimam rationem; *Cum multa sint crimina majestatis, nullum gravius est eo, quod adver-*

adversus ipsum justitiæ corpus exercetur. Tyrannis ergo non modo publicum crimen, sed, si fieri possit, plus quam publicum est. Si enim crimen majestatis omnes persequutores admittit, quanto magis illud, quod leges premit, quæ ipsis debent imperatoribus imperare? Lib. III. cap. ult.

8. Tarquinium igitur Romani optimo jure expulêre, ut eum qui scelere & invaserat imperium, &, dum tenuit, prope totum everterat. Quare Plutarchus eum in Poplicola describit, οὔτε λαβόντα τὴν ἀρχὴν καλῶς, ἀλλ' ἀνοσίως καὶ παρανόμως, οὔτε χρώμενον αὐτῇ βασιλικῶς, ἀλλ' ὑβρίζοντα καὶ τυραννοῦντα. Regnavit ille annos quinque & viginti: regnatum autem Romæ, ut quidem vult Livius, à condita urbe ad liberatam annos ducentos quadraginta quatuor.

CAPUT VIII.

DE

CONSULATU

& primis Consulibus.

1. Actum igitur est de Regibus; Consules sequuntur. Quæ mutata gerendæ Reipub. ratio, & pro libertate tutior, & sola, & nunc demum inter Romanos laudanda fuit. *Neque ambigitur* (ita enim cum Livio loqui hic lubet, & judicandum est) *quin Brutus idem, qui tantum gloriæ Superbo exacto rege meruit, pessimo publico id facturus fuerit,*

fuerit, si libertatis immatura cupidine priorum regum alicui regnum extorsisset. Imo etiam si sub prioribus Regibus Pop. Rom. ferre potuisset majorem libertatem. Neque enim in Repub. omnes ejusmodi in melius, sed necessariæ tantum mutationes admittendæ sunt.

2. Namque translata denuo in unum suprema potestas, minus quidem allatura erat mutationis, sed & minus libertatis; cum Senatu universo communicata, minus dignationis; cum populo, plus turbarum. Sed nec hic aut ferre adhuc poterat, aut, post acre illud unius imperium, accipere statim debebat totam libertatem.

3. Consulatus est Regia potestas, eadem in duos collata & annuo imperii spatio definita. Dixi Regiam potestatem. Ita negat Livius sub initium lib. II. in consulari imperio, *diminutum quicquam esse ex regia potestate.* Neque aliter Tullius lib. III. de Legib. *Regio imperio duo sunto, iique consulendo Consules appellantor, militiæ summum jus habento.* Et constat omnia regum jura ac insignia iis mansisse. Quare & ὑπάτους, quasi tu summos dixeris, eos vocant Græci, tanti vim imperii exprimentes; quanquam haud dubie sic deliquerint in prudentiam modestiamque Romanorum, qui regiam illam potestatem molliore multoque gratiore Consulum vocabulo commendandam populo censuere. Nota est ars Augusti, qui non Regis, quanquam revera talis,

lis, ſed Principis nomine omnia ſub imperium accepit. Primum igitur Conſulare imperium ad Monarchicum potius quam Ariſtocraticum acceſſiſſe cum Polybio dicendum eſt; & Conſules non quidem nomine, quod exoſum, ſed poteſtate reges fuere. De primis autem nunc loquor. Nam ſequentium auctoritas partim creatis novis magiſtratibus, ut Dictatoribus, Decemviris aliiſque, partim legibus conditis, cum harum imperia quam hominum potentiora crederentur, admodum decrevit; & inter plurima patrum ac populi certamina, aliquando illis, nunc his prævalentibus obnoxia, poſtremo ſub Cæſaribus vim prope omnem amiſit. Quas mutationes in tempore, & ſuo ſingulas loco, reddemus.

4. Id modo inter regium & Conſulare hoc imperium diſcriminis fuit, quod illud unius, & cum vita; hoc duorum, & unius anni intervallo finiretur. Quo nullum majus conſtantiuſve adverſus tyrannidem, & pro continenda pace publica conſilium poterat iniri. *Ex perpetuo imperio*, ut rectè judicat Florus, *annuum placuit, ne poteſtas morâ; ex ſingulari duplex, ne ſolitudine corrumperetur.* Magna enim & continua unius, togata aut militaria imperia, noxia ſunt Reipub. libertati, ac idcirco improbanda. Id verò diſcrimen facit, ui hinc liberum populum Romanum appellent, & Conſulatum ac libertatem conjungant rerum Romanarum auctores. Non quod nulla ſub regibus libertas (nam ſine

V 5 illa

illa nullum omnino imperium, quale tandem sit, magis esse potest, quam sine majestate) aut sub primis Consulibus major quam regibus, sed quod nunc tutior facta & dein aucta sit. Qui igitur vel Aristocraticam vel Democraticam imperii formam cum Consulibus cœpisse statuunt, egregie falluntur. Vel Monarchia hæc dicenda est, vel statuendæ plures, quam Monarchia, Aristocratia, & Democratia, species Rerumpub. Quod non est absurdum. Idem judicandum est de ea Lacedæmoniorum Reipub. forma, qualis ab initio Heraclidarum ad Lycurgum usque fuit, gemina huic Romanæ, in qua supremum imperium duo, non tantum regia potestate, sed etiam nomine habuere.

5. De Consulatu dictum est; nunc ipsos Consules videamus, in quorum imperio quidquid celebrioris vel exempli, vel consilii, vel mutationis sese dabit, instituti nostri deinceps erit argumentum. Primum L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus gessere, Horum ille jurejurando populum adegit, neminem Romæ passuros regnare. Ac inspicientibus nobis propius illorum temporum res, & à Bruto & à populo optimo consilio, sic damnatum omne regium imperium, videtur. Nam, quamlibet optimo quoque ad regnum vocato, ipsumque regium imperium laudandum etiam veniat, sub rege Romanis in posterum securis esse non licebat.

6. Col-

6. Collatinum autem nomen ſolum & genus regium (erat enim Tarquiniorum ſanguinis) mox populo ſuſpectum fecere; à quo ei innocenti non faſces modo conſulares adempti ſunt, ſed exilium etiam indictum. Teſtatur Livius, neſcire ſe, an nimis undique libertatem minimis quoque rebus muniendo modum Romani hic exceſſerint. Bruti, & vel faventis vel ferentis populi, ſcelus illud appellat Auguſtinus lib. II. cap. XVII. de Civitat. Dei. At laudat Tullius lib. III. de Off. *Cum Collatino*, inquit, *Collega Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere id injuſte; fuerat enim in regibus expellendis ſocius Bruti, conſiliorum etiam adjutor. Cum autem conſilium hoc principes cepiſſent, cognationem Superbi nomenque Tarquiniorum & memoriam regni eſſe tollendam, quod erat utile patriæ conſulere, id erat honeſtum; ut etiam ipſi Collatino placere deberet. Itaque utilitas valuit propter honeſtatem, ſine quâ ne utilitas quidem eſſe potuiſſet.* Et nobis quoque id factum probatur. Nam neque contra officium boni & prudentis viri facit, qui ab amico & optimo ſibi metuit; neque in æquitatem delinquunt, qui ad imperia admoti mala, quæ ex innocentiſſimis, nec tamen ſine cauſſa ſuſpectis, in perniciem Reipublicæ metuuntur aliquando exitura, quavis ratione, quæ tutiſſima ſit Reipublicæ, &, quantum fieri poteſt, minime noxia ſuſpecto inno-

innocenti, ut abrogatione honoris, exilio, aliisque in tempore præveniunt. Idcirco tum quoque Brutus ex SC. ad populum tulit, ut omnes Tarquiniæ gentis exules essent, tantum quia ejus gentis erant, cætera innocentes. *Ne quam Romani*, ut loquitur Varro apud Nonium, *seditionis per gentilitatem speciem haberent.* Nam libertati tales nocituri haud sine gravi caussa metuebantur. Eandem rationem reddunt Impp. Arcadius & Honorius, ubi decernunt; ut filii reorum majestatis à materna omni aut avita, omnium quoque proximorum hereditate ac successione alieni, & infames, ad nullos prorsus honores, nulla sacramenta admittendi, habeantur; *Quia*, inquiunt, *paterni, hoc est, hereditarii criminis exempla in illis metuuntur.* L. *Quisquis* Cod. ad leg. Juliam Majestatis. Dura quidem ista sunt, fateor, & acerba, sed non iniqua; ubi nulla aliâ mitiore ratione Principum aut Rerumpub. securitati consuli potest.

7. Igitur in locum Collatini P. Valerius suffectus est; qui statim, & exstructa superbiore in Velia domo, suspicionem opprimendæ libertatis de se excitavit, & eâdem dirutâ, avertit. Namque arx ea & sedes servitutis futura haud temere metuebatur. Mox, quo se in omnibus μισοτύραννον esse probaret, latis in gratiam populi aliquot legibus, quibus potestati consulari plurimum detraxit, adeo ei placere cœpit, ut

totius

totius multitudinis consensu non jam Valerius, sed Poblicola diceretur. Ante omnes celebratissima ea est, qua reis ad supplicium postulatis extremam provocationem ad populum, adversus magistratus, ipsos etiam Consules, permisit. Quo & agnita est populi majestas, & provisum ne magistratus in cives atrocius grassarentur. Livius hanc legem, *firmissimum populi propugnaculum*; Cicero in Orat. aut apud eum Antonius, *patronam civitatis ac vindicem libertatis*, vocant. Sed an non impunitatis spes ac fiducia sic facta est reis læsæ magistratuum auctoritatis, aut aliorum scelerum, provocantibus ad populum, iisdem flagitiis opertum? Certe ita judicat Appius apud Livium; *Minas esse Consulum, non imperium*, dicit, *ubi ad eos, qui una peccaverant, liceat provocare.* Nobis tamen lex ea saluberrima & Reipub. utilissima visa est. Neque enim bene de reis, licet nocentissimis, supplicia sumuntur, populo invito.

8. At aliter plane de ea lege judicaverim, quam rogavit, de interficiendo impune, indictâ caussâ, eo, qui occupandi regni consilia iniisset. Quemadmodum enim eo terrore illato spes ejecti regis, aut ad regnum adspirantium, sic admodum incisas abnuerim; ita frænos audaciæ hominum pessimorum sic nimis laxatos, & in ancipiti positam plurimisque objectam insidiis innocentum securitatem fuisse, nemo non videt.

9. Ab

9. Ab eodem primos Quæstores institutos, tradit Plutarchus; quanquam horum originem ad ipsos Reges alii retulerint. Si eam magistratum sub Tullo Hostilio cœptum, sub Superbo intermissum, à Poblicola Reipub. redditum statuamus, nulla dissensio erit inter auctores. Præesse ærario horum muneris fuit. Caussam instituti egregiam reddit Plutarchus; Ὅπως ἄρχων, μήτ' εἰ χρηστὸς ἐστιν, ἀσχολίαν ἔχῃ πρὸς τὰ μείζω, μήτ' εἰ φαῦλος, ἀφορμὰς τοῦ ἀδικεῖν μᾶλλον, καὶ τῶν πράξεων καὶ τῶν χρημάτων κύριος γενόμενος; *Ut Consul nec, si bonus esset, à majoribus rebus avocaretur, nec, si malus, subsidium haberet gravius lædendi, si in manu ejus tam imperii quam pecuniæ administratio esset.* Igitur id quoque pro conservanda libertate prudenter inprimis repertum.

10. Inter ista adeo læta auspicia libertatis, Romæ nobiles aliquot adolescentes, præter Vitellios, Aquilios, aliosque, ipsius etiam Bruti filii, Tiberius Titusque, clam de reducendis in urbem Tarquiniis consilium ineunt. Caussa præcipue ista, quod sub liberrimo unius, quam immotarum legum imperio, melius cum Repub. agi existimarent; Regem esse hominem, esse gratiæ locum, esse beneficio; & irasci & ignoscere posse; at leges rem surdam & inexorabilem esse; nihil laxamenti, nec veniæ habere, si modum excesseris. In quo quidem ratio eos fugit. Melius enim constantiæ legum, quam arbitrio hominum judicia permittuntur.

11. Se-

11. Sequuntur P. Valerii Poblicolæ iterum Conſ. & T. Lucretii; Porſenæ, Etruſci regis, pro reſtituendis Tarquiniis bello, Horatii Coclitis, Mucii Scævolæ, Porſenam in Regia occidere deſtinantis (cujus facinus, utut licitum, tamen improbandum videtur. Neque enim expedit in principes, quanquam hoſtes, immittere percuſſores, cum ea res ſit ipſis illis, qui ſic nocent, noxii exempli) ac Clœliæ virginis audacia, an virtute, & pace cum Porſena redintegrata; & mox duo adhuc alii propè continui ejuſdem Valerii inſignes Conſulatus. Uni Poblicolæ toties reddito Conſulatu, parum proviſum libertati videtur. Nam periculoſum eſt unum hominem, quamlibet optimum, in Republica, præſertim libera, eſſe toties caput & columen imperii.

CAPUT IX.

DE

Dictatura, & prima P. R. Seditione.

1. ANno poſt imperium Conſulare inſtitutum nono, ut Livius, decimo, ut alii volunt, primus Romæ Dictator creatus eſt, ſummâ ei poteſtate tributâ. Ut enim paullo ante perpetuum illud unius regium imperium merito Romani damnaverant, ita,

cum

cum expediendæ Reipub. impar nunc esset Consulum auctoritas, ut unus, sed Dictatoris nomine, & ad tempus, omnia sub imperium acciperet, egregio consilio instituêre. Et, profecto, haud ulla unquam quæcunque tandem illa sit, Respub. non necesse habet uni subinde permittere vim liberrimæ dominationis, cum identidem ea sese offerant negotia, quæ unius demum arbitrio possunt expediri. Neque ulla est, quæ non suppeditet exempla.

2. Dictatura est Monarchia quædam in Repub. Romana, sive vere regia & summa, sed semestri spatio definita, domi ac militiæ imperandi potestas, extra ordinem, maxime in rebus trepidis, adversus hostes gerendæ rei, sedandæque seditionis caussa, in unum collata; cui cedebant alii omnes magistratus, ipsi etiam Consules, & à quo ad Populum provocatio non dabatur.

3. Hanc unius tantam potestatem in Rom. Rep. necessariam & utilissimam fuisse contendimus, duabus inprimis legibus prudentissime coërcitam; *Ut semestri exacto spatio Dictatura deponeretur*; ne longiore ejus usu libertas aliquid acciperet detrimenti; præterea, quoque, *Ut Italiam cum exercitu, tantoque cum imperio Dictator non egrederetur*; quo rerum suarum testes ac observatores proximos Senatum Populumque Romanum continuo haberet. Sylla enim ac Cæsar non tam Dictatura hac, quam libidine, spretis legibus,

gibus, Rempub. oppressere. Creabantur verò Dictatores ex Consularium ordine; ut tanto plus in persona esset dignationis; ab uno Consule, cui id tribuebat Senatus; ne dissensionibus vel duorum Consulum, vel Senatus, vel populi in Comitiis, aut Campo differretur remedium, quod adversus domesticas dissensiones, aut illata bella externa, præsentissimum Resp. flagitabat; nocte intempestâ; forte quod ejus silentium huic curæ minus allaturum esset in turbata Repub. impedimenti; denique disertim cautum, ne equo veherentur; haud dubie ut eo ritu, in tanta vi imperii, modestiæ admonerentur. A qua ratione haud abludit, quod de Platone Philosopho veteres retulere, eum metu equestris cujusdam, ut sic dixerim, superbiæ, quam ἱπποτυφίαν vocant Græci, in equum conscendere perpetuo recusasse.

4. Cæterum institutæ Dictaturæ prima & præcipua semper caussa propius nobis hic aperienda est. Discors agebat domi civitas, & eâ occasione bella externa erumpebant, dissensionibus civilibus interim nihil remissis. Unde colligere promptum est, quam sit absurda sententia eorum, qui excitata bella externa domesticarum seditionum esse remedia contendunt; cum ea ratione pereat potius Respub. quam expediatur. Utramque verò illam rationem conjungit Manius Valerius apud Livium lib. II. *Discordia*, inquit, *intestina, bellum externum, fecere, ut hoc magistratu,* Dicta-

Dictatore scilicet, *egeret Respublica.* Nam in quavis Repub. belli administratio uni melius, quam pluribus permittitur; & ad tollendos motus domesticos, quibus magistratus supremi & cives inter se committuntur, nihil æque facit, quam novos ad tempus instituere, ac in unum inprimis summam potestatem conferre. Nam in bello celeritas consiliorum, & auctoritas nullo dissentientum collegio impedita, ac proinde unius suprema vis, maxime requiruntur. Neque intestinæ dissensiones avertuntur promptius, quam ubi partes illorum imperio se submittunt qui partes non fecere, unius inprimis, à quo, cum omnibus major sit, ut Dictator, nemini liceat dissentire. Quare Dictaturam, *ultimum in rebus trepidis auxilium, ultimum consilium*, non uno loco, & verissime Livius appellavit.

5. Seditio domi ex inopia & sævitia creditorum nata est, qua major civitatis pars à paucioribus patriciis & ditioribus oppressam sese querebatur. Plerique enim bellis externis, adversus vicinos, Sabinos maxime, militaverant; & propter agrorum populationes non fructu modo caruerant, sed villæ incendio perierant; pecora abacta; direpta omnia; tributum iniquo tempore imperatum; ac idcirco æs alienum contractum. Eo usuris cumulato plurimi agris paternis avitisque ejecti, deinde fortunis aliis. Accedebat ultimum malorum, quod amissis omnibus, quæ possederant, à creditoribus nexi, non in servitium, sed ergastulum

ſtulum & carnificinam ducerentur. Ex cujusmodi exemplis, & aliunde, qui colligunt, communionem bonorum in Repub. præferendam diviſioni, & uſuras improbandas, neque fœnus inter cives agitandum eſſe, diſſentiunt à ratione. Quippe non diſtinctis rerum dominiis nulla, aut multo minor eſſet hominum induſtria, & plus diſſenſionum; neque diſpelli poſſent humanæ neceſſitates, niſi, optimo divinæ providentiæ inſtituto, alii opulentæ, alii paupertinæ eſſent conditionis; & uſuræ, ſi earum à Magiſtratibus præſcriptus ſit legitimus modus, juvandis pauperioribus, non opprimendis faciunt.

6. Creditores lege ſe tuebantur; qua tum iis permiſſum, debitores, ære alieno obrutos, & qui diſtracto patrimonio, reque familiari dilapsâ, ſolvendo non eſſent, vinculis, catenis, nervis & compedibus obſtrictos in jus vocare; diebus ſexaginta in vinculis habere; eos inter ea trinis nundinis continuis ad Prætorem in comitium producere; tertiis autem nundinis, ſi ſatisfactum non eſſet, è medio tollere, ut mancipia habere, aut trans Tiberim peregre venum dare; &, ſi plures forent, quibus rei eſſent judicati, in partes ſecare. Quod & inter Decemvirales leges poſtea eſt receptum. Sed hæc *natura laudabilia non eſſe, quanquam jure conceſſa*, recte judicat Quintil. lib. III. Orat. Inſt. c. VI. Neq; aliter Phavorinus apud Gellium l. XX. c. I. Noctium Attic. Sextus tamen Cæcilius eodem loco hanc creditoribus debitores addicendi ratio-

rationem, & illorum in hos exquisitam istam crudelitatem, lege permissam, tueri se posse arbitratur; quod, nimirum, ea tempestate, multa esset debitorum perfidia, & pro vitiorum, quibus medendum est, fervoribus, intendi supplicia debeant; quod neque pejus ullum factum æstimandum sit, quam in negotiorum contractibus maximeque in pecuniæ mutuaticiæ usu ac commercio, fidem non servare; cum adimatur subsidium hoc temporariæ inopiæ, quo communis hominum vita indiget, si perfidia debitorum, sine gravi pœna, eludatur. Unde tandem colligit, damnatis æris, & debiti judicatis, optimo consilio tantam pœnæ immanitatem esse denuntiatam, ne ad eam unquam deveniretur. At verò, ut non abnuerim, quo corruptiores sunt civium mores, & facilius ac frequentius peccatur, & ex peccato plus fructus redit ad peccantem, nisi puniatur, eo graviores pœnas esse statuendas; ita in debitore, qui nulla sua mala arte impar solvendo est, debitorem quidem, non delictum, calamitatem, non culpam reperio. Sed nec mala omnia atrocissimis pœnis aut possunt aut debent prævenire. Quare Romani merito tandem evertere & obliterare passi sunt iniquissimam hanc legem, in ejus locum recepta ista æquissima [illegible], qua [illegible] est omne illud jus nexus & addictionis.

At creditores, [illegible] primo, dein & [illegible], [illegible] sævitiæ finem, & æris alieni

alieni remissionem, à Consulibus & Senatu, sed nequicquam, postulavêre: donec tandem tumultus urbem pervasit, eo inprimis anno, quo P. Servilius & Appius Claudius gerebant Consulatum; inque ipsos Patres versa multitudo, & vix manibus temperatum est. Tum Appius, vehementis vir ingenii, imperio Consulari rem agendam censuit, uno aut altero arrepto quieturos alios; Servilius, lenibus remediis aptior, concitatos animos flecti, quam frangi, quum tutius, tum facilius esse. Et quis Appii illud consilium non damnaverit? Namque per pœnas, aut earum metum injectum, dum adhuc gliscunt ejusmodi motus, accenditur discordia, non sedatur; ac idcirco omnino improbanda sunt.

8. Inter hæc Volscum bellum subito exarsit. Eo terrore perculsi Consules, cum arma pro patria multitudo non caperet, Senatum convocavere. Et inter patres diversis sententiis tum certatum est. Placuit plerisque, ut æs alienum plebi nequaquam remitteretur. Neque enim id licere magistratibus; ac iniquum esse tam insigni damno creditores afficere; & ob eam injuriam hos quoque Rempub. turbaturos; & ejusmodi alia, pro suis potius, quam Reipub. commodis, & falso & imprudenter disserebant. Nam quin id magistratibus liceat, non est dubitandum. Erant, quibus consultius visum, ex ærario satisfacere creditoribus, & pro nexis totidem mancipia dare ex iis, quæ Respubl. bello

illa nullum omnino imperium, quale tandem sit, magis esse potest, quam sine majestate) aut sub primis Consulibus major quam regibus, sed quod nunc tutior facta & dein aucta sit. Qui igitur vel Aristocraticam vel Democraticam imperii formam cum Consulibus cœpisse statuunt, egregie falluntur. Vel Monarchia hæc dicenda est, vel statuendæ plures, quam Monarchia, Aristocratia, & Democratia, species Rerumpub. Quod non est absurdum. Idem judicandum est de ea Lacedæmoniorum Reipub. forma, qualis ab initio Heraclidarum ad Lycurgum usque fuit, gemina huic Romanæ, in qua supremum imperium duo, non tantum regia potestate, sed etiam nomine habuere.

5. De Consulatu dictum est; nunc ipsos Consules videamus, in quorum imperio quidquid celebrioris vel exempli, vel consilii, vel mutationis sese dabit, instituti nostri deinceps erit argumentum. Primum L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus gessere. Horum ille jurejurando populum adegit, neminem Romæ passuros regnare. Ac inspicientibus nobis propius illorum temporum res, & à Bruto & à populo optimo consilio, sic damnatum omne regium imperium, videtur. Nam, quamlibet optimo quoque ad regnum vocato, ipsumque regium imperium laudandum etiam veniat, sub rege Romanis in posterum securis esse non licebat.

6. Col-

6. Collatinum autem nomen solum & genus regium (erat enim Tarquiniorum sanguinis) mox populo suspectum fecere; à quo ei innocenti non fasces modo consulares adempti sunt, sed exilium etiam indictum. Testatur Livius, nescire se, an nimis undique libertatem minimis quoque rebus muniendo modum Romani hic excesserint. Bruti, & vel faventis vel ferentis populi, scelus illud appellat Augustinus lib. II. cap. XVII. de Civitat. Dei. At laudat Tullius lib. III. de Off. *Cum Collatino*, inquit, *Collega Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere id injuste; fuerat enim in regibus expellendis socius Bruti, consiliorum etiam adjutor. Cum autem consilium hoc principes cepissent, cognationem Superbi nomenque Tarquiniorum & memoriam regni esse tollendam, quod erat utile patriæ consulere, id erat honestum; ut etiam ipsi Collatino placere deberet. Itaque utilitas valuit propter honestatem, sine quâ ne utilitas quidem esse potuisset.* Et nobis quoque id factum probatur. Nam neque contra officium boni & prudentis viri facit, qui ab amico & optimo sibi metuit; neque in æquitatem delinquunt, qui ad imperia admoti mala, quæ ex innocentissimis, nec tamen sine caussa suspectis, in perniciem Reipublicæ metuuntur aliquando exitura, quavis ratione, quæ tutissima sit Reipublicæ, &, quantum fieri potest, minime noxia suspecto

innocenti, ut abrogatione honoris, exilio, aliisque in tempore præveniunt. Idcirco tum quoque Brutus ex SC. ad populum tulit, ut omnes Tarquiniæ gentis exules essent, tantum quia ejus gentis erant, cætera innocentes. *Ne quam Romani*, ut loquitur Varro apud Nonium, *seditionis per gentilitatem speciem haberent.* Nam libertati tales nocituri haud sine gravi caussa metuebantur. Eandem rationem reddunt Impp. Arcadius & Honorius, ubi decernunt; ut filii reorum majestatis à materna omni aut avita, omnium quoque proximorum hereditate ac successione alieni, & infames, ad nullos prorsus honores, nulla sacramenta admittendi, habeantur; *Quia*, inquiunt, *paterni, hoc est, hereditarii criminis exempla in illis metuuntur.* L. *Quisquis* Cod. ad leg. Juliam Majestatis. Dura quidem ista sunt, fateor, & acerba, sed non iniqua; ubi nulla aliâ mitiore ratione Principum aut Rerumpub. securitati consuli potest.

7. Igitur in locum Collatini P. Valerius suffectus est; qui statim, & exstructa superbiore in Velia domo, suspicionem opprimendæ libertatis de se excitavit, & eâdem dirutâ, avertit. Namque arx ea & sedes servitutis futura haud temere metuebatur. Mox, quo se in omnibus *μισοτύραννον* esse probaret, latis in gratiam populi aliquot legibus, quibus potestati consulari plurimum detraxit, adeo ei placere cœpit, ut

totius

totius multitudinis consensu non jam Valerius, sed Poblicola diceretur. Ante omnes celebratissima ea est, qua reis ad supplicium postulatis extremam provocationem ad populum, adversus magistratus, ipsos etiam Consules, permisit. Quo & agnita est populi majestas, & provisum ne magistratus in cives atrocius grassarentur. Livius hanc legem, *firmissimum populi propugnaculum*; Cicero in Orat. aut apud eum Antonius, *patronam civitatis ac vindicem libertatis*, vocant. Sed an non impunitatis spes ac fiducia sic facta est reis læsæ magistratuum auctoritatis, aut aliorum scelerum, provocantibus ad populum, iisdem flagitiis opertum? Certe ita judicat Appius apud Livium; *Minas esse Consulum, non imperium*, dicit, *ubi ad eos, qui una peccaverant, liceat provocare.* Nobis tamen lex ea saluberrima & Reipub. utilissima visa est. Neque enim bene de reis, licet nocentissimis, supplicia sumuntur, populo invito.

8. At aliter plane de ea lege judicaverim, quam rogavit, de interficiendo impune, indictâ caussâ, eo, qui occupandi regni consilia iniisset. Quemadmodum enim eo terrore illato spes ejecti regis, aut ad regnum adspirantium, sic admodum incisas abnuerim; ita frænos audaciæ hominum pessimorum sic nimis laxatos, & in ancipiti positam plurimisque objectam insidiis innocentum securitatem fuisse, nemo non videt.

9. At

9. Ab eodem primos Quæstores institutos, tradit Plutarchus; quanquam horum originem ad ipsos Reges alii retulerint. Si eum magistratum sub Tullo Hostilio cœptum, sub Superbo intermissum, à Poblicola Reipub. redditum statuamus, nulla dissensio erit inter auctores. Præesse ærario horum muneris fuit. Caussam instituti egregiam reddit Plutarchus; Ὅπως ἄρχων, μήτ' εἰ χρηστὸς ἐστιν, ἀσχολίαν ἔχῃ πρὸς τὰ μείζω, μήτ' εἰ φαῦλος, ἀφορμὰς τοῦ ἀδικεῖν μᾶλλον, καὶ τῶν πράξεων καὶ τῶν χρημάτων κύριος γενόμενος; *Ut Consul nec, si bonus esset, à majoribus rebus avocaretur, nec, si malus, subsidium haberet gravius lædendi, si in manu ejus tam imperii quam pecuniæ administratio esset.* Igitur id quoque pro conservanda libertate prudenter inprimis repertum.

10. Inter ista adeo læta auspicia libertatis, Romæ nobiles aliquot adolescentes, præter Vitellios, Aquilios, aliosque, ipsius etiam Bruti filii, Tiberius Titusque, clam de reducendis in urbem Tarquiniis consilium ineunt. Caussa præcipue ista, quod sub liberrimo unius, quam immotarum legum imperio, melius cum Repub. agi existimarent; Regem esse hominem, esse gratiæ locum, esse beneficio; & irasci & ignoscere posse; at leges rem surdam & inexorabilem esse; nihil laxamenti, nec veniæ habere, si modum excesseris. In quo quidem ratio eos fugit. Melius enim constantiæ legum, quam arbitrio hominum judicia permittuntur.

11. Se-

11. Sequuntur P. Valerii Poblicolæ iterum Conſ. & T. Lucretii; Porſenæ, Etruſci regis, pro reſtituendis Tarquiniis bello, Horatii Coclitis, Mucii Scævolæ, Porſenam in Regia occidere deſtinantis (cujus facinus, utut licitum, tamen improbandum videtur. Neque enim expedit in principes, quanquam hoſtes, immittere percuſſores, cum ea res ſit ipſis illis, qui ſic nocent, noxii exempli) ac Clœliæ virginis audacia, an virtute, & pace cum Porſena redintegrata; & mox duo adhuc alii propè continui ejuſdem Valerii inſignes Conſulatus. Uni Poblicolæ toties reddito Conſulatu, parum proviſum libertati videtur. Nam periculoſum eſt unum hominem, quamlibet optimum, in Republica, præſertim libera, eſſe toties caput & columen imperii.

CAPUT IX.

DE *Dictatura, & prima P. R. Seditione.*

1. ANno poſt imperium Conſulare inſtitutum nono, ut Livius, decimo, ut alii volunt, primus Romæ Dictator creatus eſt, ſummâ ei poteſtate tributâ. Ut enim paullo ante perpetuum illud unius regium imperium merito Romani damnaverant, ita,

cum

cum expediendæ Reipub. impar nunc esset Consulum auctoritas, ut unus, sed Dictatoris nomine, & ad tempus, omnia sub imperium acciperet, egregio consilio instituêre. Et, profecto, haud ulla unquam quæcunque tandem illa sit, Respub. non necesse habet uni subinde permittere vim liberrimæ dominationis, cum identidem ea sese offerant negotia, quæ unius demum arbitrio possunt expediri. Neque ulla est, quæ non suppeditet exempla.

2. Dictatura est Monarchia quædam in Respub. Romana, sive vere regia & summa, sed semestri spatio definita, domi ac militiæ imperandi potestas, extra ordinem, maxime in rebus trepidis, adversus hostes gerendæ rei, sedandæque seditionis caussa, in unum collata; cui cedebant alii omnes magistratus, ipsi etiam Consules, & à quo ad Populum provocatio non dabatur.

3. Hanc unius tantam potestatem in Rom. Rep. necessariam & utilissimam fuisse contendimus, duabus inprimis legibus prudentissime coërcitam; *Ut semestri exacto spatio Dictatura deponeretur*; ne longiore ejus usu libertas aliquid acciperet detrimenti; præterea, quoque, *Ut Italiam cum exercitu, tantoque cum imperio Dictator non egrederetur*; quo rerum suarum testes ac observatores proximos Senatum Populumque Romanum continuo haberet. Sylla enim ac Cæsar non tam Dictatura hac, quam libidine, spretis legibus,

gibus, Rempub. opprefſere. Creabantur verò Dictatores ex Conſularium ordine; ut tantò plus in perſona eſſet dignationis; ab uno Conſule, cui id tribuebat Senatus; ne diſſenſionibus vel duorum Conſulum, vel Senatus, vel populi in Comitiis, aut Campo differretur remedium, quod adverſus domeſticas diſſenſiones, aut illata bella externa, præſentiſſimum Reſp. flagitabat; nocte intempeſtâ; forte quod ejus ſilentium huic curæ minus allaturum eſſet in turbata Repub. impedimenti; denique diſertim cautum, ne equo veherentur; haud dubie ut eo ritu, in tanta vi imperii, modeſtiæ admonerentur. A qua ratione haud abludit, quod de Platone Philoſopho veteres retulere, eum metu equeſtris cujuſdam, ut ſic dixerim, ſuperbiæ, quam ἱπποτυφίαν vocant Græci, in equum conſcendere perpetuo recuſaſſe.

4. Cæterum inſtitutæ Dictaturæ prima & præcipua ſemper cauſſa propius nobis hic aperienda eſt. Diſcors agebat domi civitas, & eâ occaſione bella externa erumpebant, diſſenſionibus civilibus interim nihil remiſſis. Unde colligere promptum eſt, quam ſit abſurda ſententia eorum, qui excitata bella externa domeſticarum ſeditionum eſſe remedia contendunt; cum ea ratione pereat potius Reſpub. quam expediatur. Utramque verò illam rationem conjungit Manius Valerius apud Livium lib. II. *Diſcordia*, inquit. *inteſtina, bellum externum, fecere, ut hoc magiſtratu,* Dicta-

Dictatore scilicet, *egeret Respublica*. Nam in quavis Repub. belli administratio uni melius, quam pluribus permittitur; & ad tollendos motus domesticos, quibus magistratus supremi & cives inter se committuntur, nihil æque facit, quam novos ad tempus instituere, ac in unum inprimis summam potestatem conferre. Nam in bello celeritas consiliorum, & auctoritas nullo dissentientum collegio impedita, ac proinde unius suprema vis, maxime requiruntur. Neque intestinæ dissensiones avertuntur promptius, quam ubi partes illorum imperio se submittunt qui partes non fecere, unius inprimis, à quo, cum omnibus major sit, ut Dictator, nemini liceat dissentire. Quare Dictaturam, *ultimum in rebus trepidis auxilium*, *ultimum consilium*, non uno loco, & verissime Livius appellavit.

5. Seditio domi ex inopia & sævitia creditorum nata est, qua major civitatis pars à paucioribus patriciis & ditioribus oppressam sese querebatur. Plerique enim bellis externis, adversus vicinos, Sabinos maxime, militaverant; & propter agrorum populationes non fructu modo caruerant, sed villæ incendio perierant; pecora abacta; direpta omnia; tributum iniquo tempore imperatum; ac idcirco æs alienum contractum. Eo usuris cumulato plurimi agris paternis avitisque ejecti, deinde fortunis aliis. Accedebat ultimum malorum, quod amissis omnibus, quæ possederant, à creditoribus nexi, non in servitium, sed erga-

stulum

ſtulum & carnificinam ducerentur. Ex cujusmodi exemplis, & aliunde, qui colligunt, communionem bonorum in Repub. præferendam diviſioni, & uſuras improbandas, neque fœnus inter cives agitandum eſſe, diſſentiunt à ratione. Quippe non diſtinctis rerum dominiis nulla, aut multo minor eſſet hominum induſtria, & plus diſſenſionum; neque diſpelli poſſent humanæ neceſſitates, niſi, optimo divinæ providentiæ inſtituto, alii opulentæ, alii paupertinæ eſſent conditionis; & uſuræ, ſi earum à Magiſtratibus præſcriptus ſit legitimus modus, juvandis pauperioribus, non opprimendis faciunt.

6. Creditores lege ſe tuebantur; qua tum iis permiſſum, debitores, ære alieno obrutos, & qui diſtracto patrimonio, reque familiari dilapsâ, ſolvendo non eſſent, vinculis, catenis, nervis & compedibus obſtrictos in jus vocare; diebus ſexaginta in vinculis habere; eos inter ea trinis nundinis continuis ad Prætorem in comitium producere; tertiis autem nundinis, ſi ſatisfactum non eſſet, è medio tollere, ut mancipia habere, aut trans Tiberim peregre venum dare; &, ſi plures forent, quibus rei eſſent judicati, in partes ſecare. Quod & inter Decemvirales leges poſtea eſt receptum. Sed hæc *natura laudabilia non eſſe, quanquam jure conceſſa*, recte judicat Quintil. lib. III. Orat. Inſt. c. VI. Neq; aliter Phavorinus apud Gellium l. XX. c. I. Noctium Attic. Sextus tamen Cæcilius eodem loco hanc creditoribus debitores addicendi

ratio-

rationem, & illorum in hos exquisitam istam crudelitatem, lege permissam, tueri se posse arbitratur; quod, nimirum, ea tempestate, multa esset debitorum perfidia, & pro vitiorum, quibus medendum est, fervoribus, intendi supplicia debeant; quod neque pejus ullum factum æstimandum sit, quam in negotiorum contractibus maximeque in pecuniæ mutuaticiæ usu ac commercio, fidem non servare; cum adimatur subsidium hoc temporariæ inopiæ, quo communis hominum vita indiget, si perfidia debitorum, sine gravi pœna, eludatur. Unde tandem colligit, damnatis æris, & debiti judicatis, optimo consilio tantam pœnæ immanitatem esse denuntiatam, ne ad eam unquam deveniretur. At verò, ut non abnuerim, quo corruptiores sunt civium mores, & facilius ac frequentius peccatur, & ex peccato plus fructus redit ad peccantem, nisi puniatur, eo graviores pœnas esse statuendas; ita in debitore, qui nulla sua mala arte impar solvendo est, debitum quidem, non delictum, calamitatem, non culpam reperio. Sed nec mala omnia atrocissimis pœnis aut possunt aut debent præveniri. Quare Romani merito tandem emori & obsolescere passi sunt iniquissimam hanc legem, in ejus locum receptâ ista æquissima Petilia, quâ solutum est omne illud jus nexus & addictionis.

7. At debitores, suppliciter primo, dein & minaciter, immanis sævitiæ finem, & æris alieni

alieni remissionem, à Consulibus & Senatu, sed nequicquam, postulavêre: donec tandem tumultus urbem pervasit, eo inprimis anno, quo P. Servilius & Appius Claudius gerebant Consulatum; inque ipsos Patres versa multitudo, & vix manibus temperatum est. Tum Appius, vehementis vir ingenii, imperio Consulari rem agendam censuit, uno aut altero arrepto quieturos alios; Servilius, lenibus remediis aptior, concitatos animos flecti, quam frangi, quum tutius, tum facilius esse. Et quis Appii illud consilium non damnaverit? Namque per pœnas, aut earum metum injectum, dum adhuc gliscunt ejusmodi motus, accenditur discordia, non sedatur; ac idcirco omnino improbanda sunt.

8. Inter hæc Volscum bellum subito exarsit. Eo terrore perculsi Consules, cum arma pro patria multitudo non caperet, Senatum convocavere. Et inter patres diversis sententiis tum certatum est. Placuit plerisque, ut æs alienum plebi nequaquam remitteretur. Neque enim id licere magistratibus; ac iniquum esse tam insigni damno creditores afficere; & ob eam injuriam hos quoque Rempub. turbaturos; & ejusmodi alia, pro suis potius, quam Reipub. commodis, & falso & imprudenter differebant. Nam quin id magistratibus liceat, non est dubitandum. Erant, quibus consultius visum, ex ærario satisfacere creditoribus, & pro nexis totidem mancipia dare ex iis, quæ Respubl. bello

bello acquisisset. Quo facto ut omnes hos motus haud dubiè tolli potuisse, non negaverim, ita eorum sententiam prætulerim, qui non quidem remittendum nunc æs alienum, sed ejus exactionem ad tempus differendam & edicto prohibendam esse, statuebant. Quos sequutus Servilius Consul, postquam in concionem progressus, curæ esse patribus ostendit, ut, externo hoste debellato, plebi consulatur; simul edixit; *Ne quis Civem Romanum vinctum aut clausum teneret, quo minus ei nominis edendi apud Consules potestas fieret. Ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret, aut venderet; liberos nepotesve ejus moraretur.* Ita compressa tum sapienter seditio est, sed, Volsco bello feliciter confecto, longe gravior reditura.

CAPUT X.

DE

Prima Secessione Plebis, & Tribunis Plebis institutis.

I. REbus feliciter contra hostes gestis, domestica pax iterum, & majore motu, impedita est. Cum enim irrita caderent P. Servilii Consulis atque M. Valerii Maximi Dictatoris promissa, &, fœneratorum inprimis arte, neque libertas nexis, neque securitas

caritas obæratis præstaretur, cœtus plebis in Urbe occulti fiunt & conjurationes; ac mox in Sacrum montem, trans Anienem amnem, tria ab Urbe millia passuum, seceditur. Qui à summis Magistratibus tumultuanti multitudini promissa, haud explenda esse, ut vi & metu extorta, asserebant, illius tanti mali auctores fuêre. Nam his etiam principes rerum teneri, statuendum est.

2. Tum metuere Patres, & tandem placere, per æqua, per iniqua, plebem reconciliandam civitati, & Menenium Agrippam, facundum virum, ac plebi carum, ejus rei gratiâ mittendum Oratorem esse. Erunt fortè, quibus potior, ac Reip. Rom. melior eorum sententia habebitur, qui plebem, quæ secesserat, excludendam, quæ remanserat, expellendam, ut obæratam, & eo solum nomine turbantem, tunc censuêre. At majores nobis videntur prioris consilii rationes. Neque enim diu tranquilla multitudo, quæ secesserat, aut expulsa, erat futura. Et mala è Repub. cum insigni hominum multitudine ejecta, plerumque graviora in eam revertuntur. Erunt & illi, qui missis ad seditiosos à Senatu legatis, majestatem ejus imminutam contendent. Nobis tamen hìc tuta consilia decoris anteferenda fuisse videntur. Neque enim gloria, sed salus, suprema semper Reipublicæ lex est.

3. Menenius intromissus in castra eorum, qui secesserant, tandem flexit hominum mentes, & de concordia agere cœpit; concessumque,

que, ut loquitur Livius, in conditiones, ut plebi sui magistratus essent sacrosancti, quibus auxiliatio adversus Consules esset; neve cui Patrum capere eum magistratum liceret. Ita Tribuni plebei creati duo, C. Licinius & L. Albinus. Hi tres collegas sibi creaverunt. In his Sicinius fuit, auctor seditionis. De duobus qui fuerint minus convenit. Atque hæc origo est Tribunorum plebis, qui dein numero ad denos usque, & potestate aucti, & hac ipsa à L. Sulla Dictatore exuti, à C. Aurelio Cotta & Pompejo Magno iterum donati, tandem Cæsaribus tribunitiam potestatem callidè invadentibus, solo ferè nomine usi, usque ad Constantini Magni tempora in Repub. Romana mansêre. De celebri adeo Magistratu quædam ab instituto haud aliena, nunc nobis dicenda sunt.

4. Tribunatus plebei est plebejus Magistratus in Repub. Romana, quovis alio major, & sacrosanctus, eum in finem institutus, ut plebes tutior esset contra vim & injurias Consulum, ac Senatorum, horum decretis, legibus & consultis intercedendi, ac injuriam plebi inferentes prehendendi, inque carcerem mittendi, invictam habens auctoritatem.

5. Dixi, *plebejum esse magistratum*, non quia commodis plebis invigilabant Tribuni (id enim quorumvis aliorum etiam erat Magistratuum) sed quia ex plebe, & quidem infima, legebantur, nec Patritio, nisi in plebejorum ordinem transiret, ad hunc honorem adi-

tus

tus pateret. Cum enim Patritiis plebs diffideret, optimo consilio è suo corpore suum sibi legi voluit magistratum. Sui quippe ordinis, quisque defensor est acerrimus. Neque in eo peccatum, quod ex infima plebe Tribunos eligere placuerit.

6. Addidi, *quovis alio esse majorem.* Neque enim tanta auctoritas Consulum aut Senatus, quanta Tribunorum plebis. Inde apud Tacitum lib. 3. Annal. Tribunitia potestas, *summi fastigii vocabulum* appellatur. Et huc faciunt verba Alexandri Imperatoris apud Lampridium: *Gratias vobis ago*, inquit, *de Cæsareo nomine, de Pontificatu maximo, de Tribunitia potestate.* Nec alia de caussa Tribunitiam potestatem sibi Cæsares vendicavêre; ad quam accessit, quod gratum plebi & pro hujus libertate id nomen repertum esset. Sic enim fallebatur. Neque obstat, quod primi Tribuni plebis vetandi modo, & Coss. ac Senatus decretis intercedendi, eorumque imperii cohibendi habuerint potestatem. Minus enim possunt, qui imperandum decernunt, quod ab aliis potest vetari; quàm qui sic vetant, ut ab aliis non possit intercedi. Itaque creatis Tribunis Democraticum planè Imperii Romani statum factum esse statuimus. Inde & Tribunatus plebis Δημαρχία Græcis appellatur. Mixtam enim Reipubl. formam neque hîc, neque alibi, necesse est agnoscere.

7. Sequitur, *esse sacrosanctum*, quem verbo aut manu violare nulli vel Magistratui vel privato liceret. Canulejus apud Livium lib. 4. *Quid tandem est, cur negent se manibus temperaturos, violaturosque denuntient sacrosanctam potestatem?* Loquitur autem de Tribunitia. Et Cicero lib. 3. de legibus, ubi de Tribunis; *Sanctique sunto.* Optimo certè consilio. Cum enim Consulibus ac Senatui eorumque decretis continuò opponerent suam potestatem, plurimum in se odii invidiæque haud dubiè concitabant; ideoque Sacrata lege (ita enim illa dicta est, qua Tribuni plebis instituti sunt) pro eorum securitate decerni debuit, ut essent sacrosancti.

8. Munus eorum est, *contra vim & injurias Consulum ac Senatorum plebem tueri*, sive sedulò providere, ne quid ab illis fiat aut decernatur, quo hujus commoda & libertas lædantur, *Plebes quos pro se contra vim auxilii ergo creassit, Tribuni ejus sunto. Plebem orbam Tribunis ne relinquunto.* Cicero III. de LL. Inde ædes Tribunorum nocte dieque apertæ, neque his extra urbem abnoctare licitum, quo in iis præsentissimum semper auxilium adversus arrogantiam, & insolentiam aliorum plebs inveniret. Haud alia de Æduis prodit Cæsar, apud quos illi, qui summum Magistratum obtinebant, excedere ex finibus per leges prohibebantur. Et hodieque in principe Bataviæ urbe Dordrechto abnoctare Consuli haud permissum est.

9. Hu-

9. Hujus autem curæ ergo, Tribuni *decretis ac legibus Consulum Senatorumque intercedendi invictam habent potestatem.* Tullius eodem, quem diximus, loco: *Quodque ii probibessint, ratum esto.* Eapropter primis temporibus cum curiam iis intrare non esset concessum, positis ante valvas subselliis, & tandem in curiam admissi, decreta Patrum vocabant sub examen. ut quæ ex iis minus probassent, rata esse non sinerent, &, solenni verbo, Vetarent. Quare ille apud Livium Lib. VI. F*axo ego, ne juvet vox ista, VETO, qua nunc concinentes Collegas nostros tam lati auditis.* Si verò placuisset, T. litterâ Senatusconsultis subscriptâ assensum suum testabantur. Addidi, *invictam potestatem*, quia neque Consulibus, neque Senatui, neque alii cuipiam ei licebat obluctari.

10. At in illa Tribunitia intercessione id novum, neque improbandum, quòd uno intercedente ac vetante, cæterorum omnium Collegarum, si fortè Senatus consulta approbassent, irrita essent decreta; adeo ut unius vetantis sententia reliquorum omnium probantium suffragiis prælata fuerit. Haud sum nescius, in alio ferè omni plurium eundem Magistratum gerentium collegio, plurium decretum pauciorum suffragiis anteponi; sed & gravissima est ratio, quare pauciorum, fieri aliquid aut decerni nolentium, suffragia, plurium, alia omnia statuentium, judiciis debeant esse superiora. Cum enim id quod

ſemel factum eſt, infectum reddi non poſſit, & quod in præſens differtur, tandem adhuc, ſi utile & neceſſarium eſſe ab omnibus intelligatur, haud ita difficulter fieri poſſit, quis non videt tutius in diſſentientium collegio, & ubi de re ardui eventus agitur, Rempub. acquieſcere in votis pauciorum aliquid fieri nolentium, quàm plurium, qui à paucis iſtis malunt diſſentire?

II. In hac autem interceſſione ſicut primorum Tribunorum plebis (de his enim ſolis nunc agimus, non de iis, qui ſequutis temporibus vim majorem uſurpavêre) poteſtas præcipuè verſata eſt, ita eo ſolum nomine Tribunitium hunc Magiſtratum perniciosum Reipub. Romanæ, neque ullo modo probandum eſſe contendimus. Nec facilè fallere nos debent vana nomina, quibus ut Cuſtos defenſorque juris, arx, telum, auxilium libertatis à Romanis ipſis nonnunquam celebratur. Enimvero res ipſa exputanda eſt. Ac primò quidem in Democratiam ſic tranſiſſe Rempub. Romanam, quis cum Quintio illo, diſertim dicente apud Ciceronem III. de L L. *nata poteſtate tribunitia gravitatem Optimatium cecidiſſe, & convaluiſſe jus multitudinis*, non agnoverit? Democratia autem planè adverſa & incommoda erat illius Imperii inſtitutis. Magiſtratus inſuper magiſtratibus hîc ſunt oppoſiti; cum in libera Repub. ne ſupremorum magiſtratuum potentia noceat libertati, non tam aliorum magi-

magiſtratuum arbitria opponi debeant, quàm immotæ leges. Denique ad ἀναρχίαν, ſive diſſolvendum Imperium, tribunitiam poteſtatem comparatam fuiſſe, vel ex eo apertum eſt, quòd eorum, qui ſoli imperandi habebant poteſtatem, ut Coſſ. & Senatores, imperiis potuerit intercedi, & hi qui intercedere poterant, non aliam quàm intercedendi, & vetandi quæ ab aliis decreta erant, habuerint poteſtatem.

11. Nihilominus cum contumacia plebis, quæ ſeceſſerat, non niſi inſtituto hoc magiſtratu, expugnari potuerit, ſumma neceſſitate circumventi Patres in eum conſensêre: hoc maximè nomine culpandi, quod peſſimis ſuis conſiliis hujus neceſſitatis ſibi ipſis fuerint auctores. Quanto enim minora erant, quæ hactenus & toties repetitis precibus ac motibus, ſed nequicquam, plebs flagitabat? His, licet eſſent iniqua, conceſſis, majora hæc mala haud dubiè fuiſſent præventa. Et iniqua petenti ejuſmodi multitudini haud neganda ſunt, ne repulſam paſſa flagitet atque obtineat iniquiora.

CAPUT XI.

DE

Decem-viris & Legibus XII. Tabularum.

1. AGebat jam urbs Roma annum trecentesimum, & adhuc patriis potius dubiisque & incertis moribus, quam scriptis fixisque, quæ sufficerent, legibus regebatur. Itaque Sp. Tarpejo, & A. Æternio Coss. missi legati tres Athenas, & ad alias Græciæ civitates, ut earum leges & instituta describerent, quæ in præcipua tum erant celebritate. His biennio post reversis, anno ejusdem sæculi tertio, Decem-viri legibus scribendis, quæ ex populi Romani usu forent, optimo consilio creantur; merito omnibus censentibus, longè tutius esse, jure scripto, quam moribus & consuetudine uti, & magistratuum ac judicum, quorum arbitrio haud permittenda sunt, quæ legibus licet includere, potestatem certis limitibus esse coarcendam. At ut ab iis pleræque laudatissimæ leges conditæ sunt, ita ex eorum imperio, primo quidem moderato, dein vero immani ambitione corrupto, intestinis & tribunitiis motibus multum agitata Respubl. meliora tempora speravit potius, quàm accepit.

2. De-

2. Decemviratus est summus, sed extraordinarius & annuo spatio definitus, in Romana Republ. magistratus, quo Senatorii ordinis nobilissimi viri decem, legum scribendarum caussa, donati, cæteris omnibus Magistratibus interea abrogatis, donec dein ex legibus restituerentur, Consularem & verè regiam, adeoque maximam, omnem Remp. administrandi, deque privatorum contractibus ac causis omnibus cognoscendi, habebant potestatem.

3. Cæterum in patriis moribus, aliorumque, Græcorum inprimis, maxime autem Atheniensium, inter se comparandis, iisque omnibus, quæ usquam egregia & pro Romana Repub. factura occurrent, decerpendis, præcipua ipsis cura fuit. Nam neque majorum institutis pertinaciter inhærescendum, ubi sese probant meliora; & diversis populorum ingeniis haud eædem præscribendæ sunt leges; & illæ Atheniensium subinde ab æquitate remotæ, & crudelitate detestabiles offerebantur. maxime, quas sanguine descripsisse Draconem ferunt, omnia pene delicta capitis supplicio persequutum, ex Stoicorum mente, qui ἴσα τὰ ἁμαρτήματα εἶναι, æqualia esse omnia peccata, nec honesto quicquam honestius, nec turpi turpius; & peccata, quia discerpant, æque discrepare, statuerunt. Quæ sententia absurda est, & ad efferandas leges comparata. Sed neque Solonis omni ex parte laudandæ veniebant

qui cum, ut de aliis nunc non dicam, admisit actionem contra ingratos, excessit curam legislatorum, quorum non est punire omnia delicta, sed ea modo, quæ insigni facto & exemplo Rempubl. lædunt. Ita tandem compositæ sunt illæ leges, quæ ab auctoribus *Decemvirales*, à numero tabularum, in quas decem primo, dein duabus auctas, relatæ sunt, *Duodecem Tabularum*, ferè dicuntur, *capita omnium legum complexa & fonteis*, ut à Cicerone I. de Orat. *finis æqui Juris*, ut à Tacito lib. III. Annal. meritò laudantur.

4. De harum tamen legum æquitate aut iniquitate multa exstat disceptatio inter Sextum Cæcilium, juris peritum, & Favorinum, Arelatensem Philosophum, apud Gellium lib. XX. cap. I. Noctium Atticarum. Favorinus quidem, inter alia, in iis observat crudelia quædam, dura, inhumana ac proinde iniqua, dum delicta ac pœnas inter se contendit. Inprimis autem provocat ad Pop. Romanum, cui delicta quidem, quorum in Duodecim Tabb. mentio est, vindicanda; pœnæ tamen nimis duræ esse visæ sunt. Quare & passus est leges istas de tam immodico supplicio, situ atque senio emori. Verum egregie excepit Cæcilius; Non ideo contemnendas esse legum istarum antiquitates. Nemo enim ignorat legum opportunitates, & medelas, pro temporum moribus, & pro rerum publicarum generibus, ac pro utilitatum præsentium rationibus, proque vitiorum,

tiorum, quibus medendum est, fervoribus, mutari atque flecti. Ac sane, optimo & consilio & jure primis, quæ contra vitia feruntur, legibus severissimæ pœnæ proponuntur; & si per eas ad meliorem vivendi disciplinam inter cives profectum sit, aut libido hominum & contumacia severitate suppliciorum major, & invicta experiendo cognoscatur, lapsu temporis mitigantur. Nam gravior esse pœna debet, ubi in scelus plurium est, & ferventior inclinatio: & minor, ubi vel ad peccandum proclives sunt pauciores, aut magnitudine suppliciorum à peccando hactenus homines deterriti haud sunt, ne ex pœna fiat carnificina. Ob hanc caussam inter cautiores gentes, primæ omnes leges severissimæ, secutæ vero mitiores molliores que inveniuntur.

5. Lege XII. Tabul. cautum; ut æris confessi ac debiti judicati, creditoribus addicerentur, nervo aut compedibus vincirentur, & capite pœnas darent, eorumque corpora in totidem partes, quot creditores erant, secta dividerentur, aut trans Tiberim venum irent. *De immanitate illa secandi partiendique humani corporis*, inquit Favorinus Philosophus, *non libet meminisse, & piget dicere. Quid enim videri potest efferatius, quid ab hominis ingenio diversius?* At contra differit Cæcilius, & legem defensurus, *Nihil profecto*, respondet, *ea immitius, nihil immanius; nisi, ut re ipsa apparet, eo consilio tanta*

immanitas pœna denunciata est, ne ad eam unquam perveniretur. Addici namque nunc & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt; dissectum esse antiquitus neminem, equidem neque legi, neque audivi, quoniam sævitia ista pœnæ contemni non quita est. Lubet mihi hic cum Cæcilio exercere ingenium, & vocare sub examen istam hujus legis defensionem. Agnoscit nullam eâ immitiorem esse aut immaniorem. Tuetur tamen, quod eo consilio tantæ immanitas pœnæ sit proposita, ne ad eam unquam perveniretur, quodque ad eam, cum contemni non posset, valente etiamnum hac lege, nunquam sit perventum. Laudaverim quidem ergo illorum legislatorum institutum, qui, ad prævenienda mala, & cujuscunque pœnæ necessitatem, denunciant peccaturis, & exigendam præ se ferunt majorem, quam reapse exigere velint, rigidissimam, & ex summo jure petitam pœnam. Est enim id inter eorum non improbanda arcana. Non tamen eò minus vana est, & sine viribus illa à Cæcilio instituta hujus legis defensio. Nam tantæ illius pœnæ terrore pessimi homines haud deterriti sunt à perfidia in pecuniæ mutuatitiæ usu atque commercio. quod illorum temporum exempla abunde ostendunt. Itáque quo minus supplicio huic legatur aut sit factus locus, misericordiæ creditorum, vel immanitatem legis detestantium, vel ex venditis aut occu-

patis

patis debitoribus plus commodi, quam occisis, reportantium, non legi est tribuendum. Jam vero lex revera immanis & iniqua non eo æqua redditur, quod cives, ipsa lege æquiores, potestate sibi ab eâ facta non utantur. Interim haud absurdum nobis videtur, hujus æquitatem legis hîc affirmare. Ea scelera, quæ facillime licet committere, & quibus tolluntur ea officia, quibus intermissis societas agentium inter se hominum constare non potest, quibusque ea auferuntur nobis, quæ custodire non possumus, nisi severissima in scelestos pœna proposita custodiantur, eâdem sunt excipienda. Sunt autem ista omnia in perfidia eorum, de quibus hic agitur, debitorum, qui quovis fure sunt deteriores.

6. Sed neque in cæteris est, quod ut inhumanum merito arguere licet. Permittit lex omnimodo occidere furem noctu deprehensum; diurnum tum demum, si se telo defendat. Uterque enim amplius quid quam furtum creditur meditari. Tempus etiam quo peccatur, auget aut minuit delicta. Ideo furtum gravius punitur, noctu, quam die commissum. Interdiarius fur, qui, ut lex ipsa loquitur, luci furtum faxit, id est, manifestus, & in manifesto furto deprehensus, si liber sit, ei, cui furtum facit, addicitur, &c, amittit libertatem. At fur non manifestus, duplione tantum luere jubetur. Tanto enim majus scelus, ac majore pœna excipiendum est, quanto audacia & animo majore perpetratur.

Major vero est in fure manifesto, quam nec manifesto. Servus furti manifesti prensus, verberibus afficitur, & è saxo Tarpejo præcipitatur; liber autem, quod jam diximus, non amittit vitam, sed tantum libertatem. Lex igitur distinguit delicta & pœnas ex peccantium conditione & personis. Graviore quippe supplicio afficiendi sunt, ejusdem sceleris rei, servi, quam liberi. Illi enim ad furta, & alia id genus scelera, sunt proniores. Pronum vero illud & proclive in ejus conditionis aut nationis hominibus, cujus est qui peccavit, necessarii exempli caussa, pœnam poscit severiorem. Frugem aratro quæsitam furtim noctu pavisse ac secuisse puberi XII. Tabulis capitale est, suspensumque Cereri necari jubent gravius, quam in homicidio convictum. Ejusmodi quippe fur tanto magis peccat quam homicida, quanto facilius factu frugem ita secare & auferre, quam hominem occidere. Quod autem scelus factu est facillimum, & alia ratione averti non potest, difficillimum reddi debet exquisitâ pœnæ severitate.

7. Neque crudelis lex est, sed justissima, quæ sanxit; SI FALSVM TESTIMONIVM DICASIT, SAXO DELICITOR. Omne enim crimen, quod in capitis discrimen adducit innocentem, capitali supplicio persequi convenit. Fit autem illud subinde falso ψευδομαρτυρίαις Neque interim peccat lex; dum generatim loquitur de quovis falso testi-

testimonio. Illi enim sceleri, ex quo, præter minora, subinde maxima oriuntur mala, maximis adæquatam & parem pœnam opponere debent legislatores. Atque ita quæ in Decemviralibus legibus leguntur pœnas ab iniquitatis & inhumanitatis nota probe liberasse nobis videmur.

8. At vero Decemviros prudentia defecit, lata lege; PATRIBVS CVM PLEBE CONVBI JVS NEC ESTO. Institutum quidem laudabile, & patritiis necessarium, sed lege non publicandum. Plurima enim in Rep. egregia, aut noxia sese offerunt, quæ consilio potius arcano, quam scriptæ editæque legi sunt permittenda. Cum verò in hoc opere scribendarum de jure privato, publico, & sacro legum diligentissime essent versati Decemviri, tandem majora, & perpetuam affectare tantam illam potestatem ausi, Appii inprimis, Virginiæ vim intentantis, ambitione ac scelere invisi, finem potentiæ accepere.

CAPUT XII.

DE

Tribunis militum Consulari potestate.

1. DEcemvirorum imperium mox Tribunorum militum consulare jus excepit: Igitur de illo etiam Magistratu, quæque ejus initia ac vis fuerint, nunc nobis dicendum

cendum est. Aricini & Ardeates de ambiguo agro cum sæpè bello certassent, multis invicem cladibus fessi, judicem populum Romanum sumpsere. Is, impulsi Tribunorum plebis, patribus invitis, judicavit agrum publicum populi Romani esse. Nec abnuitur ita fuisse: nihilominus turpe, fœdum, iniquum, & acerbum id judicium Aricinis Ardeatibusque merito visum est. Nemini quippe judici concessum jus est in rem suam litem vertendi, & sibi aliquid, quantumvis jure debitum, adjudicandi. Igitur ea injuria excitati Ardeates bellum meditantur; consules delectum habent, armaque summâ vi apparari jubent. Tum C. Canulejus, Tribunus plebis, rogationes ferre, ut promiscua plebejis cum patritiis essent matrimonia; utque eidem potestas esset seu de plebe, seu de patribus vellet, Consules faciendi; nunquam se vivo delectum habituros Consules minatus, nisi quæ promulgata à se essent plebes scivisset.

2. Ad ea commoti patres, negare jam ultra ferri posse tribunitios furores, & contra promiscua connubia id inprimis testari; non aliam ea vim habere, nisi ut qui natus sit ignoret, cujus sanguinis, quorum sacrorum sit; dimidius patrum sit, dimidius plebis, ne secum quidem ipse concors. At per ea hanc ordinum perturbationem haud afferri vel ex eo apertum est, quod nobilitas, quæ generis dicitur, per solos patres, non autem matres, ad posteros derivetur, ac proinde ex patritio & plebeja

genitus

genitus ordinis sit patritiorum, & ex plebejo ac patritia, plebejorum. Mater namque accipere à majoribus nobilitatis decus, sed sola transferre ad liberos non potest. Quod ut ratio evincit, ita non evertunt quæ de materni generis claritudine, de ejus imaginibus cum paternis conjunctis passim leguntur. Ex promiscuis igitur ejusmodi matrimoniis, non incertam prolem, quod objiciebant patres, sed certam nasci, manifestum est.

3. Sed victi tandem pertinacia plebis, ut de connubio ferretur, concessere, ita maxime rati contentionem de plebejis consulibus tribunos aut totam depositurος, aut post bellum dilaturos esse. Spes tamen illos decepit. Tribuni quippe pro altera de plebejis Consulibus rogatione summa vi pugnavere, &, licet famâ belli indies crescente, delectum impedivere. Patribus ea omnium iniquissima visa est, quod, ut de vulgi turbatoribus, & seditiosissimis quibusque ac infestis patritiorum ordini ad Consulatum hac ratione evehendis, hujusque majestate consortio plebejorum contaminanda, nunc non dicam, ab exactis regibus creatisque primis Consulibus, per tot jam annorum decursum, ipsius populi suffragiis, non nisi patritii ad ejus honoris fastigium promoti essent. Contra Canulejus, Tribunus plebis, nihil novi eâ ferri, asseruit, sed id, quod populi est, repeti atque usurpari: ut quibus velit populus Romanus honores mandet.

4. Si

4. Si meum nunc quoque judicium interponere mihi hîc liceat, pro populo pronuntiare haud dubitaverim. Sicut enim præscriptiones, quemadmodum & usurpationes, neque injuria & haud inutiliter, jure civili sunt introductæ, ita jura imperii totiusque populi, quæ nobilitate sua res alias multum excedunt, præscribi non posse aut debere, statuendum est. Neque hactenus jure suo non usus erat populus; neque, cum in ejusmodi liberâ eligendi & creandi Consules potestate, ejusdem sit nolle cujus est velle, censendum est populum, quia hactenus solos patritios ad consulatum voluerat promotos & promoverat, noluisse unquam plebejos ad eum evectos. Soli quippe patritii huc usque eo donati indicia quidem sunt præteriti & per tot annos continuati de iis populi judicii, sed non futuri. Interim ex his patet, pessime libertati suæ consulere eum populum, qui potestate eligendi quos velit principes aut alios supremos magistratus instructus, intra unius vel domus, vel ordinis angustias vota sua continuo constringit.

5. Licet verò eo jure uti potuisse populum affirmaverim, non tamen ideo tribunorum hoc institutum laudandum est. Multa jure fieri non possunt, quæ tamen facta, quia expediunt egregio publico, laudantur. Multa etiam jure fieri possunt & honesta sunt, quæ quia ad præsentem Reipub. statum evertendum comparata sunt, facta meritò improbantur.

bantur. Si igitur, ut recte judicabat Augustus, optimorum civium sit qualemcunque præsentem Reipub. statum non mutare, quod τὴν παροῦσαν πολιτείαν διαφυλάττειν vocat Isocrates, quidni tribunos, qui plebejos ad Consulatum promotos, qui repeti toties agrarias leges voluere, sicut & illos, qui cæde Julii Cæsaris revocare veterem Rempub. & libertatem conati sunt, pro pessimis civibus habeamus?

6. Consules ac patres, cum jam viderent aut hostibus, aut civibus, de victoria concedendum esse, in diversa trahebantur. Erant qui Consules armandos in tribunos censebant. Alii optimo consilio abhorrebant à bello civili, violandisque tribunis, quos fœdere icto cum plebe sacrosanctos accepissent. Nam, neque in tribunos, licet horum motuum præcipuos auctores, ferro aut cæde grassari fas erat patritiis; neque cuiquam vel principi, vel ordini, vel singulis, jus suum, quod in Repub. habent, bello civili persequi aut tueri convenit. Hujus enim declinandi caussa illud remittendum est. Et ea sola bella civilia licita sunt, quibus ad avertendum præsentissimum alias Reipub. exitium contenditur. Cætera omnia, utut justa eorum sit caussa, injusta sunt & illaudata, haud aliter ac remedia, quæ malis, quibus opponuntur, sunt atrociora. Per hæc consilia eò deducta res est, ut Tribunos militum consulari potestate promiscuè

ex

ex patribus ac plebe creari sinerent; de consulibus creandis nihil mutaretur. eoque contenti tribuni, contenta plebs fuit.

7. Tribunatus militum consulari potestate extraordinarius est in Romanâ Repub. Magistratus, quem, quo Consulatus honos plebejorum consortio non contaminaretur, & nihilominus satisfieret desideriis plebis, præcipuam dignitatem secum communicandam urgentis, pacis caussa plures, tam patritiorum quam plebejorum ordinis, consulari potestate donati, Tribunorum militum, non consulum nomine, nullis interim Consulibus creatis, gerere potuere.

8. Inde *Tribuni militum Consulari potestate*, *Tribuni militum pro Consulibus*, Livio, *Tribunorum militum consulare jus*, Tacito Annal. 1. dicuntur. Plutarchus sub initium vitæ Camilli eorum potestatem descripturus, appellat nomine χιλιάρχων ἀπ' ἐξουσίας καὶ δυνάμεως ὑπατικῆς ἅπαντα πραττόντων, id est, *Chiliarchorum, vi & potestate consulari omnia agentium.* Tribunorum militum vocabulum placuit, ut plebejis simulachro Consulatus contentis, & interim forte animum mutaturis, Consulatus nomen illibatum & integrum patritiis maneret. In quo patritiorum prudentiam quis non laudaverit? Quanquam enim nomen solum alicujus dignitatis habere non vim, res vana & prope nihili sit; tamen immane discrimen est inter vim & non nomen,

ac

ac nomen ac ſimul vim habentem. Nomen quippe ad vim adjicit honorem & dignitatem, non autem delata ſine nomine poteſtas. Idcirco eadem auctoritate inſtructis non tribuuntur iidem honores, ſi eodem nomine ac titulo non ornentur. Ergò in Repub. Romanâ diverſi ſunt Conſules; & Tribuni militum conſulari poteſtate, qui à nomine deſtituti tantum quaſi Conſules fuere. Unde ſequitur, concedentibus patribus, ut Tribuni militum conſulari poteſtate etiam ex plebejis crearentur, eo nomine nullam his poteſtatem factam eſſe gerendi Conſulatus. Hoc autem patritii volebant. Artis verò hujus uſus opportunus & pulcherrimus eſt, & ubi deſideria ac motus eorum, qui hactenus à præcipuis dignitatibus excluſi, imponunt earum vim communicandi neceſſitatem, ubi eorum miniſterio & virtute opus, quos ejuſmodi dignitatibus ornare per leges Reipub. non licet, & ubi magnifico nomine, & ſic ſimul pompa, magnæ poteſtati detractis, ærario conſulitur. Horum primum Romanæ Reipub. hos Tribunos dedit.

9. Comitia igitur iis creandis indicuntur. *Eventus eorum*, ut loquitur & judicat Livius, *docuit alios animos in contentione libertatis dignitatiſque, alios ſecundum depoſita certamina incorrupto judicio eſſe. Tribunos enim omnes patritios creavit populus; contentus eo quod ratio habita plebejorum eſſet. Hanc* modeſ-

modestiam, æquitatemque & altitudinem animi, ubi nunc in uno inveneris, quæ tunc populi universi fuit? Liceat mihi à tanto auctore dissentire. Jure suo nunc maximè uti & plebejorum habere rationem debuit populus, qui eo hactenus non usus experiendo didicerat sese in harum contentionum gravissimam tempestatem incidisse. Aliàs ipso facto jam confirmato jure, patritii plebeiis poterant anteferri, cum res ipsa dictet, nobiles, si cætera sint pares, ignobilibus in distributione publicorum honorum esse præponendos.

10. Tres verò potius quam duo creati, vel quo, ut opinor, inter eos & Consules numeri etiam esset dissimilitudo; vel quod in oligarchia tantò securior sit libertas, quanto plures imperant. Hi verò Tribuni identidem numero aucti, & interpositâ nonnunquam ordinaria Consulum potestate, per annos octoginta in Romana Repub. mansere.

CAPUT XIII.

DE

Censoribus & Censura morum.

1. PRimis Tribunis militum Consulari potestate, quod vitio creati essent, augurum decreto abdicatis, & Consulibus suffectis, annus Urbis CCCXI. M. Geganium Macerinum iterum, T. Quintium Capi-

Capitolinum quintum Coss. & primos Censores Romæ dedit. *Ortum autem initium rei est*, ut tradit Livius, *quod in populo per multos annos incenso, neque differri census poterat, neque Consulibus, cum tot populorum bella imminerent, opera erat id negotium agere. Mentio ergo illata à Senatu est, rem operosam ac minime consularem suo proprio magistratu egere: cui scribarum ministerium, custodiaque & tabularum cura, cui arbitrium formula censendi subjiceretur.* Neque Tribuni plebis dissensere. Reipub. quippe administratio nunquam rectius sese habet, quam ubi singulis ejus negotiis gerendis proprii magistratus, nullo alio munere aut procuratione districti, imponuntur. Multitudinem proinde diversorum magistratuum pro multa diversaque imperii necessitate optimo semper consilio Romani probavere. Census ergo, quem Servius Tullius instituerat, quinto quoque anno agendi, hoc est, Populi Romani ævitates, soboles, familias pecuniasque censendi, populi partes in tribus distribuendi gratia primi Censores sunt instituti. At ea dignitas, à parvâ origine orta, tanto deinde incremento aucta est, ut morum disciplinæque Romanæ penes eam regimen, Senatus, Equitumque Centuriæ, decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus nutu atque arbitrio essent. Unde illa magnifica apud Tullium de LL. CENSORES MORES POPULI REGUNTO; PROBRUM IN SENA-

SENATV NE RELINQVVNTO. Et Plutarcho in M. Catone majore Censura dicitur κορυφή τις τιμῆς ἁπάσης καὶ τῆς πολιτείας ἁπάσης ἐπιτελείωσις; *Fastigium quoddam honorum omnium, & quodammodo omnium in Repub. actionum consummatio.* De ea ergo, cum de Censu alibi disputatum sit, nunc nobis nonnulla sunt dicenda.

2. Censura in Repub. Romana magistra pudoris & modestiæ fuit; quâ toto quinquennio donati duo, integritate ac modestia ita præ cæteris excellentes, ut eorum vitæ exemplum reliquorum norma esset & optima censura, corruptos aut suspectos aut vergentes magistratuum, vel reliquorum civium mores, de quibus scribi leges, aut in quos pœnæ decerni non poterant, notandi liberrimam habebant absolutissimamque potestatem.

3. Multæ autem ac graves sunt, quæ Censuram in Repub. commendant rationes. Inprimis illa, quod plurima sese offerant mala, quæ legibus commode comprehendere non licet, aut indictis pœnis antevertere. Neque enim omnia, quæ nocent Reipub. aut prosunt, legum esse possunt argumentum. Quædam igitur, maxime quæ spectant civium mores, requirunt non tam leges, quam sine legibus magistratus, sicut alia requirunt simul & leges, & earum custodes, judices ac magistratus. Pone illas Sumptuarias, toties in Romana Repub. repetitas, & tantopere

pere celebratas. Haud mihi dubium est, quin luxus illorum temporum, quæ Censuræ severitatem adhuc patiebantur, arbitrio Censorum melius potuerit coarceri. Luxus enim & alia ejusmodi nulla lege accurate satis describuntur, aut prohibentur. Et certe cum sint tria præcipua, eaque distincta, juris præcepta; *Neminem lædere; Jus suum cuique tribuere, & Honeste vivere*, duo priora legum sunt argumentum, tertium legibus commode non potest explicari. Illa boni civis, hoc boni viri spectant personam. Quanquam autem vir malus, quod & docet Aristoteles in Politicis, possit esse bonus civis, interest tamen Reipub. bonos cives etiam esse bonos viros, quia à malo viro facile deponi potest boni civis persona.

4. Cum etiam virtutes sedes suas habeant in divinis & naturæ præceptis, (neque enim ex vero, aut pro virtutum majestate disserunt, qui omnes eas collocant in mediocritate) & hæ per quosdam quasi gradus, oblivionem, contemptum, quæsitasque aut paratas peccandi occasiones, facile deserantur, ac leges, earumque custodes magistratus non nisi facta aut adulta jam vitia pœnis persequantur, necessaria visa est Censoria auctoritas, cujus severâ & tempestivâ animadversione, velut sufflamine injecto, futura & jam imminentia prævenirentur. Præstat enim in peccaturos animadvertere, quam eos punire, qui jam peccarunt.

5. Cum

5. Cum denique in Repub. multi suspecti esse possint, velut vitam minus recte instituentes; atque adversus eos non minus, quam illos, quos plane constat esse tales, Reipub. paci ac commodis sit prospiciendum; & in suspectos ex legibus non possit animadverti (nisi quod in suspicione affectati imperii, aut læsæ ejus majestatis, pœnæ locus esse posse videatur) quis non videt, sine ulla iniquitate, suspectis Censorio arbitrio notatis, hac etiam parte reddi posse Rempub. & securiorem, & meliorem.

6. Ad hæc, plurima delicta sunt, quæ nec debet punire lex aut judex. Ea, nempe, quibus etiam levissimæ pœnæ publicarum legum graviores sunt. Omnes enim ejusmodi pœnæ graves sunt vel eo solum nomine, quod publicæ sint, & auctoritate publica indicantur. Jam verò constat, delicta multa esse, quæ gravem pœnam non merentur. Unde colligere promptum est, quamvis levissimâ publicâ pœnâ, cum omnis illa gravis sit, ea excipienda haud esse. Debet quippe proportio esse inter delictum & pœnam. Quæ autem proportio esse potest, inter quodvis mendacium, quamvis avaritiam, quamvis simultatem, contentionem, lasciviam, & quæ ejusmodi plura alia exempli gratia in medium hic possent adferri, ac levissimam etiam publicam, sed sic gravem, pœnam? Quâ ergo ratione fit, ut non omni virtuti præmium in Repub. debeatur, eadem fit,

ut

ut non quodvis vitium pœnâ excipiatur. Interim haud ſtatuendum eſt, ea omnia permiſſa voluiſſe legumlatores, quæ impunita reliquere; aut alia viâ coarcenda non eſſe, quæ per leges non puniuntur. Coarceri namque poſſunt per Cenſores, aut ſimili poteſtate inſtructos alios, quæ alias curæ Magiſtratuum exemta, & ob omni nota penitus intacta, in Reipub. perniciem tandem aliquando ſunt exitura.

7. Has ob cauſſas Romani non leges de moribus tulere, ſed conſtituerunt præfectos morum, pudoris, modeſtiæ; privatæque diſciplinæ, nullis legibus, nulli inquiſitioni obnoxios; qui pro arbitrio quemvis inhoneſte actæ aut ſuſpectæ vitæ nomine notandi poteſtatem habuere. Non teſtibus tabulis, probationibus, interrogationibus, exceptionibuſve apud eos locus. Tantæ quippe auctoritatis vi inſtructos eſſe conveniebat, qui corrigendis illis civitatis moribus adhibeantur, qui ibi habitant & latent, ubi non penetrant jura; in quibus ſi litium ambages, & ſolennes ordines judiciorum exigantur, & res & auctoritas evaneſcant.

8. Cives autem prorſus ſic notabant Cenſores, ut qui Senator eſſet, Senatu ejiceretur, equiti Equus publicus adimeretur, plebejus in Ceritum tabulas referretur ac ærarius fieret, atque adeo non eſſet in albo centuriæ ſuæ, quâ civis, ſed tantummodo ut pro capite ſuo tributi nomine æra penderet.

Neque tamen illa animadversio aut pœna fuit aut dicenda est, cum sub legitimæ pœnæ definitione haud quaquam possit comprehendi. Neque enim in his tam judicium Censorum, quàm arbitrium & velut præjudicium quoddam fuit. Unde illud Ciceronis lib. IV. de Repub. *Censoris judicium nihil fere damnato adfert præter ruborem.* Itaque, quod omnis ea Censoria judicatio versaretur tantummodo in nomine, animadversio illa, *Ignominia* dicta est. Ignominia autem & infamia multum differunt. Inde & *notare* tantum Censores dicebantur. Et hæc merito sic instituta, cum Censoria animadversio in iis se tantùm occuparet, in quibus, quod jam diximus, legitimæ pœnæ non erat locus.

9. Sunt qui urgent hodie etiam ad Romanorum exemplum in Rebuspub. constituendos esse ejusmodi Censores. At haud satis illi meminisse videntur temporum, quibus nati sunt; quibus facilius multo est utriusque illud veteris Romanæ integritatis gravitatisque institutum admirari, quam imitari. Nos inter, qui Christo diximus sacramentum, penes præsides præstitesque sacrorum, per leges divinas ea est potestas, quâ dum alia merito puniunt, aut notant, quæ merito non punit Magistratus; alia merito non puniunt, quæ tamen merito punit Magistratus; disciplinæ morum ac honestati inter Christianos cives satis superque est provisum.

CAPUT

CAPUT XIV.

DE

Mutatione Reipub. & initiis Monarchiæ Cæsarum.

SIVE

C. JULIUS CÆSAR.

1. CUm jam longe lateque orbe perdomito princeps gentium esset Roma, ejusdemque majestas foris ubique adoraretur, in exitium libertatis suæ domi grassari cœpit. Quippe per omnes tracta imperiorum formas ac exercita, regum, optimatum, &, cum tribuni plebis prævalerent, populi etiam dominationem, pressa ordinum continuis dissensionibus, postquam paucorum potentiæ se per annos jam plures sensisset obnoxiam, tandem, urgentibus imperii fatis, veterisque Reipub. instituta moribus hominum haud diutius ferentibus, unius principis arbitrio se submisit, inque sinu ejus fessa & fatigata discordiis, velut quietura, consedit; oblita juris jurandi, quo se, post ejectos feliciter Tarquinios, obstrinxerat olim populus, nunquam passurum sese aliquem Romæ regnare.

2. Ergo ex laceratis usque adeo veteris Reipubl. visceribus, ut jam prope esset nulla, augustissima illa Monarchia Cæsarum

enata est; cœpta quidem in Julio & iterum accisa; revocata tamen ab Augusto, ab eodem Tiberioque aucta, ab his ad reliquos ejusdem sanguinis hereditario velut jure transmissa, dehinc usque ad ipsum imperii occasum (neque enim aut Romanum imperium, aut Romani Cæsares jam dicendi sunt) continuata; ita hæc dispensantibus fatis, ut in quo cœperat imperii modo imperium Romanum finiretur.

3, Monarchia autem Cæsarum Romanorum nihil aliud fuit; quam unius regia summa & absolutissima potestas, sive παμβασιλεία, hereditario jure ad posteros transmissa, qua omnis Senatus populique Romani potestas inter ipsa statim initia penitus est exstincta. Inde populus Romanus, post ejectos reges liber, sub Cæsaribus invidioso potius, quam convenienti nomine dicitur, *servire*; ut & libertas ejus sublata, dum Cæsarum imperium & libertas fere opponuntur. Quod tamen haud ita accipiendum est, ac si nulla sub Cæsarum dominatu fuerit populi libertas, sed quod non ea, quæ in veteri Repub. in quâ & penes populum præcipua ac insignita maxime pars imperii erat. Nec enim imperium sed tyrannis est, ubi omnis adempta est populo libertas. Quod quis de Romanorum Cæsarum, aut aliorum omnium, quorum itidem summa est potestas, imperio meritò affirmaverit? Quantumvis enim obnoxius & non suus populus tacitis legibus ad salu-

ſalutem communem procurandam ita obſtrictos principes ſibi habet, ut iis violatis ne quidem agnoſcere eorum principatum teneatur. Cæterum illius tam celebris mutationis, qua in omnium optime conſtituta & tot pro libertate repertis legibus ac magiſtratibus confirmata Repub. unius imperium factum eſt, quod omnium fuerat, cum initia jam nobis breviter explicanda ſint, & quæ huc faciunt prope ſint infinita, neque nunc ſingulatim expendemus omnia, neque præcipua, ex quibus facile colliguntur cætera, prætermittemus. Quod poſtremum facile obtinemus, ſi in duo, cum ſtatum Reipub. Romanæ, qualis tunc fuit, tum Julium Cæſarem (nam de Auguſto ejuſque rebus ac artibus alibi dicendum erit) propius inſpiciamus.

4. Et faciem quidem Reipub. inſpectantibus haud alia quam corruptiſſima offertur; in qua non jus, non leges, non pax valebant, ſed ſtudia tantum, eaque acerrima & infeſtiſſima nunc ſurgentium, nunc ſuccumbentium factionum; per quas armato in ſuum exitium populo Mariana quidem Cinnanaque rabies intra urbem præluſerat, ut Syllana tempeſtas latius, intra Italiam tamen, detonaret. *Cauſſa mali*, ut recte Florus lib. IV. cap. II. *eadem, qua omnium, nimia felicitas.* Per hanc enim dum aliis odio eſt nimia quorundam potentia, alii partam retinere, alii parem comparare ſtudent,

 aliis

aliis procerum, aliis populi, aliis militum sibi studia conciliantibus, facile pauci cæteris majores, Cæsar, Crassus, Pompejus de invadenda Repub, quæ per priorum temporum dissensiones prope exstincta jam erat, convenere. Hæc prima est triumviralis oligarchia, qua terrarum orbis imperium trium societate, à Cæsare Gallia, à Crasso Asia, à Pompejo Hispania, à singulis maximi exercitus, sunt occupata. Decem annos traxit ista dominatio. Exinde, quoniam mutuo metu tenebantur, ut raro in societate potentiæ est concordia, Crassi morte apud Parthos & morte Juliæ Cæsaris filiæ, quæ nupta Pompejo generi socerique concordiam matrimonii fœdere tenebat, statim æmulatio erupit. Jam, ut idem Florus loquitur, Pompejo suspectæ Cæsaris opes, & Cæsari Pompejana dignitas gravis. Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. Inde fax belli civilis. Quo superior Cæsar perpetui Dictatoris nomine omnia mox sub potestatem accepit. Multorum ergo certamina de imperio desinunt fere in oligarchiam, aut potentiam paucorum; hæc autem facile se vertit in Monarchiam, sive dominationem unius, qui aut melior cæteris sit, aut viribus major Neque sane est quod magis expediat discordanti Reipub. quam unius absolutissimus principatus. Supremum fastigium cum non admittat controversias de imperio, & diffidentium aliarum Rerumpub.

præ-

præſentiſſimum remedium ſit, haud abſurde illi ſentiunt, qui Monarchiam, ſi quidem eam ingenia hominum pati poſſint, reliquis imperiorum formis anteferendam eſſe arbitrantur.

5. Acceſſerat ad tot tantarumque diſſenſionum mala neglectus mos, tanta olim majorum prudentia conſtantiaque obſervatus, eminentium hominum virtutes parce colendi, ne ſcilicet, quia conjunctam plerumque ambitionem habent, nimis aut honoribus evectæ, aut inſtructæ viribus, contempta exutaque æqualitate, ac viciſſitudine parendi & obſequendi, ad mutandam invadendamque Rempub. aliquando verterentur. Tantum quippe periculum imperio, præſertim plurium, imminet à ſummis quorundam & exquiſitiſſimis virtutibus, ſi quidem nimium extollas, quantum à ſummis vitiis. Quare non in populari tantum, ſed & optimatum ſtatu pro æqualitate partium, ut rectiſſime obſervat & in Oratione de C. Cæſare Dictatore loquitur illuſtris Heinſius, ab iis, quorum intereſt, inprimis vigilandum eſt. quæ non dignitates modo nimias ac opes, ſed nobilitatem, aliaque id genus, ac, ut Ariſtoteles præclare ſentit, virtutem quoque nimiam excludit. Nam & virtutes quorundam nimiæ eſſe poſſunt Reipub. ac ideo ſuſpectæ eſſe debent. Inde laudabilis inſtituti & æquiſſimus ille Athenienſium & Epheſiorum Oſtraciſmus,

quo factum; Ne quis ex omnibus unus, etiam virtute, nimium excelleret; si quis excelleret, alio loco & apud alios esset, atque in exilium mitteretur. Quod qui iniquum esse existimant, quam æquum, quia necessarium, sit jus dominationis in Repub. & quid huic debeatur, ignorant. Certe in Cæsare ac Pompejo id neglectum, dum ut virtutibus eminent supra cæteros, ita auctoritate & honoribus extolluntur, ad unius potentiam ac dominationem viam stravit. Constans ergo ac egregia pro Repub. fuit vox illa Catuli apud Vellejum lib. II. Esse quidem Pompejum præclarum virum: sed nimium jam liberæ Reipub. neque omnia in uno reponenda. Qui ergo honorum bene gestorum in Repub. majores collatos debere esse præmia contendunt, nimium falluntur. Neque enim tantum cuique in Repub. tribuendum est, quantum meretur, sed quantum securitas Reipub. patitur.

6. Quibus Reipub. vitiis factum sit, ut unius opportuna dominationi redderetur, jam constat. An juste & bono publico eo pervenerit Cæsar, restat ut explicemus. De eo enim inprimis ambigitur. Plerique enim tyrannum, patriæ libertatisque communis & bonorum omnium hostem appellant; & meliorem Pompeii, quam Cæsaris caussam fuisse contendunt. Nobis Cæsaris quam Pompeii caussa melior; &, quanquam Pompeii *illa*, Reipub. caussa ac hominum meliorum,

liorum, ipsius etiam Catonis tunc haberetur; hi boni nobis potius, quam prudentes, factio potius, quam Respub. fuisse videntur. Quas privatas gravesque Cæsari injurias Pompejus intulit, quod attinet, sine armis civilibus salvi esse non poterant aut Cæsar, aut tot alii, qui eum sequebantur. Neque interim istam belli civilis justam caussam esse posse asserimus. Quippe quantumvis innocenti & quibusvis machinis in exitium petito civi ea defensio haud permissa est, quæ bella civilia secum trahat. Nec, si ad ea, quæ Reipub. quisque debet, attendamus, hic locus est ulli ejusmodi armatæ privatæ innocentiæ defensioni. Quanquam enim Respub. repertæ sint, ut omnium in singulis, & singulorum in omnibus salus obtineatur, hac tamen lege quisque convenit in societatem civilem, ut justius sit perire innocentem privatum, quam ejus salutis caussa Rempub. salvam non esse.

7. At vero si bella ea omnia, etiam civilia, æquissima censenda sint, quæ ad salutem civium ac imperii decus & amplitudinem revocanda referuntur, quibusque imminens jam iis ultimum exitium avertitur, bellum à Cæsare contra Pompejum gestum haud modo æquissimum, sed necessarium fuisse contendimus. Respub. quippe Romana, in partes tot per annos divisa, in eum statem pervenerat, ut nomen tantum & imaginem, non vim ac usum Reipub. haberet,

beret, nec tam ſocietas civilis eſſet, quam diſſolutio quædam ſocietatis. Si ergo laudibus in cœlum merito extollantur illi, qui primi homines vagos & inconditos vi etiam in ſocietatem civilem convenire ſubegerunt, non minus hercle commendanda ſunt Cæſaris auſa, quibus florentiſſimam olim Rempub., jam nullam, velut ab exitio revocandam ferro, cum aliter non poſſet, & omnes pacis oblatæ conditiones à Pompejo repudiarentur, ſuſcepit. Juſtiſſima ergo Cæſari cauſſa belli fuit, & cauſſæ, magno imperii bono, favit fortuna, cum ea ex Pompejo, cujus atrocius fuiſſe ingenium conſtat, ſperare non potuerit populus Romanus, quæ ex admiranda illa manſuetudine victoris, ſed omnibus ignoſcentis, Cæſaris accepit. Intererat Reipub. ut Pompejus vinceretur.

8. Victo in Pharſaliæ campis Pompejo, ac in Ægypto occiſo, reliquaque omni factione debellata, major jam omnibus Cæſar delatam ſibi ſub perpetuæ Dictaturæ titulo ſupremam poteſtatem accepit; quam, ſed trimeſtri ſpatio circumſcriptam, vetus etiam Reſpub. optimo conſilio identidem admiſerat. Inde illa multorum judicia de Cæſare, velut tyranno, qui oppugnaverit patriam, everterit Rempub. ac oppreſſerit libertatem; & de Cæſarum imperio, velut in primordio ex tyrannide enatum, legitimum demum factum ſit quadam quaſi uſu-

usucapione & longi temporis præscriptione, per quam fit ut in privatis rebus, jure Romano, juxta possessorem pronuncietur. Contra nobis certe videtur. Non oppugnavit patriam, non evertit Rempub. aut jugulum libertatis Cæsar petiit, sed inter eos, qui magis sine legibus & magistratibus vivebant, quam in libertate, eam probavit ac prætulit imperii formam, quam tempora & mores hominum flagitabant, & quæ ad publici egregii bonum reddendum sola erat comparata. Quin igitur legitimi principes fuerint & Cæsar, & qui eum, ut oportet, in imperio excepere, haud dubitandum est; subscribendumque judicio Taciti Annal. I. *Non aliud discordantis patriæ remedium fuit, quàm ut ab uno regeretur.* & iterum Hist. I. *Omnem potestatem ad unum conferri, pacis interfuit.*

9. Iniquissimi autem & perditissimi illi, qui in Curiâ Pompejâ Cæsare oppresso, tribusque supra viginti vulneribus confosso, cæde tanti principis sese cruentavere. Quanquam enim ea tempestate id facinus aliis pulcherrimum, aliis deterrimum videretur, ut legere est Taciti Annal. I. nobis tamen magna ratio est statuendi, eos ut improspere, ita quoque impie ac scelerate repetiisse veteris Reipub. libertatem. Neque aliter sentiendum persuadent quæ ad necem Cæsaris impulisse ejus percussores,

tradit Suetonius, Non enim illa satis ostendunt tyrannidem in imperio Cæsarem exercuisse: & boni civis est amare ac tueri præsentem qualemcunque Reipub. statum, etiamsi possit melior dari. Quod de principibus ille, de Rebuspub., licet undiquaque non optime sese habeant, affirmaverim; Non esse iis usui crebras mutationes.

10. Imprudenter tamen Cæsar, qui summum rerum fastigium jam indeptus, & Dictatoris nomen accepit, & uno omnia momento mutare aggressus est; denique corporis armatos custodes amovit. His enim provocato odio interitum sibi acceleravit. Quanto consultior Augustus? qui & nomine Principis omnia sub imperium accepit; & paullatim insurrexit ac veteris Reipub. instituta immutavit. Nec enim satis periti rerum sunt, qui mutata Repub. uno velut ictu mutari omnia debere statuunt. Sed hæc de C. Julio Cæsare Dictatore pro instituto nunc dixisse suffecerit.

CAPUT

CAPUT XV.

SIVE

Octavius Cæsar Augustus.

1. JUlium Cæsarem, ejus ex sorore Julia nepos, & testamento hæres scriptus, ac Augusti nomine mox salutatus, Octavius excepit. Ad cujus principis confirmandum fastigium, & depellendam calamitatem illorum temporum, quæ, ut maximus auctorum loquitur, ipsâ etiam pace fuerant sæva, togæ pariter & belli artes, concurrêre; quarum istis æmulos, Antonium inprimis & Lepidum, exuit aut evertit; hisq; omnibus jam sub imperium nomine Principis acceptis, sibi ac simul fessæ bellis civilibus Reipub. pacem ac robur conciliavit. Plurium enim potentium de imperio certamina, unius imperio plerumque & optime finiuntur.

2. Cæterum Augusto, factione jam omni feliciter debellatâ, de ordinanda Repub. anceps cum Agrippa inprimis & Mæcenate, amicorum intimis, deliberatio fuit. Horum ille, sicut Dio Lib. LII. Historiæ Romanæ luculenter tradit, ut Rempub. Senatui & Pop. Romano redderet, neque pristinam ejus formam mutaret, auctor fuit. Democratia inprimis laudata; quod æqualitatis, quæ in eâ est, & nomen speciosum & res justissi-

justissima sit. *Qui enim*, inquit, *eandem naturam acceperunt, ex eâdem gente nati, iisdem moribus imbuti sunt, iisdem legibus utuntur, eundem corporum animorumque usum patriæ exhibent, qui non eos justum sit cæterorum quoque omnium honorum participes esse? Qui enim eadem conditione nati sunt, æqualitatem appetunt, eâque potiti gaudent, destituti dolent; neque volunt sub unius semper esse imperio, neque ferunt se laborum, periculorum, impendiorumque participes, rerum meliorum communione privari.* Ista pro Democratia tum ille. Verum ut hæc gerendæ Reipub. forma non est illaudabilis, neque eâ melior est Monarchia, ita eam Romanorum rebus tum non convenisse cum Tacito judicamus. *Pacis*, inquit ille, *interfuit, ut ab uno Respubl. regeretur.*

3. Addit Agrippa; Longe esse facilius in Democratia, & imperare ea quæ gravia sunt, ut tributa, & imperata obtinere, quam in Monarchia; quod nempe id Monarchia unus omnibus imperet, in Democratia vero, quod facillimum est, quisque & imperet sibi & obsequatur. At vero falsum nobis videtur, faciliorem in Democratia, quam Monarchia, imperii & obsequii esse rationem.

4. *Ad hæc* (ita porro ad Augustum Agrippa) *multi genere, divitiis, aut alia fortuna excellentes, viri alioqui boni, principatui tamen unius hominis infesti existent. Hos neque, si augeri patiare, tutus vires; neque si opprimere*

primere coneris, juste ages. Si iis exercitus ac provincias committes, periculum erit, ne tecum Reipubl. à te instituta status subvertatur. Neque enim vir egregius ullus sine magno animo nascitur. Sin autem hujusmodi viros nullis negotiis præficias, sed ea ignavis & contemptis injungas, mox & strenuorum iram, ob contemptam à te eorum fidem concitabis, & maximis in rebus clades patieris. Neque hujus etiam rationis pondus aliquod aut momentum est. Ut enim pessimi Principes securi esse non possunt, sive optimorum sive pessimorum ministerio utantur; ita optimis in optimis & maximis viris auctis præcipuum & Majestatis & Reipubl. munimentum est.

5. Denique petito à Romanorum regibus exemplo, *Nos ipsi,* inquit, *Romani, quum ante, diverso modo Republ. instituta,* id est, Regibus obnoxii, *multa pertulissemus incommoda, deinde libertatem appetivimus, eamque consecuti ad tantam hanc potentiam pervenimus; non aliis quidem ullis, quam popularis Reipub. adjuti bonis, quum & Senatus auctor fieret, & populus juberet.* Cæterum nec huic etiam in hac deliberatione rationi est locus. Fuerint olim & merito Romanis Reges detestati; iisque ejuratis ad formidatam omnibus potentiam magno gradu provecta sit res Romana; nunc temporis tamen convenientius ei erat unius, quam plurium & populi imperium. Ita enim fere fit in rebus huma-

humanis, ut, pro diversa temporum conditione, una atque eadem imperandi ratio, laudanda nonnunquam, subinde detestanda merito videatur. Primo ergo Reges, dein Senatus & populi, tandem iterum unius principis imperium fatigatæ discordiis civilibus Reipub. debebantur.

6. Contra vero alia omnia Mecænas apud Augustum differebat, monebatque, ut si quidem patriam amaret, pro qua tanta jam gesserat bella & feliciter confecerat, veterem Reipub. formam mutaret, solusque ipse amplissimum imperium capesseret; ea potissimum usus ratione, quod imperium Senatui & populo reddere jam aut permittere nihil esset aliud, quam impotes mentis, datis jam furoris utriusque plurimis documentis, gladio donare. Et id quidem consilium prudenter, ac non ex suo tantum, sed & ipsius Reipub. usu amplexum esse Augustum, haud dubie statuendum est.

7. Solo autem & in vetere Repub. etiam agnito Principis nomine usus, Dictatoris illud offerente populo, deprecatus est; Domini autem appellationem, ut maledictum & opprobrium, semper exhorruit. Scilicet vi ac potestate summi imperii munitus, ac contentus, superba illa ac gravia libertatem cogitantibus nomina sapienter repudiavit, cum per ea & augeri non posset summa jam ejus potestas, & odio tantum exponeretur.

8. Tri-

8. Tribunitiam tamen potestatem perpetuam sibi fecit, & quod dignitatis ejus ea vis esset, ut sacrosanctus efficeretur, instar tribunorum; & ut illo summi fastigii à se reperto vocabulo, nec Regis aut Dictatoris inviso jam nomine assumto, appellatione tamen aliqua cætera imperia præmineret. Callidè quippe intelligebat, haud usurpanda esse principibus illa vocabula, quæ, quanquam summam potestatem significantia, populo sunt invisa.

9. Pontificatum quoque maximum, mortuo Lepido, suscepit. Hoc enim ad αὐτοκρατορίαν, sive summam potestatem omnino absolvendam requirebatur. Duobus quippe, religionum nempe cærimoniis, & legibus humanis, Respub. omnis continetur. quarum potestas cum est penes principem, nihil est quod ultra possit desiderare.

10. Cum verò consilium Augusto de retinenda sibi suisque Monarchia jam staret, mox de illius dominationis subsidiis prudenter cogitavit. Quo igitur quam occupaverat, inter tot factionum & conjurationum, quæ metuebantur, tempestates conservaret, & ad posteros quoque transmitteret, Cajum & Lucium nepotes, ex iisque defunctis, Agrippam Posthumum & Tiberium, in familiam Cæsarum induxit, aut adoptavit. Expedit, quippe haud modo Reipub. sed & interest ipsius principis, ne successor in incerto sit. Ita enim fit, ut & pluribus munimentis insi-

insistat ipse, & ambitiosæ aliorum spes cohibeantur. Ac falluntur sane qui intutum dominanti esse statuunt, ab eo vivo successorem destinari. Rectius Tacitus, qui ejusmodi hæredes imperii nuncupatos, & palam etiam agnitos, vera nuncupantium principum *munimenta* Annal. 1. appellavit.

11. Inter hæc, velut præcipuo retinendi imperii instrumento, rara ac inusitata & obvia omnibus comitate, ad promiscuas salutationes plebe etiam cottidie admissa, animos omnium suos fecit. Nempè civile illud Principum ingenium maximum majestatis eorum decus est ac munimentum. *Unum*, inquit de Trajano suo Plinius, *ille se ex nobis putat*, & *ideo magis excellit*, *quia se unum ex nobis putat*. Et verum majestatis pretium ac ingenium illi ignorant, qui illud civile contemptum majestatis esse arbitrantur.

12. Rempub. autem optimis artibus composuit & administravit, nisus omni modo, ne quem novi status pœniteret. Imprimis autem pleraque, ut ait Suetonius, *pessimi exempli correxit*, *quæ in perniciem publicam*, *aut ex consuetudine licentiaque bellorum civilium duraverant*, *aut per pacem etiam exstiterant*. Ac id quidem non uno ictu, sed paullatim. Quemadmodum enim natura infirmitatis humanæ, ita etiam in emendanda corrupta Rep. tardiora esse debent remedia, quam mala. Qui omnia pariter & statim sublata vult, plerumque non tollit ea, sed auget. Augustus in primo

mo aditu Principatus habebat quidem jam potestatem jubendi ea omnia, quæ vellet, sed nondum prohibendi ea omnia, quæ nollet. Longe enim majus est prohibere, aliquid posse, quam jubere. Itaque identidem Principibus rerum in administratione Reip. cogitandum est, plures jubere omnia posse, quam prohibere.

13. Quod provincias spectat, earum alias, easque pacatas populo scripsit, quæ à Proconsulibus sortito lectis administrarentur, & *Provinciæ populi* dicebantur; alias, easque impacatas, (validiores vocat Suetonius) sibi retinuit, quæ *Provinciæ Cæsaris* appellatæ, & per legatos ejus administratæ. Callide profectò & prudenter. Hac enim ratione, ut Dio Cassius notat, Senatum inermem imbellemque efficiebat, & ad se solum arma milites que, præcipuam imperii vim, cum armatis Provinciis transferebat.

14. *Præsidibus autem Provinciarum*, inquit Suetonius, *propagavit imperium, ut & à peritis & assuetis socii continerentur.* Neque sane usui Rebuspub. sunt crebræ magistratuum mutationes. Per has enim plerumque fit, ut amoris expertis, rerum inexperti succedant. Annui etiam illi magistratus & ignorant suos, & à suis ignorantur.

15. Militiam quod attinet, legiones & auxilia provinciatim ita distribuit, ut ad tutelam claustrorum imperii, præsertim ad Rhenum in Germania, nihil desideraretur. Quod poste-

posterioribus temporibus neglectum latissimam viam irruptionibus Barbarorum aperuit. Utque perpetuo ac sine difficultate sumtus ad tuendos milites prosequendosque suppeteret, *ærarium militare* cum vectigalibus novis, vigesima nempe hæreditatis & legatorum, ac centesima rerum venalium, instituit. Quidquid ex his pecuniæ coactum, militiæ tantum impensum est. Prudenter omnino. Ea quippe optima componendorum ærariorum Reipub. est ratio, qua singula singulis tantum, ut militari rei, aliisque ejusmodi majoribus negotiis, destinantur.

16. Ac Provinciis quidem ita divisis, de coartando intra limites, id est, non augendo per militares expeditiones imperio, consilium iniit; quod id & sibi & Reipub. convenientissimum prudenter judicaret. Neque enim aliunde plus securitatis Principi esse poterat, quam ex hoc otio subditorum; & vasta illa imperia plus magnitudinis plerumque quam roboris habent. *Facilius*, ut egregiè olim Scythæ illi ad Alexandrum apud Curtium, *apprehendere quædam manus Principum possunt, quam continere.* Magnitudo imperii decrementi ejus fere est causa. Neque alia est ratio, quare celebres illæ Monarchiæ tandem sint exstinctæ. Stolidi ergo illi, qui vel ambiunt ipsi in omnia imperium, vel unius in omnia imperium pro pace rerum humanarum facturum arbitrantur.

17. Finis

17. Finis vitæ & imperii Augusti in annum ab Urbe condita D CC LXVII, qui Coss. habuit Sex. Pompejum, Sex. F. & Sex. Appulejum, Sex. F. incidit; cum post victoriam Actiacam annos XLIV imperium habuisset. Vita ejus, inquit Tacitus, apud prudentes varie extollebatur arguebaturve. Nobis eorum placet judicium, qui laudabant; pietate erga parentem, & necessitudine Reipub. in qua nullis tunc legibus locus, ad arma civilia actum, quæ neque parari possent, neque haberi per bonas artes. Multa Antonio, ut interfectores patris ulcisceretur, multa Lepido concessisse. Postquam hic secordia senuerit, ille per libidines pessum datus sit, non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur. Non regno tamen, neque dictatura, sed Principis nomine rectè constitutam Rempub. Mari Oceano aut amnibus longinquis septum imperium; legiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa: jus apud cives; modestiam apud socios; urbem ipsam magnifico ornatu: pauca admodum merito vi tractata, quo cæteris quies esset.

CAPUT

CAPUT XVI.

SIVE

TIBERIUS NERO CÆSAR.

1. AUGUSTUS, cui ſiniſtra fortuna Cajum & Lucium filios abſtulerat, Tiberium ſucceſſorem habuit. qui principatum tamen diu recuſavit, & adhortantes amiços increpans, ut ignaros quanta bellua eſſet imperium, & in Senatu querens, miſeram & onerofam injungi ſibi ſervitutem. Quæ haud dubie vera, quanquam non ex vero, & animo, à Tiberio dicerentur. Certum enim eſt, longe quidem auguſtius, ſed & longe etiam difficilius eſſe, in Repub. imperare, quam parere.

2. Civilem inter initia ac paullo minus quam privatum egit; adeo quidem, ut adverſus convitia maloſque rumores, & famoſa de ſe ac ſuis carmina, firmus ac patiens ſubinde jactaret; *In civitate libera linguam mentemque liberas eſſe debere.* Neque interim male aut inique illi, à quibus male non modo facta, ſed etiam dicta in principes ſeveriſſimis pœnis excipiuntur. Nihil enim intereſt, feceris male principi, an dixeris. Alium tamen mox ſe præbuit Tiberius, dum legem Majeſtatis reduxit, & in minimis etiam exercuit.

3. Paulla-

3. Paullatim vero Principem se præstitit: etsi varium diu, commodiorem tamen sæpius, & ad utilitates publicas proniorem. Inter alia autem recte ab eo sub initium imperii institutum illud quoque, quod sustulerit jus moremque Asylorum, quæ usquam per orbem Romanum erant. Et certe in bene composita Republ. Asyla facinorosis aperienda non sunt. Neque male tamen aut imprudenter Romulus, qui in componenda Romana hac Repub. initium ab Asylo fecit.

4. Cum de revocandis legibus Sumptuariis adversus luxum, qui immensum tunc proruperat ad cuncta queis pecunia prodigitur, in Senatu ageretur, quo minus id fieret, Tiberius optimo consilio intercessit. Namque inveteratus jam populi luxus, & omni remedio major erat. Principibus autem ostendendum non est, quibus remediis impares sint. Prohibenda legibus in Republ. mala sunt, nec tamen omnia quæ prohiberi debent, sed quæ possunt. Mala igitur, quibus jam adsuevit vulgus, meliora bonis sunt, quibus non adsuevit. Et Sumptuariæ illæ veterum Romanorum leges severitatis priscæ gravitatisque plus habent, quam pro Republ. utilitatis.

5. De coarcendo intra limites imperio Augusti sive præceptum, ut loquitur Tacitus, sive exemplum sequutus est. Quod & imperio dedit, & sibi. Imperio; quia vastum omne, infirmum est; sibi autem, quia & omittere

omittere Urbem, caput rerum, ex qua in omnia regimen, & aliorum virtuti campum gloriæ aperire, ac vim & robur imperii permittere, intutum ipsi merito videbatur.

6. Si quæ forte seditio legiones in Provinciis, ut Germania inprimis ac Pannonia, incesseret, per alios potius, quam ipse composuit. Utut enim prima & validissima in ejusmodi malis tollendis sit præsentis Principis auctoritas, prima tamen ac præsentis, motibus tumultuantium non opponenda est.

7. *Disciplinam militarem*, inquit Suetonius, *acerrime exegit, animadversionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis.* Eadem enim delicta in militia, quam toga graviora ac nocentiora sunt, ideoque illa merito severius puniuntur. Neque delicta sunt æqualia, ut censebant Stoici. Neque eadem delicta, à non eisdem perpetrata, eadem in Repub. censenda sunt.

8. Hæc laudanda in Tiberio. In cæteris tandem adeo defecit, aut potius in sceleribus omnia supergressus est exempla, (singula hic recensere, haud necesse est) ut invisus jam ac detestatus omnibus, odisse omnes ac tollere, & scelera sceleribus tueri, tutissimum sibi judicaret. Ex optimis quibusque ac maximis viris credidit periculum imminere sibi, & ideo eos, ut Germanicum, ac alios, clam, palam, evertit. Bene & prudenter quidem, quod ab iis etiam metuerit sibi Tiberius; male tamen, quod everterit.

Neque

Neque enim evertuntur merito, qui tamen merito à Principe metuuntur. Neque etiam hic placet ille Atheniensium ostracismus, quo adversus virtute, meritis & opibus eminentes viros, identidem utebantur. Sunt enim aliæ, eæque plurimæ, rationes, quibus, & sine injuria, adversum tales rerum Principes sese possunt tueri. Ut enim optimis Principibus non modo pessimi, sed & optimi quoque simul ac maximi merito metuuntur; ita adversus metuendam injuriam sine injuria securitatem sibi debent ac possunt conciliare.

9. Neque minus tum & pessimos metuit, ac in eos identidem animadvertit. Ut enim optimis inter optimos est & convenit optime, ita pessimi inter pessimos securitatem sibi non possunt polliceri.

10. Cum vero per artes & scelera prope infinita, amplissimum Annalium argumentum, adversus cujusvis ordinis homines Tiberius se tueretur, hæc sane cura in Ælio Sejano defecit. quem dum ad maxima evehit & nimium diligit, tandem necesse habuit timere. Cauti ergo Principis est, non modo non in pessimos, sed ne in optimos quidem ea omnia conferre, in quibus præcipua rerum & imperii vis consistit.

11. Detectâ tandem atrocissima Sejani conjuratione, in eum ac liberos quoque ejus animadversum est. In crimine enim Majestatis & liberi etiam, quanquam innocentes, ob parentum noxam, neque immerito, ne-

Z que

queimprobando consilio, non quidem ultimo supplicio afficiuntur, sed ab adeunda omni hereditate alieni, & infamia paterna semper notati habentur, ad nullos prorsus honores admittendi; quemadmodum Impp. Honorius & Arcadius, ubi de filiis, perduellis agunt, disertim loquuntur. Neque tamen recte in amicos etiam & clientes Sejani exporrecta pœna est. Neque enim scelus est, amasse & coluisse quem amavit æstimavitque Princeps ipse, quanquam mox in summo scelere deprehensum.

12. Sejanus autem, neque accusatus legitime, neque legitimo judiciorum ordine observato, sed manu ac imperio militari oppressus est; *dolo magis*, ut loquitur Suetonius, *quam principali auctoritate.* Quæritur, an recte? & an quis non accusatus debeat damnari? Omnino & jure optimo. Adversum hæc enim remedium statim, non post vulneratam caussam, ut J. C. loquuntur, quærendum est. Et merito velut factum interpretando accipitur id, propter quod quis alium merito metuit, quo minus faciat. Quare & furem nocturnum, neque accusatum in judicio, neque convictum, privato cuique licet occidere. Accedit, quod hoc privilegium quoddam sit, quod derogat Juri communi ac justissima de caussa, & indulgetur Principi, ut personæ publicæ, tam ipsius principis, quam etiam Reipub. gratia. His ergo nocentes haud dubie & id-

circo

circo puniendi tollendique etiam videri possunt, quamvis in judicio nondum accusati vel convicti. Neque in eo quidquam injuriæ est, aut iniquitatis.

13. Sejano licet nunc sublato, idem Tiberio ingenium mansit. qui cum metuendus jam esset omnibus, omnes ipse metuit, & omnibus, velut è specula, insidiatus est. Inde frequentissimæ tunc accusationes, ad quas pessimi quique amplissimis præmiis invitati. Tiberius quidem horum ministerium in perniciem optimorum vertit; accusatores tamen in Repub. & esse, & stipendiis ali, & ad inquisitiones delationesque præmiis illici, non modo utile, sed & necessarium Rebuspub. esse, statuendum est.

14. Hinc optimis quibusque sub pessimo jam Principe & metus & præsentissimum periculum. In optimorum autem, quos illa ætas habuit & Romana tum Respub. dedit, consilia contra tyrannum ac facta, anxie inquirit Tacitus, recteque judicat, dum intempestivum amorem libertatis arguit, & imprudentiæ passim eos incusat. Optimi hac tempestate & simul prudentissimi mihi quidem fuisse videntur, quibus latere potius fuit, quam eminere; ac inertia, ut loquitur idem Tacitus, & silentium & modestia pro sapientia fuit. Neque enim illi laudandi sunt, quanquam viri optimi, qui inani jactatione libertatis se ac suis in ultimum discrimen adductis; ambitiosa tantum morte tunc

inclaruere. Nec facienda sub Tyrannis aut jactanda sunt bona libertatis, quibus neque mala iniquissimæ servitutis possunt averti, & boni tantum certissimis periculis objiciuntur. Placet ergo inprimis & hic se probat mihi illius Agricolæ, qui sub Domitiano vixit, exemplum. *Domitiani*, inquit Tacitus; *natura praceps in iram, & quo obscurior, eo irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolæ leniebatur; quia non contumacia, neque inani jactatione libertatis famam fatumque provocabat.* SCIANT, QUIBUS MORIS ILLICITA MIRARI, POSSE ETIAM SUB MALIS PRINCIPIBUS MAGNOS VIROS ESSE, OBSEQUIUMQUE AC MODESTIAM, SI INDUSTRIA AC VIGOR ADSINT, EO LAUDIS EXCEDERE, QUO PLERIQUE PER ABRUPTA, SED IN NULLUM REI POST USUM, AMBITIOSA MORTE INCLARUERE.

Tiberius anno octavo & septuagesimo ætatis, tertio & vigesimo imperii, ab U. C. septingentesimo & nonagesimo, finivit. Morum illi, ut maximus scriptorum judicat, tempora diversa: egregium vita famaque quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. Idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre; intestabilis sævitia, sed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit timuitve. Postremo

in

in ſcelera ſimul ac dedecora prorupit, poſtquam, remoto pudore & metu, ſuo tantum ingenio utebatur.

MARCI ZUERII BOXHORNII

DE

SUCCESSIONE

ET

Jure Primogenitorum in adeundo principatu.

1. UT imperia quædam eligentium ſuffragiis, alia ſanguinis jure ac ſuccedendi ordine deferuntur. Hujuſmodi pleraque inter Græcos regna fuiſſe Heroicis, id eſt, antiquiſſimis temporibus, haud ambigitur; ac alibi terrarum aliis etiam gentibus placuiſſe, tot, quæ ſolo ſanguinis titulo in hunc uſque diem devoluta, & dehinc devolvenda ad poſteros ſunt, ſatis loquuntur.

2. Quanquam verò electionem & ſucceſſionem extra complexum hujus vel illius Reipubl. inſpicientibus, illa huic haud dubie anteferenda ſit, graves tamen idoneæque rationes iis non defuere, quibus ſucceſſio potior electione, ac Reipub. convenientior merito viſa eſt. Huc parentum virtus in gerendo recte principatu jam cognita, ac eadem ex poſteris non temere ſperata; certi ſucceſſores; via alio-

rum ambitioni ad imperium præclusa; principum, quorum derivandam ad posteros potentiam constat, pro bono publici egregii ac æternitate major cura; raræ ac feræ plerumque regnatricis domus mutationes; denique quæ ex electione plurima, &, pro quorundam populorum ingenio, cujus præcipua in his habenda ratio est, semper metuuntur mala, unâ ad imperium familiâ semel delectâ, quasi semper accisa; ut alia jam non dicam, prudenter referuntur.

3. Cum autem neque unus præscribi possit succedendi modus, neque unus idemque olim gentibus sit probatus, nos hic modo eum, qui & olim frequentior fuit, & hodie fere ubique receptus est, sub examen vocabimus. *Successio linealis* vulgo appellatur. Illa hic nobis est legitimus capescendi imperii modus, quo per sanguine proximos illi, in cujus familiam ut regnaturam populus ac providentia & leges majorum semel consensere, in eadem, quamdiu superest, iis, in quas convenit, legibus, imperium necessario continuatur.

4. Origo instituti à populo est aut principibus, qui ad declinanda in posterum, quæ hactenus plurima oblata erant, incommoda & dubia ac incerta tam electionum quam successionum, & ne augusta imperia vel ab arbitrio hominis, quem identidem transversum affectus agunt, vel à jure hereditario patrimoniali, quod auferri & adimi potest, sed ab

æterna

æterna & nunquam movenda lege dependerent, uno, omnibusque adeo unius illius posteris, pariter ad imperium & succedendi jus vocatis, id à proximo ad proximum sanguine & gradu, quod is naturæ ac publicis commodis convenientissimus esset succedendi ordo, perpetuis temporibus; usque ad ipsum familiæ occasum, devolvi voluere. Constat id vel ex lege expressa & pactis, vel ex consuetudine à tot retro sæculis sanctissime observata, quæ est ad instar legis.

5. Ex hujus igitur legis, quæ proximum succedere voluit, præscripto, non arbitrio ejus, qui proxime gessit principatum, aut testamentali jure fit, ut proximus necessario succedat. Id ipsum illud est, quo iste succedendi ordo ab aliis distinguitur. Non enim jure hæreditario hic succeditur, sed vi legis, per quam primogenitus vel alius proximus succedere jubetur.

6. Quod quidem ut propius rectiusque intelligatur, alios esse principatus patrimoniales & hæreditarios, alios esse legitimos; aliam in his, aliam in istis succedendi esse rationem, sciendum est. Principatus patrimonialis & hæreditarius est, de quo possessor libere & pro arbitratu disponit, & testamentum condit, & imperat legata, & successorem ac hæredem quem vult, sibi facit; aut in quo defuncto succedi potest ab intestato & hæredes testamenti jure scribi possunt, etiam illi, qui familiæ sunt alienæ. Talia olim plurima regna fuere, ut illud Attali, Eumenis filii, Perga-

Pergamenorum regis, qui testamento Populum Romanum hæredem instituit; & Pharnacis, qui, filiis præteritis pluribus, fratri Mithridati imperium reliquit. Rei enim suæ, & bonis, etiam imperiis, hæreditario jure vel dominio possessis, legem quam quis vult, pro arbitrio imponit. Legitimus autem principatus nobis hic dicitur, de quo lex semel decrevit, per quam non ex arbitrio aut tabulis principis proxime defuncti, sed ex legis sanctione, quæ mutari non potest, proximus, eo, qui præscriptus est, ordine succedit. In illo successio est, quæ dicitur, *Successio per transmissionem*, seu patrimonialis hæreditaria ex testamento vel ab intestato. In hoc successio, quæ dicitur, *Successio per remotionem*, seu linealis legitima; vi contractus & legis, à defuncti jure aut dispositione non dependens. Per illam quippe in principatum succeditur, ut rem, quæ à proximo possessore in succedentem transmissa est; per hanc in principatum, ut rem vacuam, per remotionem alterius, qui eam administravit; per illam in regnum, ut patrimonium ejus, qui proxime regnâvit; per hanc in regnum, velut patrimonium generis, cui id jus per regni legem quæsitum est, à proximis ex ordine succeditur. Denique per illam princeps succedit in locum defuncti, jure hæreditatis; per hanc jure proximitatis, sive primogenituræ, non hæreditatis; cum succedere possit etiam repudiatâ defuncti hæreditate, ipsoque invito, & principatus proximiori etiam
non

non hæredi debeatur. Imo, ut paucis omnia perstringam, per illam in jus, per hanc in locum defuncti succeditur. Atque hæc est, quæ in plerisque jam regnis & principatibus habet locum. Hæreditaria etiam subinde regna illa, sed καταχρηστικῶς, appellantur. Sunt enim ab hæreditariis planè distincta.

7. Sequitur ex eo uni familiæ, & in ea proximis singulis ad principatum sic quæsito jure, principatum non in patrimonio, dominio aut proprietate principis esse; sed jure quasi quodam usufructuario, vel potius tanquam Administratorem possidere, principem proinde de eo, contra quam fit & licet in hæreditariis regnis, sive per ultimam voluntatem, sive per contractum & commercium inter vivos disponere, eive, cui velit, cedere, tradere, vel relinquere, aut in partes secare & discerpere, & inter liberos agnatosve; aut alios dividere, denique vendere, alienare, aut legare pro lubitu, imo, ipsa principali stirpe forte deficiente, regni hæredem testamento scribere non posse, sed potius populo, aut ejus proceribus, jus competere per novam electionem Reipubl. de successore prospiciendi. Namque successio hæc non jure hæreditario, sed sanguinis nititur; non ex dispositione ejus, cui succeditur, sed legis & consuetudinis, vi pacti & primæ concessionis proximo cuique debita.

8. Proximus ille, reliquis omnibus postpositis, aut donec ei deficiant posteri, dilatis, solus capessit vacuum principatum; recepto plerisque gentibus optimo more, ut, ne divisa in plures regna & sic labefactata conciderent, in unum eumque, ex ipso naturæ ordine, primogenitum devolverentur. Quare publicum bonum & commodum in hoc jure primogenituræ versari, haud temere asseritur. Populi namque ipsius intererat ut sic succederetur. Melius enim illi, uno rerum potiente, consulitur, quam si in plures principatus dividatur; tantoque securius agit quanto potentiori principi subest, in quem unum omnes totius imperii opes collatæ sunt. Ea autem *Successio individua* plerumque dicitur.

9. Proximus quem lex successorem constituit, quis sit, partim natura, partim lex hic ostendit.

10. Per naturam quidem proximi intelliguntur qui ordine nascendi, gradu ac linea propius absunt, id est, minus remoti ab eo sunt, cujus posteros populus, lex, aut consuetudo eo ordine ad imperium voluit admoveri. Unde sequitur ad ejus primogenitum, & primogeniti posteros, ac, his deficientibus, ad reliquos liberos, eorumque posteros pro ordine nascendi, facto semper à recta linea in aliam proximam transitu, pro nascendi itidem ordine, deverri imperia, in quibus hæc successio habet locum.

11. Per

11. Per legem fœminæ ac ex his orti, aut proximorum nomine nunquam comprehenduntur, perpetuo exclusæ; aut post masculos extinctos demum admittuntur. Est enim duplex Linealis Successio. Alia quæ *Cognatica* dicitur; in qua fœminæ aut fœminis nati in eadem linea non arceantur ab imperio, sed admittuntur, sic tamen ut maribus & ex his natis postponantur; & tum demum regressus ad eas sit, ubi propiores aut pares cætera mares, aut ex maribus nati defecere. Alia *Agnatica*; quæ est successio duntaxat marium ex maribus, fœminis ac ex his natis in adeundo imperio nunquam agnitis; quarum hæc præ ista commendanda nobis videtur, cum per hanc fiat, ut exteris ac alienis, in quorum torum identidem filiæ principum innubunt, aditus ad rerum fastigium sit præclusus.

12. Cum autem nonnulla in hoc argumento controversa sese offerant, haud abs re erit, si illustriorum quæstionum pondus jam excipiamus. De spuriis multa dicere, nihil attinet: qui cum liberorum appellatione non veniant, quivis facile videt nullum hic iis esse locum. De filio ante regnum patri ejusque posteris delatum genito, imprimis ambigitur, an is filio post regnum in patrem collatum nato sit anteferendus. Sed cum ut in bona & jura familiæ paternæ ante parta liberi postgeniti, ita ante geniti in post parta vulgo

succedant, idque æquissimum sit, pro filio ex patre nondum principe genito pronunciare non dubitamus.

13. Hæsitatum quoque est: Si primogenitus, priusquam principis fastigium indeptus sit, vivo patre, relicto filio & fratre, rebus humanis excesserit, uter succedat an avo nepos ex primogenito, an patri filius secundo genitus. At pro nepote contra filium secundogenitum ut stemus, æquum est. Neque enim in hac successione habenda illius ratio est, qui proxime defuncto principi proximus jam superest, sed ejus, qui, ex præscripto legis, ut proximus succedere deberet, si superesset. Huic, licet privato defuncto, cum jus illud, cujus vi succeditur, ipso conceptionis momento acceperit, qui proximus est, præfertur illi, qui superstes propius contingit eum, qui proxime gessit principatum. Jus enim, quo placuit, ut primogenitus principis, ejusque posteri, eodem ordine succederent quæsitum est non primogenito principi, sed primogenito principis. Ex primogenito igitur principis, licet non principe, denato nepos, filio secundogenito hic necessario præfertur. Qui rationem à *jure repræsentationis* petitam huc adferunt, falluntur. Non enim per repræsentationem, aut jure à patre accepto, sed suo & proprio, & quod à lege est, proximior hic succedit.

14. At si primogenitus aut alius proximus, captus ac impar imperio offeratur, sive ob ætatem,

tem, sive vitium mentis, sive utero adhuc clausus nondum adspexerit vitalem hanc lucem, (nam & hic inter proximos censendus est) sive captivitas aut ejusmodi alii rerum humanarum casus ab imperio arceant, quid statuendum est? Certe, non idcirco adimi ei posse jus successionis, ac, etiamsi nequeat ipse per se administrare Rempublicam, posse tamen per Curatores, donec ipse rebus suis superfit. Minores autem, & idcirco sub tutorum potestate constituti, cum maximum iis discrimen ex tutoribus metuendum sit, ut citius ea solvantur, quam Jure civili liberi privatorum, ratio evincit. Et Aurea, quam vocant, Caroli IV. Bulla recte institutum est, ut Principes ad imperii sui administrationem admittantur, postquam annum ætatis decimum octavum impleverit.

15. Quid si idem gravi delicto sese reddiderit indignum, aut accepto jam imperio merito exciderit? Non dubitandum est, quin, si quidem liberos habeat, eosque innocentes, sive ante, sive post delictum, genitos, primogenito, aut si hi desint, proximo, sive fratri, sive agnato, imperium debeatur. Non una ratio est, quæ id persuadet. Cæterum, cum satis ardua illa quæstio sit, priusquam alia exponere aggrediamur, duo inprimis in primogenitis observanda & accuratè distinguenda sunt, primogenitura, nempe, ipsa, & jus primogenituræ. Illa à natura, hoc à lege est.

16. Pri-

16. Primogenitura ipsi à natura est, quia eo ipso, quo quis conceptus prior aut editus in lucem est, primus loco, primus ætate, primus stirpe inter fratres constituitur, ac naturæ prærogativam habet. Hæc ipso conceptionis momento adquiritur, neque ulli competit, neque unquam competere potest, nisi qui eum locum naturæ ordine prior occupavit; aut inter descendentes ex eo ordine est; illo autem decurso tum demum natura per fictionem suppletur, & secundogenitus aut suo ordine tertiogenitus pro primo habetur. Jam vero ea quæ à natura est prærogativa haud dubie est immutabilis. Unde sequitur, quod quemadmodum Natura ipsa vel auctor Naturæ Deus, facere non potest ut id quod fuit non fuerit, aut quod natum est, natum non sit, ita neque primogenitus ipse, neque alius quispiam, quicunque tandem sit, transferre in alios potest hanc à natura acceptam ordinis prærogativam.

17. Jura vero primogenituræ, quæ alia atque alia usitata gentibus inveniuntur, à lege sunt, non à natura. Lex quippe, sive statutum, sive consuetudo, hunc præeuntis naturæ ductum non modo sequuta, sed insuper sancte ita & comiter venerata est, ut eo, quem natura fecit, loco, ac ordine priori eximium aliquid, quo supra cæteros emineret, tribuerit; quemadmodum inter Principes primogenito & ex hoc nascituris, primogenitorum inter hos semper habita ratione, jus in impe-

imperium succedendi. Adeo ut à natura accepta illa immutabilis aut immobilis prærogativa, fundamentum sit prærogativæ & eminentiæ, quam lex velut mantissam adjecit. Unde colligere promptum est, non minus hanc quam illam immobilem ac immutabilem esse, nisi primogenitus ipse facto suo eam repudiaverit.

18. Primogenitus quippe princeps jus suum & sponte sua à se alienare ac in alium transferre, & per delictum ejus jacturam facere potest. Nam & unicuique renunciare juri suo licitum est; & principes iis nonnunquam flagitiis operti deprehenduntur, propter quæ principatu indigni merito censentur.

19. At alienatio illa, quæ sponte principis fit, ita limitata est, ut, dum superest, non nisi in sanguine proximum, aut, si intermedii proximiores consenserint, in remotiorem ejusdem sanguinis alium transferre possit principatum. Lex enim regni, contra quam non integrum est principi quicquam facere, eo ordine regni iniri & continuari voluit administrationem. A se igitur alienare imperium potest, non à familia, non ab iis, quibus in familia proximis competit jus succedendi. Neque aliter se res habet in alienatione, quæ fit ob delictum. Cum enim nemini, ac proinde etiam principi, qui deliquit, nihil amplius auferri possit, quam quod habet; & huic nihil competat præter curam principatus ac administrationem; hac autem, quocunque

cunque tandem modo aut nomine, finita ac extincta, imperium ad proximum ex præscripto legis, quæ omnes alieni & alios ejusdem sanguinis remotiores excludit aut differt. & sine summo flagitio violari non potest, sit devolvendum; plane apertum est, solum sangnine proximum ei qui deliquit, ut legitimum successorem esse admittendum.

20. Jam & hoc quoque animadvertendum est, quod, si principes isti non sint proprietarii & domini, sed Administratores tantum & Curatores, patresque quidam, ut sic dixerim, fidei commissarii regni, bonorumque regni, opumque publicarum; profecto propter eorum crimen proximum innocentem, cui regnum debetur ex immutabili lege, excludere, sit iniquissimum. Neque enim ulla est ratio, quare deterioris juris esse debeant in fideicommissis principes, quam privati; quorum bona fidei commissaria ut alienari prohibentur, ita ob delictum ejus, cujus fidei commissa sunt, nequaquam possunt publicari.

21. Facit huc quoque, quod, cum iidem principes contrahendo, disponendo, alienando, oppignerando, ullove alio modo, liberis agnatisve, quibus jus ex lege quæsitum est, quique certa spe exspectant principatum, non possint præjudicare, ita nec delinquendo, quodcunque tandem crimen sit, cujus rei peraguntur. Delicto enim locum Fisco in bonis suis facere, quid, quæso, aliud est, quam bona sua alienare, & in extraneum trans ferre,

cum

cum Fiscus extranei loco habeatur? Et quis pariter non videt, nullum jus Fisco ex delinquente, tanquam alienante, acquiri in iis bonis, quæ alienandi potestatem non habet ille, qui deliquit? Talia verò sunt isti, de quibus hâc agitur, principatus.

22. Quid quod res & jura nostra, sive ea re ad nos sive spe pertineant, nisi ob consensum, aut delictum nostrum non possint auferri. Non loquor de spe vana, nuda, & fallaci, quæ ab eventu; sed certa, quæ à jure & lege dependet; per quam primogenitus, etsi principatus ad eum nondum pervenerit, jus tamen jam quæsitum habet ad principatum. Si igitur hic spes certa sit ac legitima, si jus primogenito ipso conceptionis aut nativitatis momento [illegible]it partum, quomodo id delicti alieni cau[illegible]fas erit adimere? Longe quippe differt [illegible]s ab illa, quam liberi in bonis parentu[illegible] legitima vulgo habent, quæ parentum lu[illegible] delicto, arbitrio, minui, frangi ac plane everti potest.

23. Si etiam à patre, aut alio proximo jus succedendi proximus hic non habeat, quod ex iis quæ jam dicta sunt plane liquet, sed à lege immutabili, patris aut alterius proximi delicto, cum per eos legi nihil possit derogari, fieri non potest, ut proximus successione excludatur. Non eo inficias jus illud succedendi vivente patre velut suspensum esse filio; interim non à patre id dependet, sed à lege non movendâ. Imo superstite patre, in filio

filio non tam ſuſpenſio juris eſt, quam pleni ejus uſus; neque jus nullum eſt, ſed tantum dilatum: neque quærendum, ſed jam quæſitum. Haud ergo damnato ob delictum patre, id filio adimendum, quod ante patris delictum, nec à patre, ſed à natura & lege accepit.

.23. Nemo objiciat, hæreditaria hæc regna nonnunquam appellari. Certe ita nonnunquam, quanquam nec recte dicuntur. Sed hæreditas ſola ſanguinis intelligenda eſt, non jus hæredis. Recte ſane illi, qui qualitatem ſucceſſoris, non qualitatem ſucceſſionis hæreditatis nomine hîc ſignificari pronunciant. Per hæredem filius, ut filius, non ut hæres regni intelligendus eſt. Id enim quod per hæreditatem ſanguinis hîc acquiritur, non acquiritur per illum, cujus ſanguinis eſt filius, aut alius proximus, ſed per legis diſpoſitionem. Ut autem nulla ratio excogitari poteſt, qua fiat, ut hæreditas ſanguinis tollatur, ita etiam nulla eſſe poteſt, qua fiat, ut alicui adimatur jus, quod, dictante lege, cum hæreditate ſanguinis ſemper eſt conjunctum. Ergo neque culpa ejus, cujus ſanguinis quis proximus tradux eſt.

25. Adde, quod non tam ultimo, quam primo acquirenti, ſive illi, qui omnium primus beneficio ac judicio legis ſibi ſuiſque poſteris omnibus jus illud ſuccedendi comparavit, (ſunt qui *Genarcham* vocant) proximus quiſque hic ſuccedat, adeo ut ultimus ſucceſſor ſit ſucceſſor primi, etiamſi inter primum prin-

principem & ultimum successorem vel mille principes intercesserint. Si id verum sit, sicut est verissimum, pro insignita haud dubie injuria haberi debet, si innocens & à lege successor datus, ob ejus crimen, cui non succedit, & cujus res non est, in quam succedit, ac cujus beneficio jus succedendi haud acquisivit, ab adeundo principatu arceatur. In lineali ergo illa successione, de qua omnis hæc disputatio instituitur, non uni hæredi, sed ejusdem familiæ omnibus, & inter hos inprimis proximis, jus succedendi quæsitum est, omnesque adeo hæredis nomine significantur. Igitur & ob unius crimen, juris sui tot alios, qui innocentes sunt, facere jacturam, nequaquam statuendum est. Constat enim pœnas neque personam, neque bona delinquentis excedere debere.

26. Facit autem caussæ illustrissimæ æquitas, ut in augusto illo Serenissimi Principis CAROLI LUDOVICI, Comitis Palatini ad Rhenum, & Sacri Romani Imperii Electoris, nomine, hic nobis desinendum sit. Qui innocentis Principis filius, & ipse Princeps innocentissimus, ac nihilominus tot jam per annos ditionibus suis dignitatibusque privatus, de atrocitate injuriæ merito expostulat, cum neque linealis hujus successionis ratio, neque sacratissimæ ac tanta majorum religione & pace observatæ Imperii leges, eum, etiamsi esset Principe nocentissimo genitus, excludi patiantur.

MARCI

MARCI ZUERII BOXHORNII

DE

Electione & Successione.

1. MAgistratus in unaquaque Republica maximopere necessarius est. Hujus enim prudenti imperio, sanis consiliis & fideli cura omnia recte se habent; paci & securitati publicæ prospicitur, juris & æqui ratio habetur, bonorum civium virtutes & merita præmiis ornantur, in malorum vero ac legibus recalcitrantium vitia ac scelera, animadvertitur, &, ut verbô dicam, felicitas publica obtinetur & conservatur.

2. Non sufficit vero Magistratum in singulis amplissimi Regni ditionibus, singulisque civitatibus haberi; neque satis consultum est totius Regni administrationem pluribus, præsertim vero vita moribusque discrepantibus, committere. Multorum enim ejusmodi regimen multa plerumque & innumerabilia secum trahit mala; imo & aliquando, ob discordias intestinaque inter eos ex discordiis bella, perniciem atque adeo occasum toti Regno adferre solet. Quare necessum est, ut sit unus, à quo reliqui omnes Magistratus dependeant, quique summa præditus potestate universis Regni incolis totique multitudini præsit, & eam ex æquo regat atque gubernet. Monarchiam enim cæteris omnibus Rerumpub.

pub. formis meliorem perfectioremque esse existimamus.

3. Talem potestatem jure nemo sibi vendicare ausit, nisi populi consensu, sine quo nulli unquam principatus constituti sunt, nulli constituuntur.

4. Ex consensu autem populorum duæ tantum legitimæ summam potestatem consequendi viæ sunt: Electio & Successio.

5. Electio est, qua idoneis suffragiis eorum, penes quos est eligendi potestas, dignior visus ad imperii fastigium evehitur.

6. Successio est, qua quis Principe patre natus, vel proxime eidem sanguine junctus, ad principatum, tanquam hæreditario jure sibi debitum, & per sanguinis propaginem ad se delatum, necessario admovetur.

7. Utraque & electio & successio est laudabilis.

8. Quæ verò illarum præferri debeat, celebris olim hodieque agitata est quæstio, neque adhuc satis convenit inter civilis sapientiæ doctores.

9. Nonnulli, qui successioni potius quam electioni favere rationem putant, inter successiones discrimen interponunt, quarum alias simplices, alias vero compositas dici volunt.

10. Simplex successio iis est, quæ (nam eorum verbis hic uti necesse est) sine ulla suffragatione populi, & civitatis consensu est; & hanc in Tyrannide exerceri statuunt.

11. Quasi vero simplex, quæ dicitur, successio

cessio Tyrannidem secum trahat. quod à ratione plane abludit. Principes enim, non Tyranni, dicendi sunt qui ejusmodi ratione ad imperium extolluntur.

12. Compositam successionem vocari volunt, quæ præter jus naturale sanguinis, consensum Civitatis, directionem legis, juramentum, consilium, aliaque ejusmodi admittit. Hæc iis laudatur omni electione eo melior, quo certior; eo tutior, quo multorum sapientia & consilio sanctior redditur.

13. Sed, quis non videt, omnes illos ritus & circumstantias nihil aliud esse, quam libertatis Ordinum Regni vanam speciem, larvam & fucum? An non eadem quoque successionem, quam fingunt, compositam sequuntur mala, quę ex simplici (quam vocant) oriuntur?

14. Adde quod successionem compositam vocare sit absurdum. Quippe vera electio & vera successio pariter concurrere non possunt.

15. Nobis ergo electio successioni, quocunq; tandem nomine illa commendetur, præponenda videtur, ob multas sane & graves rationes.

16. Ad quas priusquam accedamus, sciendum est, electionem à nobis duplicem statui, voti liberi & voti restricti.

17. Illam dicimus esse, cum liberum est electoribus pro lubitu quamcunque personam eligere.

18. Electionem vero voti restricti appellamus, cum ea ad certum personarum genus restringitur.

19. Utram-

19. Utramque hanc electionem successioni præferimus. In ea namque Reipublicæ potius, quam regnatricis domus; contra in successione regnatricis domus potius, quàm Reipublicæ ratio habetur.

20. Ipsi etiam rationi magis consentaneum est, ut qui hominibus in libertate imperaturus est, eorum suffragiis ad principatum evehatur.

21. Quanto præterea virtus perfectio est natura, tanto & electio præstat successioni. Quippe electio secundum & propter virtutes tantum instituitur; successio verò tantum per naturam.

22. Quis insuper neget per electionem, siquidem recte sit instituta & nullis illaqueata præjudiciis, semper optimum quemque & virtutibus majestate regia dignis ornatum ad frena Reipublicæ capessenda admitti?

23. In successione contra non qualis optatur, sed qualis offertur, bonus, malus, aptus, ineptus ad regiam dignitatem admovetur: unde profecto magnum Reipubl. imminet discrimen.

24. Ad hæc Principes, qui eliguntur, continuo ad alias atque alias pro libertate subditorum repertas leges possunt obstringi; qui succedunt non item.

25. Nihil obstat quod sententiæ huic contrarium statuentes plerumque objectant, plerosque ante acceptum regimen, optimam indolem mentiri, pessimam tegere ac dissimulare, quæ tandem post collatum imperium erumpere solet. Per electionem enim prin-

ceps

ceps factus, si in exitium Reipub. tendentes artes haud mutare velit, neque observet leges in quas juravit, principatu exui potest. Accedit & illud, quod ubi electio habet locum, optimi saltem visi eligi possint; ubi successio, sæpe quoque quos palam constat esse deteriores, necesse sit solio imponere.

26. Quare electio successioni à nobis merito præfertur, non tam quod nulla (quemadmodum nihil est tam recte institutum, quin sua sibi mala habeat conjuncta) sed quod multo minora secum trahat incommoda & discrimina quam successio.

27. Restat ut ea, quæ de eligendi modo, eligentibus, & eligendis controversa sunt, expendamus.

28. *Meliusne est omnium, qui in Republica sunt, Ordinum, an vero præcipui tantum, qui est Nobilium, suffragio peragi Principis electionem?*

Nobis melius Reipublicæque consultius videtur uni tantum, eique præcipuo, id est Nobilium, Ordini electionem permittere. Si enim reliqui etiam Ordines ad id munus admittantur, electio sine summa confusione, imo & aliquando sine majoribus motibus & intestinis bellis peragi non possit.

29. *Ex toto Nobilium Ordine præstatne paucos quosdam electores deligere ac constituere, quam totius convocati Ordinis suffragiis Principem creare?*

Posterius amplectimur priorique præferendum arbitramur. Quippe pauciores facilius ambi-

ambitiosi si ad imperium adspirantes, licet imperio indigni, in suas partes pertrahere, eorumque gratiam vel muneribus vel promissis demereri sibi possent. Contra in tanta & conjunctâ Nobilium multitudine prope impossibile est hasce technas cudere, iisque omnium studia sibi conciliare.

30. *Convocato eligendi Principis gratia toto Nobilium Ordine placetne omnium adsensu, an vero, inter dissidentium studia, majoris partis suffragiis electionem absolvi?*

Propter omnium quidem æqualem libertatatem, & in Principe eligendo parem potestatem, non nisi communi adsensu electionem institui necessum esset. Nihilominus tamen inter diversa sentientes, ut Reipubl. vacuæ & laboranti consulatur, utque omnibus motibus & dissensionibus imponatur finis, melius est eum Principem agnosci, quem major pars probaverit, non exspectato omnium adsensu.

31. *Cum in Nobilium Ordine alii eminentioris, alii inferioris gradus sint, videturne illorum suffragiis majorem vim ac auctoritatem, quam horum esse tribuendam?*

Minimè gentium. Cum enim Princeps omnibus ex æquo præesse debeat, æquum & justum est, etiam omnium æquipollentibus suffragiis ad sceptrum admitti. Nec ipsa libertas, qua æquali omnes gaudere debent, patitur ut suffragia eminentiorum suffragiis eorum, qui fortunæ conditione minores sunt, majora censeantur.

32. *Consultiusne est tacitis, quam apertis votis Principis electionem instituere?*

Vota aperta tacitis longe anteferenda esse statuimus, quoniam Reipubl. commodis sic maxime consulitur. Hoc quippe modo dissentientes auditis meliora in medium adferentium rationibus à sententiâ suâ recedunt facilius, meliorem que amplectuntur.

33. *Sortitio in electione Principis estne probanda?*

Ubi quidem votis & communi plurium adsensu electio feliciter peragi potest, absurdum videtur eam fortunæ sortisque casibus permittere. At ubi eligentes discordes sunt ac hæsitant inter plures, qui ingenio, virtute, genere opibusque pares digni imperio offeruntur, sortitiones haud improbamus, imo plane necessarias esse asserimus.

34. *Præstatnè indigenam quam peregrinum Principem eligere?*

Indigenam, si principe dignis virtutibus instructus adsit, præferendum esse putamus. Facilius enim est ejus, qui in gremio Reipubl. educatus est, indolem & mores cognoscere, faciliusque judicare, an dignus sit cui Regni administratio credatur. Adde, quod difficulter libera gens à peregrino & alienigena se regi patiatur, qui se moribus & ingeniis ejus accommodare nescit. Quod si vero Regnum indigenâ qui æquè idoneus imperio sit ac exterus, careat, aut per peregrini electionem regni opes possint amplificari, peregrinum indigenæ præferendum

dum esse statuimus Hoc Poloni, nec infeliciter, probant. Regnum enim suum potentia electi peregrini Principis augent & confirmant. Hoc modo ad Poloniæ regnum accessit Lithuania Uladislao Jagellone ej usque posteris in hunc usque diem ad regnum admotis.

35. *Meliusnè est, togæ artibus excellentem præferre virtutibus militaribus eminenti, si de eligendo Principe deliberantibus duo sese offerant, in quibus illæ virtutes non conjunctæ, sed singulæ & solæ tantum inveniuntur?*

Togæ artibus præcellentem anteponimus; quia & digniores illæ sunt quam bellicæ, & magis necessariæ, & res militares facilius, quam togæ, per alios possunt administrari.

36. *Consultiusnè est ex eadem familia, si quidem in ea digni imperio sese offerant, continuo Principes eligere, quam identidem sceptrum ad alias familias transferre?*

Ex eadem familia continuo deligere, multo consultius est. Si enim illâ spreta abjectaque Regnum in aliam transferatur, certe magnorum insuperabiliumque bellorum causa fomesque facile offertur.

37. *Probandumne illorum institutum, qui electo Principe adhuc superstite, alium designant, qui illum defunctum in imperio sit excepturus?*

Haud improbandum illud videtur, si quidem eligatur sanguine proximus & gratissimus jam tenenti Principatum: cum ejus etiam gratia ad procurandum bonum publicum sic magis obligetur. Accedit, quod hac ratione mala, quæ

ex interregnis nonnunquam resultant, commodè possint evitari.

38. *Princeps qui succedit majorne & honoratior illo est, qui eligitur?*

Nequaquam. Si enim cætera paria sint, pares illos, ut & eorum legatos, loco & dignatione esse contendimus.

39. *An Principum, qui succedunt, imperium magis confirmatum majoribusque munimentis insistit, quam eorum, qui eliguntur?*

Statuimus non minus his quam illis constantissimum obsequium à populo deberi; nec minus his quam illis hunc esse obligatum; ac proinde æquè confirmatam esse horum conditionem. Neque populus aut Proceres, quibus ejus rei est potestas, ob minus graves rationes exuere imperio electum principem possunt, quam eum qui hæreditario successionis jure ad principatum admotus est.

40. *Si interregnum esse aliquando contingat, (ut, ubi electio locum habet, fit sæpissime; quo tamen nomine successio electione potior non debet videri) fasces Regni penes quem esse expedit?*

Qui & summæ dignitatis, summæque authoritatis sit, & in quem nulla regni appetendi suspicio cadat. Id Poloni faciunt, fasces Regni Archiepiscopo Gneznensi, tanquam Primati Regni & Primo Principi deferentes. Hic Comitia indicit, legatos audit, novi Regis electioni locum indicat, electumq; nominat & promulgat, ac post ea tempore coronationis (quæ Cracoviæ peragitur) diademate capiti imposito inaugurat.

MARCI ZUERII BOXHORNII

DE

POENIS.

1. AD conſervandam Rempubl. inprimis faciunt præmia & pœnæ. De pœnis jam dicturis nobis res ab origine arceſſenda eſt.

2. Amiſsâ igitur primâ illa integritate hominum ac majeſtate, non bruta modò in eos obſequium, ſed & homines officia, ſuccedentibus in horum locum injuriis, exuere.

3. Natura tamen, ut beneficia & pollens mater, pro recens natis pietatem parentum ac vim oppoſuit; majoribus autem rationem & robur dedit ad injurias omnes, earumque autores avertendos, invadendos, caſtigandos, tollendos.

4. Neque enim rectè ſentiunt, qui hominem inermem, vacuum, opportunum injuriis naſci, cum inſigni naturæ contumeliâ, tradidere.

5. Quin igitur naturæ lege mandata unicuique ſit cura & defenſio ſui ac ſuorum. & cuivis homini privatâ autoritate propulſare injurias, vi frangere vim inferentis, ac ſic punire liceat, haud ambigitur.

6. Neque, quin hoc jure æquiſſima ſint ſingularia certamina privatorum, dubitandum eſt.

7. Cæterum cum homines aut proprii judicii adulatione decepti injurias interpretarentur, quæ non erant, aut veras injurias vendicando,

libidine nimiâ ultionis, modum excederent, &, nullo nocendi fine, injuriæ ex injuriis traherentur; tandem constitutis jam Rebuspubl.necesse fuit, ut publica, non privatâ autoritate injuriæ cognoscerentur; pro cognitarum magnitudine plecterentur autores; & pœnæ exemplo vel nocentes, vel adhuc innocentes à simili scelere deterrerentur.

8. Ita, postquam homines in civilem quandam societatem coaluêre, ista, quam natura fecerat, privata potestas lædendi, aut puniendi eos, qui priores læserant, privatis adempta, & ad magistratus translata est.

9. Quare, sicut privatis integra manet sui & suorum modesta & innoxia defensio, ita negata est major illa & armata vis in autoribus injuriarum propulsandis & persequendis.

10. Nec tamen, post imperia constituta, negata illa aut illicita est iis in locis, ubi non possunt adiri judices aut leges; & eâ necessitate ac vi oblatâ, quâ eorundem auxilium sero imploraretur; denique ubi ex autoritate publicâ ea potestas facta est privatis. quod postremum ubi evenit, auctoritas potius publica dicenda est, quam privata.

11. Ut in mari.

12. In deserto.

13. In malè constitutis ac imperfectis illis Rebuspublicis, quales Nomadum & Scytharum quorundam antiquis describuntur, in quibus subditorum nullæ fixæ aut satis conjunctæ sedes sunt.

14. De-

14. Denique in præsentissimo discrimine, ubi invocanti leges & judices, dum invocat, haud dubiè esset pereundum. Præstat enim, ut alibi Imperator loquitur, occurrere in tempore, quam post exitum vindicare.

15. Æquissima ergò videri haud dubie debet privata illa vis & defensio, quæ inculpatæ tutelæ moderationem habet.

16. Neque minor ratio est, ob quam privato furem nocturnum, telo armatum, impune liceat occidere.

17. Constat ex his nihilominus, aut fallor, privata duella in bene constituta Republ. esse illicita & nullo colore posse defendi, dum qui se ac causam suam iis nunc permittunt, palam turbant officia, & magistratus invadunt autoritatem.

18. Haud minus dubitandum est, ne quidem, ubi nequicquam judicum aut legum auxilia implorata sunt, privatâ vi aggredi, lædere aut punire nocentes licere.

19. Ipsa quippe ratio satis dictat, convenientius esse, ferre injuriam non modò à reo, sed etiam à negligente, iniquo aut corrupto judice illatam, quam necessarium adeò in Republ. ordinem, licet minus nobis faventem, privato impetu turbari.

20. Imo in Republ. ne quidem justo dolori privatam ultionem legibus permittendam censeo: ne quidem marito, ut adulteram uxorem aut adulterum in ipso flagitio deprehensos occidat, quanquam difficillimum sit doloribus

istiusmodi moderari. quare id Romanorum legibus potius permissum, quam probatum.

21. Solius ergò magistratus est animadvertere in nocentes, quò & Reipubl. satisfiat, & his in quos peccatum est, &, quantum quidem fieri potest, in posterum caveatur, ne peccetur.

22. Fit id pœnâ. Pœna vulgò describitur; Malum passionis, propter malum actionis.

23. Publica igitur Pœna nihil est aliud, quam malum, ob malum, quod culpæ vocant, pro hujus magnitudine, autoritate publicâ illatum illi, qui in universitatem insigniter peccavit.

24. Non ergò pœna est omne id malum, quod quis solâ autoritate publica indictum patitur.

25. Sæpe enim ex autoritate publicâ, nec tamen immerito, idem patiuntur, & ille, qui ejusmodi pœnam meritus est, & ille qui non est meritus.

26. Nec solum malum pati, quod reus patitur, pœna est.

27. Idem enim sæpe rei patiuntur & infelices.

28. Solo ergò malo culpæ fit, ut malum sit & dicatur pœnæ, sive pœna.

29. Ejus culpæ autor planè cognitus esse illi debet, qui puniendi in Republicâ accepit potestatem, priusquam puniat.

30. Non tamen per quæstiones & torturam.

31. Alias enim pœnam pateretur, quem nondum constaret peccasse; & pœna delicti esset causa, non quidem facti sed confessi, quod est iniquissimum.

32. Ne-

32. Neque per quæstiones extorquenda videtur nocenti confessio culpæ, de quâ judici jam satis constat.

33. Non quod iniquum illud, sed quod non necessarium sit. Sufficit enim hic judicis conscientia, licet nocentis confessione non confirmata.

34. Neque hercle ex usu est, dependere judicum conscientiam à maleficorum illorum strigonum constantiâ & patientiâ, qui majoris mali evitandi gratiâ facilè minus patiuntur.

35. Sed & insignis esse culpa debet, ob quam publica pœna irrogatur.

36. Nam cum gravis sit omnis pœna publica, etiam levissima, quia est publica; neque pœna major esse debeat delicto, profecto insigne esse oportet delictum, cujus causa ista infligitur.

37. Ejusdem enim hic indolis præmia, & pœnæ sunt.

38. Præmia non dantur nisi ob insignia merita; ergò pœnæ non debentur, nisi ob insignia delicta.

39. Insigne delictum est, quo in totam universitatem peccatur.

40. Fit id, cum aut facto ipso, aut exemplo in singulos dato tota universitas læditur & turbatur.

41. Facto ipso læditur tota universitas, cum uno, ut sic dixerim, sceleris ictu publicæ privatæque omnium salutis jugulum petitur. Ejusmodi sunt, quæ lege majestatis in judicium ve-

 niunt,

niunt, ut si quis proditione exercitum, plebem seditionibus, malè gestâ Republ. ejus majestatem minuerit, & quæ ejus generis sunt alia.

42. Exemplo in universitatem totam peccatur, cum singuli, qua sunt cives, læduntur. Talia sunt, ut alia nunc prætermittam, quæ propè infinita sunt, & de quibus haud ambigitur, furtum, adulterium, & quæ similis ingenii plura offeruntur.

43. In reliquis delictis, cum non evertant aut minuant boni civis personam, & ex infirmitatis humanæ quasi quadam inevitabili lege nascantur, non tam pœnæ publicæ, quæ tantum exserenda est in delicta, quæ à quovis cive facile possunt prætermitti, quam privatæ, & censuræ publicæ est locus.

44. Sufficit enim in Republicâ magistratui & indicendis ab iis pœnis in ea esse imperium & vim, quibus societas civilis continetur, aut turbatur. Nec putandum est, aliâ lege consensisse gentes in principum dominationes.

45. Ita patri filium, non qua civem sed filium, & domino servum puniendi privata relicta est potestas. Nec enim civili imperio paternum aut herile abrogatur, vel invaditur.

46. Haud tamen capitale supplicium patri in filium, aut in servum domino permittendum est.

47. Et antiquissimis Romanorum moribus jus vitæ ac necis datum aut patribus in filios, aut dominis in servos, nimium, illaudatum ac merito tandem abrogatum esse, censendum est.

48. In-

48. Intereſt quippe Reipubl. vitam hominis non dependere ab affectibus & judiciis, quæ in proximis etiam corruptiſſima eſſe poſſunt, privatorum; intereſt, non perire Reipubl. civem, niſi publicâ autoritate.

49. Cenſuræ publicæ, ubi id mores hominum patiuntur, uſus eſt in iis, quæ malum potius virum, quam civem oſtendunt aut promittunt; qualis illa apud Romanos, quæ notam inuſſit, non pœnam.

50. Cætera officio in diſtribuendis pœnis omninò ſatisfecit magiſtratus, ſi in civem, ut malum civem, animadverterit.

51. Sunt autem iſtæ & juſtiſſimæ, & ita neceſſariæ, ut jam non principum arbitrii ſit, punire nocentes, aut dimittere impunitos, quos velint, ſed omnino animadvertere debeant in nocentes.

52. Ipſius quippe naturæ lex eſt, ut qui fecit malum ferat.

53. Id enim omne ab eâ præceptum eſt, ſine quo ſe non poteſt tueri.

54. Tueri autem ſe non poteſt, niſi pœnæ iis irrogentur, qui in alios deliquere.

55. Et illi, qui puniendi in Republ. inſtructus eſt poteſtate, jus puniendi ex ipſo nocentis delicto naſcitur; adeò ut in eo quaſi quiddam ſit, quod ad naturam contractuum accedit.

56. Qui enim obnoxius eſt obſervandæ legi, ſi in eam deliquerit, obnoxius eſt conſtitutæ eâ pœnæ, inque eam ſponte ipſe conſenſiſſe judica-

dicatur. Unde nocentes non dare tantum pœnam, ſed debere, non pati tantum, ſed etiam ſolvere dicuntur.

57. Adde, quod, haud punitis noxiis, dato impunitatis exemplo, ipſi innocentes haud dubie plectantur. Quod ut plane iniquum eſt, ita æquiſſimæ, & omnino neceſſariæ nocentum pœnæ debent judicari.

58. Sunt autem illæ magis neceſſariæ in Republ. quam præmia.

59. Bene enim meritis dantur potius præmia, quam debentur; male autem meritis haud dubiè pœnæ debentur.

60. Quin imò adeo neceſſarias illas eſſe ſtatuo, ut nulla idonea excogitari poſſit ratio, aut ex nocente cive peti, ob quam nocenti ſimpliciter ſit ignoſcendum.

61. Quicquid enim alii, viri etiam magni, contra ſentiant, ſanctiſſimum certiſſimumque eſt illud Stoicorum: Non licere ſapienti interdum veniam dare aut ignoſcere nocentibus.

62. Quam enim perniciosum eſt Reipubl. delicti, tam neceſſarium eſt, & promptum eſſe debet ac immotum pœnæ exemplum.

63. Neque ſane eſt illaudabilis mos eorum, qui, ubi inter plures peccatum eſſe conſtat, nec tamen certò conſtat de autoribus, per decimationes, ſortitionesve, promiſcuè nonnullos ad pœnam querunt: ne ſcilicet ibi pœna deſideretur, ubi aperta eſt culpa; quanquam fieri non poſſit, quin plerumque per eas innocentes etiam ad ſupplicium rapiantur.

64. Præ-

64. Præstat enim sic etiam quasi puniri innocentes, quam delictum omitti impunitum.

65. Qui huic sententiæ, ut severæ nimis, inhumanæ & iniquæ, Dei exemplum opponunt, quem dicunt impiis identidem parcere, aut ignoscere, nimium falluntur.

66. Si enim ille impiis subinde parcat, ignoscatve, facit id quidem pro summâ & absolutissimâ, quam in omnia habet, potestate.

67. Talis verò ac tanta nulli Principum tributa, nulli tribuenda est.

68. Sed & falsum est, Deum aliquando parcere vel ignoscere nocenti, qua nocenti.

69. Bonus igitur magistratus vindex ultorque malorum constantissimus & inexorabilis esto.

MARCI ZUERII BOXHORNII

DE

PRIMIS OPIBUS RERUMPUBL.

1. OPes publicæ aut cum Rebuspubl. notæ sunt, aut post constitutas Respubl. ob alias atque alias necessitates, ex opibus subditorum colliguntur.

2. Initio enim Rerumpubl. quædam facta sunt non privatorum, sed occupantium Rerumpubl.

3. Reipubl. quippe & singulorum interfuit, ut quædam non essent singulorum, ea nimirum, quibus conjunctim omnes debebant juvari.

4. Talia sunt agri publici, flumina pisculenta, sylvæ, aliaque ejusmodi, quæ privatis olim locata, ut ex eorum fructibus & proventu pecuniæ in ærarium cogerentur.

5. Ejusmodi publica bona à Principibus rerum non debent aut jure possunt abalienari; ut maneat veluti fundus quidam, cui Respubl. innitur.

6. Et quocunque tandem titulo alienata, redimendi perpetua manet successoribus potestas.

7. Neque enim privati, quodcunque tandem temporis spatium intercesserit, præscribere possunt contra Rempubl.

8. Et Principibus ac Magistratibus aliis, qui sequuntur, si ea donationis titulo alienata sint, revocandæ ac rescindendæ donationis est autoritas.

9. Quippe ea, quæ totius universitatis sunt, Principes sibi solis non possunt arrogare, aut in alios transferre; & quod publicum est, à Republica alienari non potest, quamdiu manet Respubl. Est autem, cum Principes mortales sint, Respubl. æterna.

10. Sed agrorum ejusmodi publicorum plerique, alii venditi privatis, alii donati, nec redempti, aut vendicati, alii progressu temporis in feudum dati sunt; adeo ut plurimis Rebuspubl. vix ulli tales hodie supersint. Quæ quin pessimo consilio facta sint, dubitari haud debet,

11. Quanquam enim eorum, qui in feudum dati, dominium, & vasallorum, quos vocant, fides

fides ac obſequium manſerint Rebuſpubl. harum tamen intererat, ut ſervarent ſibi omnimodam & certam eorum poſſeſſionem, ſine quibus ſe non poterant tueri.

12. Licet etiam ex venditis ejuſmodi agris magnam pecuniæ vim corraſam ſtatuamus, cujus uſu vel depulſæ ſunt præſentes neceſſitates, vel plus, quam ex agris, quotannis rediit emolumenti, vendi tamen non debuiſſe, aſſerimus.

13. Nam neceſſitates Rerumpubl. incumbentes aut imminentes averti eo modo non debent.

14. Et reditus annuos minores, quos ex agris locatis reportare poterant Reſpubl. majoribus aliis, ſi illi venderentur, præferri debuiſſe, contendimus.

15. Quod verò donationes concernit, illæ omnes haud dubiè in Republ. improbandæ ſunt, quibus hæc ea amittit, aut imminuit, ſine quibus majeſtatem ſuam non poteſt ſuſtentare.

16. Cum agris & ſylvis, & fluminibus publicis littora conjungimus, quæ ita ſibi vindicaverunt maritimæ Reſpubl. ut bona, præſertim naufragorum, in iis inventa, aut ſua fecerint, hodieque faciant, aut eorum redditorum nomine quoddam veluti vectigal exegerint, hodieque exigant.

17. Sed id rationi juris gentium adverſum nobis videtur. Sicut enim mare omnibus commune eſt, ita etiam littora, & portus, quos

quos natura fecit, communia esse debere, asserimus.

18. Ad opes primas Rerumpubl. referri quoque debent singularia quædam beneficia, quæ, nulla accedente industriâ humanâ, singularum ditionum propria natura & occupans Respubl. fecit. Talia sunt fodinæ metallorum, Salinæ, aliaque ejusmodi.

19. In quibus, usui publico servatis, nihil iniquitatis esse, nobis videtur.

20. Denique augendo ærario publico, inter ipsa imperiorum exordia, optimo consilio reperta & hactenus plerisque observata sunt jura, quibus in fiscum & mulctæ, & eorum, qui id meriti, bona omnia agebantur, & bonorum vacantium Respubl. adibant hereditatem. Ad hæc referri possunt plurima ejusmodi alia, quæ commemorare omnia nimis nunc prolixum foret.

21. Hæc verò cum non sufficerent, ipsa subditorum liberalitas tentabatur, quæ cum tandem minor esset publicis necessitatibus, merito, & pro jure dominantium, tributa & vectigalia sunt imperata, de quibus alibi erit agendi locus. Nunc de primis tantum Rerumpubl. opibus dicendum nobis erat.

MARCI

MARCI ZUERII BOXHORNII

DE

Veteri Achæorum Republica, & diversa ejus mutatione ac forma.

1. INter florentissimas Græciæ Respublicas, illa Achæorum inprimis eminuit, ita ab Achæo Thessalicæ originis principe dicta: qui, postquam cognatos suos Iones solum vertere coëgerat, regionem eam occupatam, & in duodecim divisam partes, ACHAICAM nuncupavit.

2. In hac autem ditione imperium Monarchicum primo obtinuisse in confesso est: quod nempe, non sine gravi ratione, hanc imperii formam, sibi inprimis, imo omnium Rerumpublicarum exordiis, convenire judicarent. Minor enim libertas illis permittenda est, qui hactenus vagi & inconditi, vel imperii, vel obsequii legibus nondum adsuevêre.

3. Duravit institutum ab iis regnum, teste Polybio, continua stirpis Tysameni, primi hujus Reip. principis, serie propagatum, ad Gygem usque. Cujus postea filios aversati, cum insolentius se gererent, & legitimum regnum in herilem dominatum convertissent, priorem Reipublicæ formam in popularem statum convertere. Et rectè. Cum enim imperantium scelera tanta sunt, ut, nisi in tempore obviam eatur, in exitium totius Reipubl. haud dubie sint exi-

exitura, licere populo, vel proceribus populum referentibus, eos imperio exuere, judicamus. Utut enim Princeps absolutissimam in Republica obtineat potestatem, tamen se naturalibus, Gentium ac Divinis legibus, obnoxium fateri debet: quas si contemnat, nil video obstare, quo minus imperio privetur.

4. Regno finito, licet non eadem fortuna ac pace semper usi sint Achæi, tamen ut eandem Reip. popularis formam retinerent, cum studio allaborarunt. Neque enim laudandæ sunt crebræ imperiorum formæ mutationes. Et qualiscunque melior est, in meliorem mutatione. Facit huc illud Taciti: *Optimos Principes votis expetendos esse, qualescunque tolerandos.*

5. In eo autem statu ad crescentem usque Macedonum potentiam mansere. Post mortem enim Alexandri Magni, astu Regum Macedoniæ, concordia inter eos fracta, urbium societas soluta, & in contraria studia scissa est; atque ita civilibus factionibus agitati, vicinorum imperio subjecti sunt. Domesticæ enim illæ dissensiones omnia oportuna insidiantibus faciunt & aperta.

6. Quod autem in hac Republ. dissensiones civiles locum facile invenerint, id mirum nobis minime videri debet. Cum enim Achæi se omnia jam evasisse pericula arbitrarentur, & à consueto imperii conservandi studio desisterent, luxui viam aperuere. Et sane plerumque ita fit, ut nimia felicitas civilium turbarum causa sit. Ex luxu enim mox est egestas, & hinc

Usura

Usura vorax, avidumque in tempore fœnus,
Et concussa fides, & multis utile bellum.

7. Dein verò, cum animadverterent, hac ratione in occasum ire Rempubl. & ad meliorem tandem mentem redirent, privatis postpositis inimicitiis, quædam ex duodecim illis Civitatibus novam quandam societatem iniere; in quam non tantum Achaicæ regionis urbes, sed & aliæ Græciæ ditiones, convenere: adeo ut ex rebus mediocribus ad insignem & formidatam aliis potentiam res Achaica sic brevi eluctata sit. Ut enim per discordiam maximæ etiam res decrescunt, ita per concordiam minimæ quoque maxima faciunt incrementa. Atque rectissime Livius, *per aqua, ac iniqua retinenda est concordia.* Quod non privatis modo, sed & administrantibus Rempublicam, dictum præscriptumque censeo, si quidem alia ratione Respubl. non possit esse salva. Et id quidem ex jure illo laudatissimo dominationis, quo velut extraordinario æquum merito censetur, quod ordinario iniquissimum merito judicatur. Ex eo enim discimus, & id tuebimur, justissimis Magistratibus, pacis publicæ causa, in privatos, eorumque res & actiones, subinde licere esse injuriis. *Damna enim in singulos*, ut loquitur Tacitus, *utilitate publica hic pensantur.*

8. Finis quoque ipse, qui homines ad ineundas has societates impellit, non nisi bonum publicum & fuit & jam est. Quod bonum tanti est, tantumque videri debet, ut ejus gratia, si quidem aliter fieri non possit, singuli quidem privatarum

tarum rerum jacturam facere haud iniquum, neque iniquos Magistratus, si facere jubeantur, debeant existimare.

9. Nec obscura est causa, cur incrementa tam felicia hæc societas ceperit. Quippe olim & multo ante auctam Macedonum potentiam, cum statu populari regerentur, tanta justitiæ & æquitatis laude floruerunt Achæi, ut in Italia quoque quæ nominis erant Græciæ civitates, cum domi res vehementer turbatas haberent, & crudelibus odiis post cædes civiles laborarent, Achæorum authoritatem & consilia secutæ concordiam instaurarint, imo &, post aliquot annos, ad eorum exemplar Rempubl. composuerint. Ita ut vel hinc apertissimum sit, quantum in administrando imperio valeat, suum cuique tribuere. *Fundamentum enim perpetuæ commendationis & famæ*, teste Tullio, *justitia est, sine qua nihil potest esse laudabile.* Et ad hujus observationem tam imperantes, quam parentes obstringuntur.

10. Achæi, si quos aut armis, aut aliis artibus societati suæ illigarent, non imperium in eos ullum, aut superius jus usurparunt, sed in Reipubl. communionem & potestatem parem adsciverunt. Quæ ratio imperii acquirendi & conservandi antiquissima in Historiarum monumentis legenti occurrit: quam & à Tuscis observatam fuisse invenimus. Sunt quidem duæ aliæ rationes, quibus imperium acquiritur. Harum unam Populum Romanum observasse ferunt. Hi enim Civitati suæ plurimas civitates

vitates ſocias adjunxerunt, ita tamen, ut ſibi imperii vim & poteſtatem ſervarent cum in ſuſcipiendis bellis, tum in eos, quos ſociorum auxilio debellarent & ſubigerent. Altera uſi ſunt & Spartani & Athenienſes. Ea eſt, cum non ſocios tibi ullos adjungis, ſed quoſcunque ſubigis, omnes tibi ſubditos efficis. Quam imperandi & imperii acquirendi rationem minus probandam eſſe ſtatuimus. Neque enim ob ullam aliam cauſam tandem everſi ſunt, quam quod imperium & ſuis viribus, & patientia vel ſociorum, vel devictorum populorum majus ſibi comparaverint.

11. In more autem habuerunt Achæi, à tempore inſtauratæ ſocietatis, præficere ſibi Prætores duos, & his adjungere Scribam unum. Hunc conſtanter obſervarunt per ann xxv. quo tempore elapſo, unum modo Prætorem creare placuit, quo in tota ſocietate præſtare virtute videretur, eique datum fuit annuum modo imperium: quod quidem merito judicarent, hanc Imperii rationem ſtatui Democratico inprimis convenire. Ubi enim annui ſunt Magiſtratus, alios & alios, atque adeo omnes, quod Democraticæ Reip. proprium eſt, imperare poſſe conſtat. In Democratia igitur, quemadmodum & in Ariſtocratia, meliores utilioreſque ſunt annui aut in brevioris temporis ſpatium coarciti Magiſtratus, quam perpetui. In Conſulibus etiam, mutata poſt ejectos Reges Republica, recte id obſervatum à Romanis fuit.

12. Inter Achæorum inſtituta Polybius refert, quod

quod omnino abhorruerint à struendis in bello dolis; ita ut turpe duxerint, hostes suos per fraudem vincere. Cæterum, ut mihi quidem videtur, minus rectè. Permissum enim est, quacunque tandem ratione, hostilibus conatibus resistere; nihilque ad justitiam interest, cum justum bellum susceperis, utrum aperta pugna, an insidiis vincas: imo plus Reip. prodest, si stratagemate, quam si aperto Marte hostem superes. Quapropter merito Polybius, admirator paulo ante Achæorum; *Facinorum*, ait, *militarium eo esse minoris laudis ac momenti, quæ propalam & per vim patrantur, his quæ occasione & per dolum.* Neque tamen, ut hosti noceas, flumina & fontes veneno inficere; ad fallendam fidem eos præmiis invitare, qui fidem hosti debent; aut immittere percussores in Principes & Duces hostium, licitum arbitramur. Doli neque nulli, neque omnes in hostes probandi sunt.

13. In amplissimo hujus Reipubl. concilio coibant omnium fœderatarum Civitatum legati, qui universam Achæorum Remp. repræsentabant: ita tamen, ut singulæ Civitates leges & jura sibi propria servarent. Neque idcirco dicendum est, in hac Republ. fuisse mixturam diversarum Rerumpublicarum. Fœdus enim ejusmodi coëuntium Rerumpubl. unam tantum constituit Rempublicam, cui suprema majestas est in iis decernendis agendisque, quæ communis fœderis legibus sunt comprehensa: sua interim majestate unicuique Reip. domi manente in iis omnibus, de quibus

bus communis fœderis legibus nihil est definitum.

14. Inter leges Achæorum fundamentales, quas vocant, & hoc inprimis laudabiliter constitutum fuisse invenimus, ut concilium universæ gentis convocaretur, ubi vel de societate jungenda, vel bello suscipiendo, vel alia gravi causa, quæ ad omnes pertineret, agendum esset. Ita ut arctata hic, & quidem merito, fuerit singularum Civitatum & Rerumpubl. suprema potestas in iis, quæ imprudenter decreta vel administrata, malum & perniciem totius Reipubl. secum erant tractura. Singulis quippe sociorum permittenda non sunt ea, in quibus salus omnium versatur,

15. Tandem Achæi, hactenus satis florentes, graviter inter se commissi sunt, eo in concilio, in quo agebatur utrum Romanis, utrum Macedonibus, utrum vero nec illis nec his auxilium ferrent. Quidam enim clam & callide Macedonum causam agebant: alii Romanis, ut cæteris longe potentioribus & majoribus, cedendum in aliquibus cum usus posceret, salva reliqua libertate, censebant. Nonnulli verò in amicitia & societate cum Romanis, sed integra in omnibus & illibata libertate, quam à majoribus acceperant, manendum jure existimabant. Sed quia in diversas partes & factiones scissi erant, nihil certi tunc quidem ab iis decretum est.

16. Inter cæteros autem Callicrates, vera ambitionis imago, nobis offertur, qui ob privatum

tum in imperantes odium, Romanorum favorem patriæ suæ libertati prætulit. Hic enim cum ab Achaica gente ad Romanos missus esset, ut Achæorum, non suscepto adversus Macedones bello, caussam ageret, Achæorum Proceres, ut inimicos Pop. Rom. accusavit, & Romanis consuluit, si Reipubl. suæ consultum vellent, ut, concordia turbata, eos enervarent. Quæ res non parum ad subvertendam Reipubl. formam fecit. Romani enim, cum ejus rei inprimis essent cupidi, hujus impulsu magis magisque incendebantur. Et ab eo quidem graviter sic peccatum est. Cum enim legato integrum non sit excedere limites mandatorum, multo minus adversa agere licet.

17. Interim Romani Callicratem, ut patriæ vere amantem, & prudentia insignem, Achaico populo imprimis commendarunt: & ut ejus consilia sequerentur, si bene rebus Achaicis vellent, monuerunt. Quapropter ad suos reversus Prætura statim ornatus est. Qua dignitate dum fungitur, tam scite suam hanc fabulam egit, ut quod par foedus inter Romanos & Achæos fuerat, brevi tempore in foedus impar sit conversum. Eo quippe res devenit, ut, enatis controversiis, quod æquum sibi videri Romani dicerent, defugere Achæi non auderent. Ac hinc liquet etiam satis claretque, nulla foedera cum majore conjuncta esse discrimine, quam quæ cum potentioribus proximis, subjugandorum infirmiorum proximorum gratia, ineuntur. Foedera quæ majores inter & minores

san-

ſanciuntur, id complecti potiſſimum debent, quo minores magis quam majores juvantur.

18. Romani enim cum adverſus Perſea Macedoniæ Regem Achæorum imploraſſent auxilium, & conjunctis copiis Macedones viciſſent, hoſtibus jam ſubactis, omnes tandem amplexi ſunt occaſiones, ut Achæos læderent, & ab Achæis læderentur, ac ita juſti imaginem belli præ ſe ferrent. Quo mox factum eſt, ut bellum in Achæos decretum ſit: qui dum Romanis reſiſtere allaborant, aliquot præliis ſuperati, & imperio eorum ſubjecti ſunt. Et hic florentiſſimæ Reip. finis eſt. Atque hinc diſcimus quoque, & ſtatuimus, fœdera, quæ belli gratia adverſus proximos hoſtes, cum paribus aut diverſis inferioribus Rebuſpubl. ineuntur, iis, quæ cum potentioribus, pro libertate ac imperio longe eſſe tutiora.

MARCI ZUERII BOXHORNII

DE

AMNESTIA.

1. ORigo laudatiſſimi nominis ac inſtituti ad Athenienſes refertur, primuſque ejus auctor Thraſybulus celebratus eſt. Is à triginta tyrannis civitate Athenienſium occupata, plurimiſque civium in exſilium actis, diſperſam multitudinem, poſt ducem tyrannorum Critiam prælio cæſum, in patriam feliciter reduxit. Tum Pauſanias, Rex Lacedæmoniorum, inter

Thrasybulum, & eos, qui urbem tenebant, fecit pacem his conditionibus; Ne qui præter triginta tyrannos, & decem, qui postea Prætores creati, superioris more crudelitatis erant usi, afficerentur exsilio; neve cujusquam bona publicarentur: Reipubl. procuratio populo redderetur. *Præclarum tum hoc quoque Thrasybuli* (sic enim in ejus vita loquitur Cornelius Nepos) *quod reconciliata pace, cum plurimum in civitate posset, legem tulit;* NE QUIS ANTE ACTARUM RERUM ACCUSARETUR, NEVE MULTARETUR: *eamque illi* LEGEM OBLIVIONIS *appellarunt. Neque vero hanc tantum ferendam curavit, sed etiam, ut valeret, effecit. Nam cum quidam ex iis, qui simul cum eo in exsilio fuerant, cædem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditum erat, publicè prohibuit; & id, quod pollicitus erat, præstitit.* Quam igitur Amnestiam Athenienses, *Legem oblivionis* Nepos, *Memoriam omnem discordiarum oblivione sempiterna deletam*, Tullius Philipp. 1. *Plebiscitum, ne qua præteritarum rerum mentio fieret*, Val. Max. lib. 4. cap. 1. κάλλιστον ἐκ παιδείας ῥῆμα μὴ μνησικακεῖν, *pulcherrimum ex sapientiæ studiis petitum vocabulum, memoriam injuriarum esse delendam*, Æschines, τὸ τῆς ἀμνηστίας ψήφισμα, *oblivionis decretum*, Plutarchus, appellavere.

2. Argumentum ergo legis fuit, ΜΗ ΜΝΗΣΙΚΑΚΕΙΝ; ΜΗΤΕ ΑΔΙΚΟΝ ΜΗΤΕ ΔΙΚΑΙΟΝ ΛΕΓΕΙΝ: *Omnem memoriam injuriarum oblivione delento. Neque fas, neque nefas*

me-

memoranto. Atque ea mox & ab omni multitudine, & singulatim à Judicibus ac Senatu, solemnibus juramentis confirmata est. quorum formulæ apud Andocidem, Rhetorem Græcum, Oratione, quæ de Mysteriis scripta est, adhuc leguntur & hic necessario repræsentandæ sunt. Jurabant omnes; ΟΥ ΜΝΗΣΙΚΑΚΗΣΩ ΤΩΝ ΠΟΛΙΤΩΝ ΟΥΔΕΝΙ, ΠΛΗΝ ΤΩΝ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ, ΚΑΙ ΤΩΝ ΕΝΔΕΚΑ, ΟΥΔΕ ΤΟΥΤΩΝ, ΟΣ ΑΝ ΕΘΕΛΟΙ ΕΥΘΥΝΑΣ ΔΙΔΟΝΑΙ ΤΗΣ ΑΡΧΗΣ, ΗΣ ΗΡΞΕΝ; *Injurias à civium aliquo Reipublicæ, mihi, civibusve aliis factas nunquam reminiscar, exceptis quas triginta tyranni & undecim viri fecere. Quin verò & has ad animum non revocabo, si modo administrati à se imperii reddere rationem voluerint:* Senatores; ΟΥ ΔΕΞΟΜΑΙ ΕΝΔΕΙΞΙΝ, ΟΥΔΕ ΑΠΑΓΩΓΗΝ ΕΝΕΚΑ ΤΩΝ ΠΡΩΤΕΡΩΝ ΓΕΓΕΝΟΜΕΝΩΝ, ΠΛΗΝ ΤΩΝ ΦΕΥΓΟΝΤΩΝ; *Non recipiam indicium aut accusationem, eorum nomine, quæ hactenus facta sunt, nisi de exulibus:* Judices; ΟΥ ΜΝΗΣΙΚΑΚΗΣΩ, ΟΥΔΕ ΑΛΛΟ ΠΕΙΣΟΜΑΙ, ΨΗΦΙΟΥΜΑΙ ΔΕ ΚΑΤΑ ΤΟΥΣ ΚΕΙΜΕΝΟΥΣ ΝΟΜΟΥΣ, *Non subibit me malorum, quæ evenerunt, memoria; neque in aliam unquam sententiam concedam quo minus judicia exerceam secundam latas jam leges.* Neque in alium finem mox rogata ab Archino lex, & admissa est; *Si quis in jus vocat adversus hoc jusjurandum, reus exceptione utitor; eâque de re*

Archontes primum judicia reddunto: prior qui exceptione utitur dicito: qui caussâ ceciderit epobelia multator. Hæc enim ejus sententia apud Isocratem exstat. Ex quibus satis apertum est, Amnestiâ à Thrasybulo sancitâ, & multitudini probata, omnem, etiam cætera justissimam, actionem, civilium motuum ac bellorum injuriarumque nomine instituendam, Magistratibus in cives, ac civibus in Magistratus & cives, omnino clausam fuisse ac præcisam. Id vero institutum haud modo eventu, pace Atheniensium Reipubl. sic redonatâ, illustre fuit; sed & ratio probat, & à cautissimis quibusque ac optimis quavis occasione merito laudatur in exemplum; hac nostrâ cum primis ætate, quæ sub bellis civilibus, per tot jam annos omnem prope agitantibus & evertentibus Europam, inter tot florentissimarum gentium excidia, tot

---- effera, ignota, horrida,
Tremenda cœlo pariter ac terris mala,

prope defecit. Et cum ea adhuc sit principum, aliorumq; contumacia, ut prius homines, quam odia, & injuriæ, & lubido ultionis defutura videantur, salutaris adeo ac necessarii remedii indolem usumque propius paullò nunc introspicere, haud pigendæ operæ, vel ab hoc tempore alienum erit.

3. Amnestia est sancita decreto publico inter Principes ac subditos, ipsosque cives, delictorum ac injuriarum omnium, quæcunque & quorumcunque sint, perpetua oblivio, ad præveniendа bella civilia, aut, si exorta ea jam sint, præ-

præcidenda, ac continendam alias in partes ituri, aut redintegrandam jam discordantis imperii pacem comparata.

4. Dixi, *sancitam decreto publico oblivionem.* Fateor equidem, nullam esse tantam vim imperii ullius aut legis, ut id quod in nostra potestate non est, vel injungere debeat, vel possit obtinere; sicut in eâ non semper est, illorum oblivisci, quæ, mala inprimis, quorum acrior fere est memoria, nobis evenere. Quo spectant illa Taciti de ademptâ sub Domitiano loquendi libertate, Præfat. ad Vitam Agricolæ; *Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in potestate nostra esset, oblivisci, quam tacere.* Est tamen in potestate nostra, eorum, quorum oblivisci haud possumus, non meminisse in vindictam aut ultionem. quo fit, ut quanquam id quod factum est, infectum fieri non possit, quasi infectum tamen habeatur; & injurias, quas illatas nobis ab aliis scimus, querela omni & libidine talionis amota, ut non illatas transmittamus. Ea delictorum ac injuriarum oblivio est, quæ requiritur hîc & imperatur.

5. Requiritur autem primo, *inter Principes ac subditos*; quo quæ ab illis iniquo imperio, ab his secessione, dedignatione parendi, aut aliter commissa sunt, ut nunquam commissa, constantissimo oblivio abolentur. Dein, *inter ipsos cives*; quo ob damna inter motus ac bella civilia illata aut accepta civi in civem nullæ in posterum actiones, quantumvis cætera justissi-

ſtiſſimæ, nulla judicia permittuntur. In cujuſmodi decreto nihil eſt iniquitatis. Sicut enim privati res ſuas (inter quas etiam juſtas actiones numeramus, cum, ex ſententia Juriſconſultorum, rem habere videatur, qui habet ejuſmodi actiones) dominio, ita eaſdem ſupremi magiſtratus imperio poſſident; id eſt, adimendi etiam privatis habent poteſtatem, ſi id ſalus & pax publica flagitet, quæ haud magiſtratuum modo, ſed ſubditorum quoque judicio, ſingulorum cauſſis ac commodis ſemper anteponenda eſt, ubi alia ratione vel obtineri vel ſuſtentari non poteſt.

6. Sequitur; *delictorum & injuriarum omnium.* Ergo eorum etiam, quibus vel maxime læſa eſt imperii aut imperantium majeſtas. Male quippe ejus tuendæ cauſſa in hujuſmodi reos ſupplicia decernuntur, quibus illa in ultimum diſcrimen vocatur, & bellorum civilium atrociſſimis tempeſtatibus Reſpubl. objicitur. Multo magis delicta eorum & injuriæ hac oblivione tramittenda veniunt, qui vel opinione tantum deluſi, vel aliis obnoxii, vel vi majore victi peccavere. Audiendi enim hic ſunt Impp. Arcad. & Honorius AA. Conſtantio Com. & Patricio ſic reſcribentes; *Sub clade barbarica depopulationis, ſi qua aut per fugam, aut per congregationem infelicium populorum indignè invidioſeque commiſſa ſunt, ad invidiam placatarum legum à callidis litigatorum objectionibus non vocentur. Habeant omnium criminum immunitatem, qui evadendi non habuerunt forſitan facultatem,*

tatem, nisi eos eadem crimina juvissent. Non enim crimen dicitur, quod mortis adegit impulsus. L. ultima C. Th. de infirmandis his, quæ sub tyrannis aut Barbaris gesta sunt. In civilibus motibus offerunt sese fere aut ἀδίκημα, sive malitia, aut ἁμάρτημα, sive error, aut ἀτύχημα, sive infortunium, aut casus, ut Ulpianus loquitur. Malitia est, ubi animo deliberato, sive ex proposito, ut idem J. C. loquitur, & magno exemplo peccatum est; error, ubi quis modo lapsus est, opinione vel exemplo aliorum deceptus; infortunium autem, ubi vi armata inviti ad sceleris societatem pertracti sunt. Infortunati revera innocentes sunt; in lapsu pœnitentia potius, quam pœna contentum esse expedit; qui autem ex proposito deliquerunt, si ipsos videas, pœnam quidem merentur; sed si Rempubl. sine cujus excisa pace, & tot alios aut revera innocentes, aut saltem venia dignos, sine quorum exitio, de istis supplicium sumi non potest, simul cum his Amnestia absolvendi sunt. Expedit enim Rempubl. salvam esse, quam in nocentissimos animadverti; & satius est, parci nocentissimis, ut serventur innocentes, vel digni venia, quam illorum supplicii caussa, hos simul perire. Quod adeo verum est, ut in pacata etiam Republ. non iniqua videri debeant eorum judicia, qui nocentes quosdam absolvunt, ne proximorum innocentia vel mœrore saltem aut aliquo famæ detrimento lædatur. Nullum proinde tantum delictum videri debet, ut in turbata ac commissa Rep. indignum Amnestia censeatur.

7. Addidi; *quorumcunque sint*. Igitur ipsa etiam capita factionum, & auctores omnium, quæ sequutæ sunt, injuriarum, Amnestiæ decreto amplecti convenit. Pœnæ quidem in publicarum factionum primos præcipuosque auctores, metus autem in cæteros derivanda sunt; at id tum demum habet locum, ubi multitudo eorum caussam deserendam judicavit, atque ab iis se divisit. Nequidquam alias huic ignoscitur, si in iis ducibus lædatur, quorum partes, ut suas, hactenus adhuc sequitur, & probat. Neque etiam excludi illos velim, qui jam publico judicio proscripti, & in quos, ut perduelles, ultimæ pœnæ solemniter decretæ sunt. Quidquid enim ejusmodi sanctionum æstus civilium turbarum peperit, una Amnestiæ litura delendum est. Multo certè satius est Principibus mutare decreta, quam iis inhærendo in quandam quasi malorum æternitatem Rempubl. conjicere. Contumacia quippe, non constantia est, in eo durare, quod non nisi noxæ esse deprehenditur. Nec id benificium in hos modo conferendum censuerim, qui jam supplices sunt, quosque facti pœnitet, sed illos quoque, qui in incepto adhuc contumaces persistunt. Sicut enim medici remedia sævientibus maxime morbis opponunt, non postquam depulsi sunt; ita hoc in expugnanda subditorum contumacia magis necessarium est, quam ubi eos pœnitentia subiit. Quod qui contra officium boni Principis facere existimant, næ illi ignorant, hujus inprimis esse, pacem publicam, bo-

bonum omnium maximum, qualibet cura redintegrare; & qui sic prostitui judicant imperantium majestatem, haud satis adtendere videntur, non esse impotentis minorisve, sed summæ potestatis, offerre ac præstare posse ejusmodi injuriarum oblivionem.

8. Finem Amnestiæ ac usum duplicem præscripsimus. Nam aut bella intestina eâ sancitâ præveniuntur, aut jam exorta præciduntur. Utramque decretâ oblivione, illud primis delictis, hoc sequutis quoque non agnitis, obtinetur. Prioris normam ac illustre inprimis exemplum reddit Tacitus in Agricolæ Vita. Hic enim jussu Domitiani in Britanniam missus, & vicesimæ legioni tarde ad sacramentum transgressæ, ac seditiose agenti, impositus, *rarissima moderatione*, ita Auctor loquitur, *maluit videri invenisse bonos, quam fecisse.* Eos qui mali sunt videtur invenisse, & sic facit, bonos, qui pœnæ metum non intentat; haud aliter, ac si non esset peccatum. Et paullo post in eodem commendat divinum illud, & quod hanc Amnestiæ partem penitus absolvit; *Omnia scire, non omnia exsequi.* Idem de Juliano Cæsare Libanius Sophista testatum reliquit, in Oratione ad Theodosium, de Seditione Antioch. Cum enim populus Rom. graviter in ejus deliquisset majestatem, id maximè fratris sui consilium probavit, quo talia non cognoscere, & oblivione transmittere, regium esse monebat. Quo & Romani servati sunt, & statim obsequium iis in Principem rediit. Quæ quis non laudaverit? Multo enim

satius est, prima peccata, in quæ sine majore motu animadvertere non possis, venia vel oblivione transire, quam puniendi vano conatu reos, eorumque asseclas, ad atrocius diutiusque peccandi, & omnem pacem publicam evertendi, adigere necessitatem. Alterius in sancita à Thrasybulo aliisque Amnestia, obvia sunt exempla. Neque hic deest gravissima, & quæ cuivis facile se probet, ratio. Exorta enim jam & flagrantia civilia bella vel victoria partium, vel Amnestia finiri posse, statuendum est. Nec alia via datur. At vero, ne nunc dicam; incertas esse victoriæ spes; multo amicorum etiam sanguine, multisque impensis, & plerumque non nisi post gravissimas clades reportari; sæpius etiam superiores evadere, qui ut infirmi & iniqui contemnuntur; in ipsa victoria, victorisque jure tota prope Respubl. collabitur, dum partim in victis letaliter percussa, partim in fatiscente victore ægre spiritum trahens, vix diutius, ac ne vix quidem, se potest tueri. Plane ut in corpore, si minimum quidem auferas, totum labefactas. Miseram certe illam & victoris, & Reipubl. inter bella intestina, conditionem Julianus Imperator olim agnovit & detestatus est. Οὐ γὰρ, ut de eo loquitur Libanius in Panegyrico, *εἴασε συμπεσεῖν στρατὸν στρατῷ· οὐδὲ γυμνωθῆναι σίδηρον· οὐδ' ἐξ ἀλλήλων οἰκείους ἀριστεῦσαι· οὐδὲ φοινιχθῆναι γῆν φόνῳ φιλτάτων· οὐδὲ πλησθῆναι τοῖς νικῶσι λυπηρῶν· οὐδὲ τοὺς αὐτοὺς καὶ κρατεῖν, καὶ δακρύειν;* *Non enim permisit exercitum cum* *exer-*

exercitu concurrere, neque ferrum nudare, neque familiares & domesticos ex mutua pernicie strenuitatis famam aucupari; neque terram charissimorum sanguine cruentari; neque victoriam molestam & acerbam victoribus referre; neque eosdem & vincere & flere. Ergò in ipsa victoria & victores ipsi læduntur, & incomparabile Respubl. patitur detrimentum. Sed nec sic finiri satis mala videntur. Exules enim, & omnibus exuti, plerumque præsidium vel in desperatione, vel excitata inter externas gentes miseratione, inveniunt. quibus fit ut cuidam velut bellorum æternitati Respubl. involvatur. Constat jam, cum nullum aliud supersit remedium, in solius Amnestiæ, qua sic coëunt vulnera, ut nullæ maneant cicatrices, & tolluntur pariter ac servantur partes, gremio Rempubl. maxime fatigatam, si quidem eam salvam esse velimus, debere, ac posse conquiescere.

9. Cæterum prævenire Amnestia civilium bellorum motus, haud arduum factu esse, quivis facile agnoverit. At, ut ea ratione tollantur bella intestina, non exorta jam tantum, sed longo annorum tractu, multas inter utrimque acceptas aut datas clades, eversiones urbium totarumque ditionum, principum virorum & infinitæ prope multitudinis exilia, gesta ac continuata, fieri haud posse, plerisque est persuasum. Nihilominus tunc quoque hanc solam & facillimam & certissimam esse sanandæ pacandæque Reipubl. rationem, liquido, nisi fallimur, ostendemus.

10. Equidem & in tollendis civilium bellorum primis ac præcipuis caussis, & in iis, principibus inprimis viris, quorum honores possessionesque horum bellorum jure, si quod in iis jus sit, in quibus jus tantum sceleri dari Lucanus affirmavit, in alios devoluta sunt, restituendis, omnis illa difficultas potissimum versabitur. Caussa fere est in supremorum Principum aut magistratuum imperiis vel revera iniquis, quæ proinde merito; vel æquis quidem, sed tamen opinione ac interpretatione iniquis, quæ nulla ratione & proterve subditi repudiavere. Utrumque illud rescindendum, & ex eo natos civium motus perpetua oblivione delendos esse, quis meliorum cautiorumque Principum non agnoverit? Neque enim boni sunt, qui in eo, quod iniquum est, imperando, & in exigenda pœna culpæ, cujus ipsi auctores sunt, contumaces persistunt. Quam divinum est illud Philippi Amyntæ F. cujus meminit Themistius Philosophus in Orat. ad Valentem Imp. de victis clementer habendis? Cum tribuni aliquot militum hostilia in eum meditati, delatique essent, non statim gladium arripuit, sed, *Παρ' ἡμᾶς, φησὶ, τὸ αἴτιον τῆς ἀπεχθείας*; *Penes nos*, inquit, *caussa est, cur invisi simus.* Neque cauti sunt, qui non desistunt ab iis imperandis, quæ quidem bona esse dictat ratio, sed eventus ostendit in pessimum publicum exire, dum adversis multitudinis animis obtruduntur. Audiamus illa Tiberii, contra eos Annal. III. apud Tacitum prudentissimè disserentis, qui adversus

sus infamem luxum istorum temporum Sumptuarias leges revocandas, contendebant, *Quodsi,* inquit, *mecum ante viri strenui Ædiles consilium habuissent, nescio an suasurus fuerim omittere potius prævalida & adulta vitia, quam ostendere quibus flagitiis impares essemus.* At quid si principes nihilominus contra rationem sint contumaces? Certe si quidem ea, quantumvis iniquiora sint, aut videantur, illi velint, quibus concessis salva tamen adhuc manere potest Respubl. quidni patientia pacem redimere potius fuerit, quam obstinatione bella civilia trahere, quibus haud dubie omnia in casum dantur? Quantulum enim est ferre injusta quædam imperia? quam, si totius alias imperii eversionem videris, in levi habendum? Qui aliter animati sunt, mihi quidem haud absimiles illis videntur, qui leviorem morbum irrito conatu depulsuri, nihil eo aliud efficiunt, quam ut tandem incidant in letalem. Ægram esse Rempubl. expedit, quam hac ratione curari. Si igitur ex rationis certissimo præscripto judicent, principes quidem; melius esse aliquod imperium, quam nullum; sive, ut loquitur & utrumque simul complectitur Tullius, præstare esse aliquam Rempubl. quam nullam, haud dubie ac facile confectum negotium habemus. Iis enim solis, qui non auscultant rationi, facillima videntur, quæ revera ἀδύνατα sunt; ut per bella civilia pacem Reipubl. posse reddi; in iis contra, quæ facillima sunt, immensas quasdam sibi fingunt diffi-

difficultates; ut in procuranda Amnestiæ decreto publicæ rei redintegratione.

11. Sed quo pacto ejectis ex utrisque, quorum bona, temporis & bellorum tractu, in alios ac alios dominos transivere, satisfacere licebit? Admiratione dignum est Arati Sicyonii factum. Cum ejus civitas quinquaginta annos à Tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem, clandestino introitu urbe est potitus. Cumque tyrannum Nicoclem improviso oppressisset, sexcentos exules, qui fuerant ejus civitatis locupletissimi, restituit, remque publicam adventu suo liberavit. Sed cum magnam animadverteret in bonis & possessionibus difficultatem, quod & eos, quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere, iniquissimum arbitrabatur, & quinquaginta annorum possessiones movere, non nimis æquum putabat, propterea quod tam longo spatio multa hæreditatibus, multa emptionibus, multa dotibus detinebantur sine injuria: judicavit, neque illis adimi, neque his non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Tandem grandi pecuniâ ad eam rem constituendam acceptâ, adhibuit in consilium sibi quindecem principes, cum quibus causas cognovit, & eorum qui aliena detinebant, & eorum qui sua amiserant; perfecitque æstimandis possessionibus, ut persuaderet, aliis, ut pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent: aliis, ut commodius putarent numerari sibi quod tanti esset, quam suum recuperare. Itaque perfectum est, ut omnes, constituta concordia, sine querela

querela discederent. Hæc de eo Tullius sub finem Lib. 2. Offic. At id exemplum difficilem habet imitationem, quin & nullam, ubi ad mendicitatem compulsæ sunt totæ eæque florentissimæ ac frequentissimæ nationes, & acceptæ clades nullam patiuntur æstimationem. Quod nostro hoc sæculo evenit. quo cum & desertæ pridem jaceant fœcundissimæ terræ, & ad eam paucitatem redacta sit exulum colonorum veterum multitudo, quos ferrum aut alia temporum mala absumpsere, ut, reddita pace, cultores prius quam agri defuturi videantur, nihil est, cur hic hæsitemus. Patria modo reddenda est reliquo illi populo miserorum, qui nunc

per urbes errat ignotas, egens,
Exul, pavens, invisus, incerti laris.

At in reddendis ejectorum Principum honoribus, ac fortunis, quæ donatione aut alio titulo jam facta sunt aliorum, ardua omnia plerisque videntur. Verum; si quidem illi qui restituendi habent potestatem, pacis publicæ sint studiosi; ac serio cogitent, nullam debere superesse pœnam, ubi nulla est culpa, vel si quæ fuit, Amnestia potest debetque deleri, & qui ea possident, quæ sunt innocentum, quocunque tandem titulo possideant, possidere aliena, revocatas ejusmodi donationes, aliis, quæ nemini noxiæ sint, posse pensari; si etiam illi, qui restituendi sunt, quorundam jacturam facere velint, ne maneant omnibus exuti, haud adeo difficilis id operis esse videtur. Sed & in ipso rerum complexu sæpius hæ deliberationes, quam in ejusmodi dissertatione,

tione, quæ circumstantias omnes caussarum, temporum, personarum, nec admittere potest, nec expendere, minus impeditæ inveniuntur.

12. Cæterum in Amnestia nihil securitatis aut fiduciæ esse; semper metuendos, quos semel læseris; subditis *secretum illud & abditum Principum*, ut passim loquitur Tacitus, quorum odia hac larva tecta condi & differri possunt in occasiones; Principibus autem eorum, qui semel perduelles exstitere, studia semper suspecta esse oportere; sunt qui afferant. Quibus sane ego haud alia reposuerim, quam, si cum optimis res sit, nihil superesse periculi; si cum malis ac perfidis, modo deposita sint arma, non admodum metuendas hic esse inermes insidiarum meditationes; ac ad alias omnes pessimorum clandestinas artes, & prævidendas, & turbandas, & cavendas, optimis adesse semper prudentiæ mumimenta. Sed &, etiamsi concurrant atrocissimæ omnes quæ fingi possunt suspiciones, haud eo minus verum ac immotum manet; præstare ægram Rempubl. in eo statu esse, in quo, si qua inter homines sit fides, utrumque possit convalescere, quam in eo, in quo si maneat, certissimo sit peritura. Quantumvis anceps & eventus dubii remedium, si aliud non suppetat, opponendum est morbo, cujus alias letalem ictum fore constat.

13. Et haud absque gravi ratione Amnestiæ decreto eximiam quandam vim ad sufflaminandas injurias, mutandosque animos, etiam pessimorum, à sapientissimis hominibus esse attri-

attributam, quo quisque propius agnoscat, ipsa quoque pulcherrimi instituti; ut sic dixerim, principia, ex quibus nascitur, quibusque innititur, postremo aperienda sunt. Constat vero caussam, cur delicta ex delictis, injuriæ ex injuriis trahantur, hanc plerumque esse, quod ultores illi metuantur, in quos jam ante peccatum est; & consultissimum nocentes judicent, alio atque alio delicto dissolvere vim ultionis in illis, qui priores injurias, illatas sibi, non remisere. Conscii sibi læsæ Principis & imperii majestatis, plerumque haud alia de caussa, quam quia metuunt pœnam, nec veniam exspectant, priora scelera novis additis adversus pœnam tuentur. Ut enim in malum propensi à peccando se nonnunquam abstinent, formidine pœnæ; ita, postquam semel peccatum est, ob solam pœnæ formidinem, omne præsidium reponunt in continuatis injuriis adversus eos, in quos deliquere. Cum igitu *metus ex flagitiis maxima peccandi necessitudo sit,* ut loquitur Tacitus Annal. III. & mali, ob solam supplicii formidinem, quo evadere possint, deteriora amplectantur; ex utilitate publica placuit, ut oblivionis decreto simul cum culpa pœnæ metus, & cum metu necessitas ulterius peccandi tollerentur. Accedit, quod in beneficiis, collatis etiam in nocentissimos, ad horum animos iis, in quos hactenus injurii sunt, devinciendos, efficacia quædam sit imcomparabilis. Displicebat olim Socrati receptum inter Græcos proverbium; Ὅτι δεῖ τοὺς μὲν φίλους εὖ ποιεῖν, τοὺς δὲ ἐχθροὺς κακῶς ποιεῖν;

Quod

Quod amicis bene, inimicis male oporteat facere; mutabatque; *Amicis quidem bene oportere facere; hostibus autem non tantum non male, sed hos ipsos etiam amicos nobis esse adjungendos.* Quare & ad minitantem sibi; *Nisi te occidero*; vicissim minitans, sed egregie, *Nisi te*, dixit, *amicum fecero.* Benificium autem, quod qui injurias accepit, omnium maximum conferre potest in eum, qui intulit, cum sit ipsa oblivio injuriarum, quin eo ipso in amorem odium, & injuriæ in officia mutari facile possint, nequaquam est dubitandum. Adeo ut finiendum nobis sit in illo Publii Syri, quod tollendis non privatorum modo, sed publicis etiam injuriis, aut, quod hic volumus, expediendæ turbatæ Reipublicæ, dictum est;

Injuriarum remedium est oblivio.

MARCI ZUERII BOXHORNII

DE

LEGIBUS.

1. UT Reipubl. quam optimè sit, inprimis necessariæ sunt leges. Imo ne esse quidem ulla sine legibus Respubl. potest, neque ulla unquam fuit.

2. Naturalis quippe ratio solum complectitur quædam principia morum per se unicuique nota, & à promiscua civium multitudine, ut maxime, fere tantum extenditur ad ea, quæ ne-

necessaria & evidenti ratione ex iis principiis colliguntur.

3. At præter illa multa alia sunt sine quibus Respubl. rectè administrari, paxque ejus & salus conservari haud potest; ideoque plane necesse fuit ut ab illustrioribus & imperii ac tot tantarumque rerum capacibus mentibus ea singulatim legibus comprehensa toti multitudini præscriberentur, quæ neque per solam naturalem rationem, neque eodem modo, à singulis poterant definiri.

4. Et cum in societate civili tuenda unicuique sit non modo singularis, sed vel maxime socii totius multitudinis persona, hujus recte gerendæ munia non oportet à singulorum arbitrio, sed necessario debent à præscriptis omnibus & communi consensu receptis iisdem legibus dependere.

5. Accedit, quod quæ publici egregii bonum spectant, præcipuè sint procuranda; singuli autem aut difficulter ea cognoscant, aut privatarum rerum studio ab earum cura abstrahantur. Inde subjecta necessitas condendarum legum, quæ quid assequendi illius communis boni gratia, & quomodo agendum, docerent, decernerent & ad obsequium singulos obligarent.

6. Adde denique, quod Rempubl. omnem constituat imperii ac obsequii discrimen; neque obsequi privati possint nisi cognita imperantium voluntate; neque hæc cognosci possit nisi per legem: quæ iccirco sermo ab excellenti aliqua mente & prudentia profectus ab Aristotele

ab

ab aliis lingua & vox viva civitatis venustissimè appellatur.

7. Constat jam, eadem initia esse legum, quæ sunt Rerumpubl. easdem origines, &, ut sic dixerim, eadem incunabula magistratuum esse & legum.

8. Nam neque magistratus esse potest sine lege, neque lex sine magistratu.

9. Lex ejusmodi, quæ civilis recte dici potest, & popularis alibi à Tullio appellatur, nihil est aliud, quam voluntatis eorum, qui supremam habent potestatem, solemnis & publicè sancita significatio, quâ & civitatis mores diriguntur, & ad obsequium cives omnes obligantur.

10. Dixi legem esse solemnem & publicè sancitam significationem. Intellige autem promulgationem eam, quâ lex innotescere omnibus iis potest quibus fertur.

11. Ea adeo quidem necessaria est, ut sine ea nulla omnino lex, ne quidem divina vel naturæ, dici aut esse possit; & incipiat nunc demum esse lex, cum, ut oportet, promulgata est.

12. Neque enim obligare, quod proprium legis est, civem potest nisi promulgata. Unde lex signum voluntatis Principis quibusdam haud absurde appellatur.

13. Ergo non peccatur in legem nisi promulgatam.

14. Peccatur tamen in incognitam, si nempe per legislatorem non steterit, quo minus cognosci potuerit.

15. Mi-

15. Minus tamen peccat & merito mitius punitur, qui peccat incognitâ lege, quam qui cognitâ.

16. Promulgatio plerumque jam peragitur publica recitatione legum apud cives convocatos, & ſcripturâ.

17. Non tamen ad promulgationem legum neceſſario ſcriptura requiritur.

18. Poſſunt enim & alio modo promulgari.

19. Ut ſi verbis tantum exprimantur; quomodo Lycurgi apud Spartanos memoriæ hominum, non tabulis creditæ fuere.

20. Tacito etiam aſſenſu Magiſtratuum, aut conſenſu populi, qui jus condendarum legum habet & poteſtatem.

21. Sic & conſuetudines rectè dicuntur leges, & non aliter ac ſcriptæ leges ad obſequium cives obſtringunt.

22. Nec aliter jura & leges gentium quam ex tacito cordatiorum gentium conſenſu colliguntur.

23. In Monarchico quidem aut Ariſtocratico ſtatu in introducenda conſuetudine, ut vim habeat legis, probabilis Principis aut ſuperioris ſcientia, &, qui ex patientia præſumitur, aſſenſus requiritur.

24. In ſtatu autem Democratico jus introducendæ conſuetudinis, quæ legis inſtar habeat, penes ſolum populum eſt.

25. Alias legi à Principe, aut optimatibus latæ, contraria populi conſuetudine derogari non poteſt.

26. Cum

26. Cum enim ejusdem sit legem tollere, cujus est condere, latam tollere consuetudine diversa non potest populus, qui condendi leges non habet auctoritatem.

27. Ut ergo consuetudini vis legis sit duo requiruntur, ut consuetudo sit diuturna, longa, inveterata; & ut justo tempore aut ea usus sit, ut populus, aut eam invalescere passi sint, ut Principes, aut optimates, qui ferendarum legum habent potestatem.

28. Nec sanè necesse est, ut in contradictorio judicio approbata sit, ut loquuntur & sentiunt plerique Jurisconsultorum.

29. In contradictorio quippe judicio justo jam temporis spatio adulta consuetudo non tam fit lex, quam ut recepta jam lex magis confirmatur.

30 Cæterum cum sensim tacito consensu vim legis accipiat consuetudo, atque is consensus ex frequentiore usu & justo tempotis tractu arguatur, quando pro lege haberi debeat consuetudo, magna inter juris Romani interpretes est hæsitatio.

31. Ego, qui non ex auctoritate sed ratione hæc differenda suscepi, eorum sententiæ subscripserim, qui consuetudini robur & auctoritatem legis tribuunt, inspecto totius populi usu ex iis, quæ frequenter circa eandem rem & controversiam tenaciter per tantum tempus observata sunt, quantum superstitum hominum nec ætas nec memoria comprehendit.

32. Sunt igitur tacitæ quædam leges; est jus quod-

quoddam in omni Republ. ſine ſcripto, quod uſus approbat, & ſolo conſenſu utentium promulgatum legum indolem imitatur, & haud aliter quam ſcripta, aut vivâ imperantium voce expreſſa, ſubditos ad obſervationem obligat.

33. Pro Republ. tamen conſtantius meliuſque eſt ſcriptis legibus uti, quam non ſcriptis.

34. Scribi autem ac exprimi ita debent, ut earum ſententia plana ſit & aperta, ejuſmodi verbis comprehenſa, quæ, cum unam modo & ſimplicem legiſlatoris mentem interpretari debeant, nihil habeant ambiguæ ſignificationis.

35. Alias quippe non tam leges ſunt, quam modi & nexus legum, magnum litium & calumniandi argumentum.

36. Neque tamen expedit eſſe verboſas.

37. Inde enim fere eſt obſcuritas legum. Ubi quippe multis ſingula perſequi contendit legiſlator, dum majorem ſperat certitudinem, ex adverſo quæſtiones multiplices parit de verbis, ac omnino facit, ut propter ſtrepitum verborum difficilius elici poſſit interpretatio ſecundum ſententiam legis. Ex verborum igitur in lege naſcitur haud dubie copia diverſiſſimarum, quæ à legis mente alienæ ſunt, interpretationum.

38. Et cum ſingula, ad quæ extendit ſeſe ſententia legis, ſingulatim perſequi legiſlatori prope impoſſibile ſit, exquirenda eſt verborum quædam, ut ſic dixerim, generalitas, ita tamen definita, ut licet ſubintellecta ſingula ſingulatim non perſequatur (quod fieri vix poteſt)

potest) attamen non subintellecta satis perspicue excludat.

39. Addidi, legem esse significationem voluntatis eorum, qui supremam in Republ. habent potestatem. Hi enim soli, ut & hi, quibus illi potestatem faciunt, nec alii, condere possunt leges. Cum enim lex obliget ad obsequium, legem ferre non possunt nisi hi, quibus obsequium debetur.

40. Duo quippe legis munia sunt, quæ & in descriptione ejus jam expressimus, dirigere mores civitatis, & cives ad obsequium obligare.

41. Obligandi vis est ab auctoritate ejus, qui tulit; cujus jussui cum parere debeant subditi, non possunt non promptissimo obsequio excipere legem, quam jubet.

42. Vulgo autem quæritur, an ad observationem legum, quas Princeps tulit, ipse etiam obligetur.

43. Siquidem hic consilio & prudentiæ legibus sit locus, nulli Principum dubium erit, quin & vim magnam conciliet legibus observantis Principis exemplum; & vere augusta sit illa toties repetita vox; Dignum majestate regnantis esse obnoxium sese legibus profiteri.

44. Sin vero de necessaria obligatione & prærogativa principali agatur, sicut sane agitur, discrimine interposito est respondendum.

45. Quippe in legibus tria fere invenio; id quod natura suâ æquum est; id quod arbitrio tantum legislatoris Principis; denique pœnam & coarcitionem eorum, qui neque quod per se, neque

neque quod ſolo arbitrio Principis æquum eſt, ſunt obſervaturi.

46. Ad prius examuſſim obſervandum quin juxta cum omnibus, quos ſubditos ſibi habet, obligatus Princeps ſit, quis adeo perditæ adulationis eſt, qui diffiteri audeat?

47. In eo enim Princeps habet & agnoſcere debet ſuperiorem, nempe Deum imperantem.

48. Ad alterum obſtringi, nemo jure dixerit.

49. Si enim certum ſit, ſicut eſt certiſſimum, quidquid ejuſmodi in legibus eſt, quoties lubet tollere & mutare eum poſſe qui tulit, ſine dubio Princeps neutiquam tenetur ad id obſervandum, quod ut præſcribere ſuis potuit, ita, quoties vult, poteſt abrogare.

50. Tertium denique quod ſpectat, coarceri & puniri Principem ex præſcripto legum non poſſe, quivis facile videt.

51. Superioris enim eſt coarcere & punire. Talem autem Princeps non agnoſcit.

52. Interim ut Principes ad inſtar Deorum ſunt inter homines, ita etiam ſciant, ſe ad inſtar hominum apud Deum eſſe, eique aliquando, ſi in divinas & naturæ leges deliquerint, pœnas ſcelerum ſuorum daturos.

53. Lex dirigit mores civitatis alia imperando, alia vetando, alia permittendo, denique non obſequentes puniendo. adeo ut norma ſit, ad quam actiones civium compoſitæ habent rectitudinem civilem, & ab ea deflectentes, improbæ cenſentur.

54. Porrò legum finis cum eſſe debeat bo-

num publicum, haud dubie emanare illæ debent ex principiis & præceptis tam æquitatis naturalis, quam civilis.

55. Quod quidem naturæ jus spectat, est illud supra omnes leges civiles, eique omnes obsequi tenentur.

56. Lex ergo civilis nihil potest præcipere, quod jus naturæ prohibet; nihil prohibere, quod præcipit.

57. Potest tamen jus naturæ circumscribere, & vetare quod per naturam licet.

58. Ita, ne exemplum hic desit, lege impediri aliqui possunt, ne feras, pisces, aves capere & capiendo acquirere eis liceat, etiamsi jure naturæ & gentium liberum sit ejusmodi animalia venari.

59. Cum ergo id, quod licet per legem naturæ, impedit lex civilis, non peccat in jus naturæ.

60. Ut enim jus naturæ ea, quæ jubet aut prohibet, vult esse immota, neque ullis aliis legibus convelli; ita illa, quæ tantum licere omnibus vult, arbitrio eorum, qui societatem civilem regundam accepere, sive omnibus, sive quibusdam, sive nulli licita esse velint, permittuntur.

61. Quare, ut jam alia non dicam, quanquam singulis imperata à natura matrimonia non sint, iniqua videri non potest in Republ. Romana celebris illa lex Papia Poppæa de maritandis ordinibus, & cœlibum pœnis.

62. Principia æquitatis civilis quod attinet, illa

illa fere ex iis, quæ in iſtâ infinita rerum & temporum varietate diverſa occurrunt, & legiſlatori examuſſim cognita eſſe debent, ac præcipue ingenio ſubditorum colliguntur.

63. Eo fit ut idem in alia Republ. æquum, in alia iniquum merito cenſeatur. Neque enim quod hic licet, ut & alibi liceat neceſſe eſt.

64. Homines ſeptentrionales, ut noſtri orbis exemplo hic utar, ad pocula proniores ſunt, ideo fere inter Belgas noſtros recte ſancitum fuit, ut ab obligationibus in taberna potoria inter pocula celebratis, alterutri contrahentium poſtridie ante meridiem recedere liceat. Ne ſcilicet candida & innoxia ebrietas captionibus & inſidiis exponatur.


65. Ad auſtrum verò gentes naturâ frigidiores, ſed & vafræ & callidæ, & ad circumveniendum proclives ſunt, ideoque inter eas obligationes ſine interventu tabellionis teſtiumque vix contrahuntur.

66. Huc etiam facit, ut ſi lex ferri non poſſit, quæ peræque ſingulis proſit, feratur quæ proſit majori parti, etiamſi cum damno & incommodo quorundam ſit conjuncta. Et ejuſmodi lex haud minus illos, quibus noxia eſt & incommoda, obligat, quam illos, quibus prodeſt.

67. Leges enim quantumvis rigidæ, duræ, iniquæ, obſtringunt omnes ad obſequium, modo ne contrariæ ſint præceptis divinis aut naturali æquitati.

68. Denique Leges tot eſſe debent, quot requiruntur ad explenda officia, quæ totum parti,

pars toti, & singuli singulis, qua partes societatis civilis sunt, debent. Multitudinem autem legum corruptissimæ Reipubl. argumentum esse, perperam ex Tacito vulgo asseritur.



MARCI ZUERII
BOXHORNII

REIPUBLICÆ BATAVICÆ

BREVIS, ET ACCURATA DESCRIPTIO.

Nunc primùm in lucem edita.



AMSTELODAMI,
Apud CASPARUM COMMELINUM,
cIↃ IↃↃ LXIII.



MARCI ZUERII BOXHORNII

REIPUBLICÆ BATAVICÆ

Brevis, & accurata Descriptio.

CAPUT. I.

De prisco Reip. Batavicæ statu, & Regiminis publici ratione.

DE rep. Batavorum ordine acturis ante omnia videtur, ut quam gravis olim illa fuerit, accurate inspiciatur. Tempora autem tria distinguenda; nimirum I. Romanorum, Julii Cæsaris, & reliquorum Principum, qui eum excepere: II. Saxonum & Francorum ab anno Sexingentesimo post natum Christum, usque ad annum Octingentesimum Sexagesimum tertium: III. Comitum, ab eo ipso anno, usque in præsentem rerum tempestatem. Romanorum tempora quodconcernunt, quantum ex ipsis eorum scriptoribus liquere potest, illis Regium, quemadmodum apud cæteros Germanos, ita etiam apud Batavos fuit. Quod tamen regium Imperium non ita accipiendum est, ac si Principes absolutâ Imperandi potestate instructi fuerint, atque donati. Contra enim sese res habuit. Nomen magis regium, quam regia potestas fuit, certis legibus, ac conditioni-

bus definita: adeo ut Proceribus, & populo ab illis retro temporibus ſuum conſtiterit decus, & vis libertatis. Atque hoc libro *Annal.* I. *Corn. Tacitus* indicatum voluit; ubi de Germanorum, ac præſertim Friſiorum, qui pars Bataviæ ſunt, Regibus agens: *in quantum*, inquit, *illi Regnantur.* Regum nomine, & familiâ inter Batavos ſublatis, hæc loca Saxones primum, mox Franci invaſere, qui non tam Domini Batavorum, quam Tutores, atque Patroni, adverſus ingruentem externam vim, fuêre. Quam ob cauſam per legatos ſuos belli opera potiſſimum hi exſequebantur: qui legati ab antiquis medii ævi ſcriptoribus *Miſſi Dominici* ſolent appellari. Procerum igitur, & populi libertas etiam tum inviolata ſtetit: niſi quod aliquando per vim, & minimam Dominationis authoritatem, illam læſam leviter, & violatam non negaverim. Comites à Carolo Calvo Francorum Rege, anno 863. ſunt inſtituti. Eorum ſeries primo per domum Aquitanicam, mox per Hannoniam, deinde per Auſtriacam familias deducta, & devoluta fuit, uſque ad tempora Philippi ſecundi, Regis Hiſpaniarum, filii Caroli Quinti; qui ob occupatam, violatamque libertatem, neglectaſque conditiones, quibus ſervandis ſe obſtrinxerat, priuſquam Comitatum adipiſceretur ſolemni ſuffragio, atque edicto Ordinum Imperio, & omni jure exutus eſt, anno 1572. Atque hanc quidem Comitum poteſtatem ſi excutiamus, modicam admodum eorum authoritatem inveniemus. Nunquam ad imperium adſciſcebantur,

bantur, nisi jure electionis: quæ, quemadmodum uni cuidam familiæ astricta erat, ita in cæteris tota à Proceribus atque Ordinibus dependebat. Leges ipsis, & concessa privilegia majorum, in quæ jurarent, proponebantur, non ipsis fas vectigallia, aut tributa imponere, nisi Impetrato Ordinum consensu: unde precari magis, quam imponere tributa dicebantur, Quamobrem Vectigalia sub Comitibus instituta, populari lingua *Beden*, apud Latinos Scriptores *Preces*, quod idem est, dicebantur. Non illis indicere, aut inferre bellum, pacem, aliaque fœdera inire licebat, nisi eorum Ordinum accederet consensus. Adeò ut vel hinc manifestum evadat, & sub Regibus, & sub Saxonum, atque sub Francorum legatis, & denique sub Comitum principatu perpetuam, nec jure temeratam apud Batavos extitisse & imperandi, & parendi libertatem.

CAP. II.

De eo, quod nunc est, apud Batavos, Ordinum Imperio, eorumque quo ad summam rerum authoritate.

QUemadmodum jure, meritoque, post violatum Reip. statum, Philippus Secundus, Hollandiæ Comes, judicatus est Principatu suo excidisse: Ita suprema Reip. administratio continuò ad Ordines devoluta omnis fuit. Quorum quidem Ordinum duæ sunt partes: primam constituit Equestris ordo, Nobiles Batavorum, secundam Civitates. Nobiles jus primi suffragii ha-

habent, atque primæ ſententiæ; ita tamen, ut omnium Nobilium, qui ad ordinum comitia vocati ſunt, omnia ſuffragia, non niſi unius & ſimplicis loco ſint; interſunt a. Nobiles ſubinde plures, ſubinde pauciores, ut plurimum tamen duodecim, aut quatuordecim numero ſunt.

Civitates quod ſpectat, illarum delegati, qui Conſules fere, & Scabini ſunt, ad publica Ordinum comitia ſententiam dicunt. Uniuſcujuſq; civitatis delegati ſubinde tres, quatuorve ſunt, omnes tamen unius tantum ſuffragii capaces. Cæterum quarundam civitatum delegati hodie in comitiis ordinum non comparent, non quod jure civitas aliqua publicis comitiis poſſit excludi, ſed quod quædam non magnæ rei, non magnarum opum, ſumptibus in illis comitiis ferendis non ſint pares: ad quod accedit & alia ratio, quod in indictione vectigalium atque tributorum ſimul cum cæteris vix aliquid poſſint ſuppeditare, aut conferre; jam autem alienum videtur, ut de ſummâ rerum ſententiam ſuam dicant illi, qui nihil aut parum admodum ſubſidii ad eam poſſint contribuere.

Porrò iſta ordinum comitia duûm generum ſunt, quædam perpetua, quædam quæ ſtatis anni temporibus ingenti rerum neceſſitate, induci ſolent. Perpetuis comitiis intereſt Nobilium numerus, & ſingularum civitatum Delegati, qui vulgo *Gecommitteerde Raeden*, id eſt, delegati Ordinum Conſiliarii ſolent appellari. Horum juriſdictio, & authoritas non niſi circa res minoris ponderis, & quotidianas ſe ex-

exporrigit, expanditque. In aliis autem illis comitiis res majores momenti, tributorum ratio, pacis ac belli opera, atque alia ejus generis ſolemniter magis & majore delegatorum numero, ſolent tractari; de quibus generatim ita dictis, reſtat ut ſequentibus capitibus particulatim magis agamus.

CAP. III.

De modo Exquirendæ, proponendæque ſententiæ, quoad ſummam rerum, in Comitiis Ordinum Batavorum.

INdicendi conventus Ordinum curæ penes unum eſt, qui vulgo ſupremus Ordinum Syndicus, ſive Advocatus ſolet appellari: Is ſumma rerum capita, ſive gravamina, ut vulgo loquuntur, accuratè conſignata ad ſingularum civitatum Magiſtratus mittit; quibus acceptis, in ſingulis civitatibus convocari omnes ſolent, ad quos ſumma rerum ſpectat, ſuntq; illi, & Conſules, & Scabini, & Quadraginta-Viri, Triginta-Viri, ex quibus Ordinarii magiſtratus vulgo legi ſolent, eorum judicia de ſingulis, quæ in graviminibus continentur, ſeriò atque accuratè expoſcuntur: plurimum autem ſuffragiis omnia decerni ſolent: quod verò ab omnibus decretum, & ſtatùtum eſt, in comitiis Ordinum exponendum illis creditur, qui ad ea ablegantur: Vulgo a. quemadmodum in præcedentibus dictum eſt, aliqui Conſulum, vel Scabinorum cum Syndico, quem Penſionarium vocant,

admitti consuevere; Consulis, vel Scabini authoritatis; Syndicus a. dicendæ sententiæ causa, neque ei in dicendo excedere licet limites mandati, quemadmodum JCti loquuntur. Summâ igitur rei in singulis civitatibus expensâ, statutâque, convocatisque ad statum diem civitatum singularum delegatis, supremus ille, de quo jam diximus, Ordinum Advocatus res, de quibus agendum est, proponit, atque ex ordine judicia singulorum exquirit, quæ accepta ipse confert inter sese, atque componit, pluriumque suffragiis sententiam definit, non tamen semper ex plurium votis res decidi solet: subinde enim omnium consensus necessario requiritur, nimirum in arduis negotiis, bello, pace, vectigalibus accipiendis, vel adimendis, quorum non singuli pro rato, ut loquuntur, sua ad expensas publicas conferebant, æquum justumque videtur, ut quisque opum suarum rationem habeat, neque aliorum qui ditiores sunt, suffragiis oneretur. Unaquæque enim civitas sui juris est, neque ad hoc, vel illud sive agendum, sive non agendum compelli potest. Patet igitur, ut rei compendium faciam, omnium suffragia instar singulorum, & singulorum instar omnium esse, & in comitiis Ordinum non tam cogendi singulos esse authoritatem, quam modum per legitimas rationes obtinendi singulorum consensus.

CAP.

CAP. IV.

De cura regalium Bataviæ administrandorum.

PRæter comitia Ordinum, est & alius ordinarius eorum conventus, quorum fidei, curæque regalia, ut vulgus loqui solet, reip. sunt demandata. Munus eorum potissimum versatur, ut rationem habeant Dominiorum, quæ nullius privatæ, sed publicæ sunt jurisdictionis: insuper ut rationem habeant earum pecuniarum, quæ ex agris publicis, feudis, investituris, aliisque hujusmodi rebus colliguntur. Conventus Cameræ rationis, vulgo de *Kamer van Reekeninge*, Consiliarii ipsi Magistri rationum, vulgo *Reeken-meesters* solent appellari.

CAP. V.

De ordinario Ordinum Bataviæ conventu, qui duplex, curans ea quæ aut terram, aut mare spectant.

DIximus in præcedentibus, ordinarium esse eorum conventum, qui delegati Ordinum Consiliarii, vulgo *Gecommitteerde Raden* solent vocari. Quum autem duobus potissimum resp. innitatur, iis nimirũ quæ aut terra, aut mari geruntur, duplex etiam eorum est ordo. Quidam simpliciter *Ordinũ delegati*, alii *Delegati ad Collegiũ Admiralitatis* solent appellari, ad illos terræ, ad hos maris cura spectat, illi *Haga-comitis*, hi

hi autem maritimis civitatibus fixam ſedem, ac conventum habent. Munus eorum potiſſimum in eo conſiſtit, ut iis, quæ militiam terræ gerendam ſpectant, cum Gubernatore Provinciæ, & extraordinario Ordinum conventu communicatis, provideant ne quid reſp. capiat detrimenti, præſidiis civitatum, ſtatis militum ſtipendiis curandis ipſi illi ſunt deſtinati; ardua autem & quæ maximi ponderis negotia committere non ſibi, ſed extraordinario Ordinum conventu coguntur: adeo ut eorum curæ hoc tantum ferè commiſſum ſit, quod vulgo *finantiam* appellamus. Quæ omnia paulò accuratius ex ipsâ eorum inſtructione, ut loquuntur, pendiculanda ſunt. Primo igitur communicant conſilia cum Provinciæ Gubernatore, qui ipſe etiam, ſi quid acceperit, conſilia cum iis conferre ſolet ac communicare. II. Jus, libertatem, Privilegia, Conſuetudines Provinciæ tuentur, ac defendunt. III. Præſidia militum pro libitu & præſente rerum ſtatu, nunc his, nunc illis in locis diſponunt, re cum Provinciæ Gubernatore ſemper communicatâ. IV. Subitariis Provinciæ motibus, ſeditioni populi, aliiſque ejuſmodi malis ex tempore occurrere eorum muneris eſt. V. Querelas, ſupplices libellos, alia talia diſtrictuum, civitatum, pagorum, privatorum denique, quatenus publicum concernunt, excipere illi ſolent, atque examinare. VI. Quicquid in extraordinario Ordinum conventu ſtatutum, decretumque eſt, ipſi exſequuntur. VII. Ex eorum conſilio, & authoritate, addito Gubernatoris

natoris assensu, Præsidia, Castella, aliaque belli opera exstruuntur, curantur, reficiuntur. Isti, de quibus jam dictum, Ordinum Delegati singulis trienniis mutari, aliisque ex singulis civitatibus in eorum locum sufficí solent, ac restitui.

C A P. VI.

De curâ rerum maritimarum, sive Collegio Admiralitatis.

QUum, ut ille inquit, iis artibus conservari imperium debeat, quibus partum est, maxima certe circa res maritimas in Batavia cura esse debet. earum enim beneficio aucta semper, & promota hæc resp. Ordinarius proinde Ordinum II. collegii, sed varius, in omnibus nimirum illis civitatibus, quæ navigationibus, commerciisque exercendis sunt opportunæ; qualis in Batavia potissimum quatuor sunt, Amstelodamum, Horna, Rotterodamum, & in Zelandia Middelburgum. Comparent in singulis illis conventibus singularum provinciarum, atque civitatum delegati. Ipsorum est certas, & tutas præstare adversus vim hostium navigationes, jus liberi maris tueri, classes in naves bellicas adonare, easque destinare in ea loca, in quibus navigationibus maximo usui esse possunt.

Præterea tormenta bellica, aliumque belli navalis apparatum sedulo curare; re semper cum supremo Architalasso, qui Gubernator provinciæ est, & ordinario ejus vicario communicatâ.

nicatâ. Quod nautas, quod ſocios navales, quod mercatorum circa uſum maris querelas, quod ſociorum navalium ſtipendia concernit, id totum eorum juriſdictionis eſt: quæ ſtipendia ex portoriis, tributiſque ultro, citroque navigantium colliguntur. Si quid autem incidat, quod gravioris, majoriſque ſit momenti, id omne ad Gubernatorem provinciæ & extraordinarium Ordinum conventum referri ſolet. Inſuper qui ad ea collegia delegati ſingulis trienniis mutare locum, & deponere authoritatem aliis ſuffectis coguntur. Atque ita quidem publica Batavorum quod res terreſtres maritimaſque comitia, & collegia ſeſe habent. Reliquum eſt, ut de Provinciæ Gubernatore, ejuſque munere, & authoritate non nihil dicamus.

Cap. VII.

De Provinciæ Gubernatore, ejuſque authoritate.

QUemadmodum publica authoritas, ac majeſtas Comitum temporibus partim penes Comites, partim penes Ordines fuit: ita hodie inter Ordines & Gubernatorem illa eſt diviſa, ita tamen, ut authoritas Gubernatoris deferenda ab iis ſit, & ſi reſp. ita exigat, repoſcenda. Poſt defectionem legitimam à Rege Hiſpaniarum, Gubernatoris dignitas Principibus Arauſionenſibus propter ſumma horum merita fuit delata. Poteſtas ejus dupliciter eſt conſideranda, & domi, & foris, ſive bello, & pace. Domi

caput

caput supremæ in rebus civilibus jurisdictionis, sive Præses magnæ Curiæ est. Ad eum quoque spectant dignitates, quæ propius Comitatum ipsum concernunt, alicui eorum largiri, qui ab Ordinibus, ut vulgo loquuntur, sunt nominati. Quod fœdera, pacem, bellum spectat, magis in eo videre est suadendi, quam jubendi authoritatem. De summa reip. deferre ad Ordines potest, nihil potest imperare. Conventui eorundem Ordinum præsentem se sistere, nisi vocatus non potest: habet tamen suum inter equestrem sive nobilem Ordinem delegatum, qui simul cum cæteris sententiam dicere potest; quod ipsi concessum non tanquam Provinciæ Gubernatori, sed tanquam feudali, acceptis vel per emptionem, vel hæreditatem nonnullis dominiis, quæ in eâ Provinciâ posita sunt. Quod militiam sive terrestrem, sive navalem spectat, multo majoris est authoritatis. Bellum navale per vicarium fere exsequitur, qui mandata Gubernatoris accipit, exsequiturque, sed prius cum collegio Admiralitatis communicata. Quoties terra bellum geritur solemni aliqua expeditione, ipse præsens interesse solet, omniaque pro libitu exsequi potest, accepto tamen Ordinum consensu, qui in castra simul cum ipso tres, quatorve solent suo nomine delegare. Porrò quoties magnum aliquod tentare cupit, ac moliri, cujus secreta, &, occulta manere debent consilia, quæ facilè dispalescerent, si cum Ordinum singulis communicarentur; ita fere agere solet: Primo Ordinibus necessitatem movendorum

in hostem castrorum generatim exponit, quibus ad eam expeditionem opus sit, etiam deducit, rogatque Ordines, ut necessariam pecuniæ summam ex ærario publico velint erogare quo facto deliberant Ordines, sit ne in usum reip. vel contra, id quod à Gubernatore postulatur; deinde duo, tresve, quos Gubernator ipse legit, quibusque ipse quàm maximè fidit, ex toto Ordinum collegio deputantur, qui duo, tresve satis habent, si generatim præsentibus Ordinibus omnibus exponant, illud utile, ac necessarium esse, quod particulatim in consilio Gubernatoris accepêre, sin vero illi duo, tresve nec utile, nec necessarium esse exponant, rescinditur expeditionis apparatus, negantur que Gubernatori promovenda in hostem castra, quæ antea generatim concessa erant. Emolumenta ex utrâque militiâ reportat Gubernator; partem enim decimam ferè consequitur omnium earum prædarum, quæ hostibus eripiuntur.

Cap. VIII.

De Reditu opum publicarum.

Quæ aliis in locis publicæ opes naturæ debentur, hic debentur instituto; institutum autem illud circa vectigalia versatur: sunt autem vectigalia duorum generum; quædam rerum, quæ advehuntur, & evehuntur; quædam rerum, quæ ab ipsis incolis consumuntur; illis præter incolas exteri etiam, his incolæ tantum onerantur: illa quod spectat, pro mercium pretio

tio

tio majora ſunt, vel minora, ſuntque in ſingulis Bataviæ portibus conſtituti, qui eorum ex fide colligendorum habent rationem. In vectigalibus impoſitis rebus, quæ ut diximus, ab ipſis incolis conſumuntur, varias eorum ſpecies, varias formas obſervare licet. Vix enim quidquam tam leveeſt,tam nullius ponderis, cujus nomine vectigal non ſit ſolvendum. Id autem obſervatione longè digniſſimum, ita ordinatam eſſe vectigalium illorum rationem,ut, quæ graviſſima ſunt,ditiores tantum,& potentiores contingant, quemadmodum in vectigalibus vino,agris,prædiis, domibus, aliiſque hujuſmodi rebus impoſitis unicuique facilè patere poteſt: jam autem qui vino utitur, & qui domos, agros, prædia propria, ac ſua habet, facile eorum nomine aliquid in publicum effundere poteſt. Dabo ex omnibus unum, & nuperum ejus rei exemplum: ſingulari arte recens inventa eſt corradendæ in uſum reip. magnæ pecuniæ ſummæ ratio:quum plurimi ſint ditiorum,qui magnam pecuniæ vim ærario publico crediderunt, cujus intereſſe, dato chirographo accepti, quotannis utuntur; quum autem plurimæ circa forum lites, quæ non niſi inter potentiores ſolent excitari, nec confici, aut ad finem perduci, niſi confectis plurimis invicem, ut loquuntur, inſtrumentis: quum continui,& quotidiani inter ementes & vendentes hoc in loco commerciis florentiſſimo contractus ineantur, iique in fidem rerum ſint conſignandi; viſum Ordinibus edicto publico cavere, ne aut chirographa, aut

aut libelli forenſes, aut contractus, aliaque ejuſmodi inſtrumenta pretii alicujus eſſent aut authoritatis, niſi iis in ſcedis conſignata, quibus Ordinum majus, vel minus ſigillum impreſſum eſſet; ſchedis autem iſtis ſuum impoſitum pretium, quod ſolvendum uniquique quis opus habet, ſic fit, ut ſcheda, quæ obulo antea comparari ſolebat, ad pretium plurium aſſium excreverit, pretium nimirum ſemel præſtitutum. Incredibile autem eſt, quantum vectigal illud ad publicas opes conferat, propter frequentiſſimum earum ſchedarum uſum. Pauperiores vero, & qui tenuiores ſunt fortunæ parum, aut nihil hinc ſentiunt oneris, quia ditiorum eſt fere agere, quæ jam recenſuimus. Nec aliter nuper ſingulis domibus & patribus-familias famulorum, & famularum ſuarum nomine vectigal quotannis pendendum; certe pauperes id vix premit, qui famulitio non utuntur.

C A P. IX.

De tributis ordinariis, & extraordinariis.

TRibutorum inter *Batavos* alia ordinaria, alia extraordinaria ſunt. Ordinaria appellamus, quæ jam ab initio hujus reip. ſemel ſtatuta ſemper tolerantur. Nihil autem tam vile eſt, cui non ordinarium tributum impoſitum ſit. Obſervandum autem in ordinariis tributis, quod illa ſubinde pro rerum, ac temporum neceſſitate increſcere ſoleant, atque adaugeri, quod profectò fit, quam prudentiſſimè; enimverò præ-

præstat inveterata illa tributa augere, quàm nova imponere. Novum enim novi oneris & plurimum plebi est invisum: onus autem quod veteri additur, propter consuetudinem non difficulter toleratur: inter ordinaria tributa præcipuè affirmandum est illud, quod salium, vulgo *Soudt gelt*, solet appellari, ex quo non exigua pecuniæ vis in robur reip. solet derivari. Ejus autem imponendi hæc est ratio: Magistratus urbanus singulas familias, earumque capita lustrare solet; prout autem vel modica, vel numerosa est uniuscujusque familia, major minorve salis mensura quotannis consumenda indici solet, pro cujus mensuræ vel magnitudine, vel, ut ita dixerim, parvitate, majorem minoremve pecuniæ summam publico debet: sanè familiæ singulæ modicæ rei civium duobus ferè florenis quotannis hujus tributi nomine publico satisfacere tenentur. Sed & inter ordinaria tributa id, quod vino, cerevisiæque impositum, non postremum putari debet. Pretium vectigalis in vino ipsius vini pretio ferè est adæquatum. Vas unumquodque, sive tonna cerevisiæ floreni unius pretii æstimatur. Non prætermittendum est hoc loco majus longè tributum utriusque & vini, & cerevisiæ nomine illos pendere, qui caupones sunt, hospitiisque suis alios excipere solent, quam civium cæteros; idque sanè fit non sine gravi ratione; quippe grande illud cauponum vectigal non tam necessariis rebus, quarum onera ferè morosius ferre solent, quam revera superfluę, quam intermittere quisque

que poteſt, impoſitum eſt vivendi voluptati,nec nimium id exiſtimat ille, qui propter plura intermiſſurus non eſſet illas vitæ ſuæ dilitias: Extraordinaria tributa ſunt ferè triplicia. I. Cenſio capitis.II.Cenſio caminorum.III. Vectigal illud, quod vulgo ducenteſimam, ſive *den twee honderſten penningh* appellamus. Cenſio capitis nihil eſt aliud, quam uniuſcujuſque, cujus tandem ordinis, ſexus aut ætatis ſit, capiti impoſitum tributum, quod in capita ſingula floreno ferè ſive 20. aſſibus æſtimatur. Incredibile autem dictu eſt, quantum id faciat ad ærarii publici incrementum in tanta populi multitudine, quâ regiones iſtæ ſunt refertæ. Cenſio caminorum, vulgo *Schoorſteen-geldt* appellatur, eſtque nihil aliud, quam vectigal ſingulis eminentibus ſingularum ædium caminis impoſitum, quod in ſingulos floreno ferè, vel 20. aſſibus æſtimatur. Ducenteſima nihil aliud eſt quam vectigal omnibus uniuſcujuſque opibus impoſitum,ſive toti ſubſtantiæ qui 200. ex. g. florenos poſſidet, eorum nomine unum publico debet; qui quadringentos poſſidet, duos conferre cogitur, & ita porrò. Atqui dicat hîc aliquis, difficulter admodum, aut vix uniuſcujuſque privati opes recenſeri poſſe, aut æſtimari: nemo enim divitiarum ſuarum vel magnitudinem, vel tenuitatem facilè aliis ſolet explicare, proinde ſæpe fieri quis exiſtimet ut unius tributi exactione aut plus ſolvant qui ditiores, quam ſunt, æſtimantur, nimis etiam parum pendant illi, quorum opes longè majores ſunt, quam exiſtimantur.

tur. Huic difficultati prudenti temperamento, ac moderatione obviam semper itum fuit. Moris quippe est, ut in ducentesimâ imponendâ Consules uniuscujusque urbis, ac Magistratus cæteri pro libitu, & publica de uniuscujusque opibius fama plus minusve exigant, prout aliqui vel ditiores sunt, vel pauperiores, adeò ut nemo opes suas deferre cogatur, quum arbitrio ipsorum magistratuum, quantum fieri potest, proximè æstimentur. Si enim decepti fuerint magistratus in nimia substantiæ alicujus æstimatione, licet unicuique privato apud eos instituere nimii oneris querelam. si quis enim concipiat juramentum tantum se non possidere, quanti æstimatus fuit, diminuitur census impositus.

CAP. X.

De colligendorum vectigalium publicorum ratione.

DIversitate omnium tributorum satis superque examinata, restat, ut de eorum colligendorum ratione non nihil dicamus. Modus autem duplex est. Vel nisi certo pretio annuus tributorum proventus alteri addicitur, & elocatur, vel ipsi Magistratus, aut ab iis constituti curam eorum habent. Primum modum quod spectat, quotannis ad singulas civitates se conferunt duo, tresve Ordinum delegati, qui stato die, præsente omni populo proventum horum vel illorum tributorum quasi vendunt, qui maximum

ximum pro eo pretium obtulit; si nimium obtulerit falsus animi ac opinionis, summam tamen oblatam vel etiam cum damno suo præstare tenetur: in quo ne reip. fraudi sit, idoneos fidejussores, sponsoresque offerre ille cogitur, cui proventus tributorum elocatur: Ne etiam populus subinde telonario solvere detrectet, quod tributi nomine solvendum, paratæ (ut loquitur) exequutionis jus, atque authoritas telonario datur. Atque ita quidem proceditur in tributis, quorum alius, atque alius nunc major, nunc minor singulis annis est proventus: contra in aliis sese res habet, quorum censsus quum semper idem sit, ac definitus, mandatur eorum curæ iis, qui spectatæ inter magistratus innocentiæ sunt, ac integritatis.

CAP. XI.

De ratione solvendi stipendii militaris.

POst ea, quæ jam diximus, sequitur ut nonnihil de exponendo tributorum proventu potissimum in militum stipendia hîc agamus. Quemadmodum militia latrocinium esse non debet, ita latrocinium fit, quum accurata stipendii militaris ratio non habetur. In quo, si quiquam, Batavi imprimis prompti, ac parati sunt. Quoniam fieri subinde solet, ut propter continuos sumptus exhaustum pene publicum ærarium sit, vel tardius etiam tributorum proveniat proventus; ne interea miles simul ac publicum laborarent seriò est provisum. Sunt certi qui-

quidam homines qui à ſolicitandis publicis pecuniis pro militum ſtipendiis *Solliciteurs*, vel ſollicitatores ſolent appellari: illi lucri ſpe, ac cauſa cum ſingularum cohortium Tribunis ita paciſci ſolent; pollicentur nimirum ita acturos ſeſe, ut parata ſemper pecunia ſit ad militibus ſingulis octiduis ſatisfaciendum, eâ conditione, ut Tribuni pro ſingulis centum ſollicitatoribus ſolvant intereſſe, ſubinde 15. ſubinde 25. florenos pro ut ſe habent provinciæ, ex quibus ſtipendia peti debent. Aliæ enim aliis magis florentes vel promptiores vel tardiores eſſe ſolent. Sollicitatores igitur mutuo pecuniam ab aliis, quantum neceſſe, petunt: curant ne hebdomadalis ſtipendii ſolutio unquam interrumpatur. Fœnore fruuntur, atque intereſſe pluſquam ordinario propter pericula, quæ ſuſtinent in pecuniis mittendis, propter moram etiam, & moleſtias in iis pecuniis ob Ordinibus repoſcendis continuo ſubeundas. Adeò ut hinc videre ſit rationem, qua exhauſto ærario, ſingulis tamen publico nomine ſatisfieri poteſt. Homines opulenti ſollicitatoribus pecunias ſuas credunt, ſollicitatoribus militum Tribuni, ſollicitatores verò *Ordinibus Batavorum*. Sic privatus publico impræſens præſtat, quod impræſens publicum non habet, ſtipendium dico militare.

C A P. XII.

De Ordinum Generalium Collegio.

QUæ hactenus campendio à nobis dicta ſunt particulatim etiam Batavorum provinciam

concernunt, quæ vulgò Hollandia appellatur; cujusmodi ferè ratio, paucis admodum aliter sese habentibus, in cæteris provinciis existit. Non alienum nunc erit, si de supremo fœderati Belgii, sive Ordinum Generalium collegio agamus. Est id ejusmodi, ut suprema Belgii fœderati & omnium provinciarum majestas eo repræsentetur. Constat autem illud ex singularum provinciarum, quæ fœderatæ sunt, Delegatis: qui numero vel plures, vel pauciores esse solent, prout à singulis provinciis, vel plures, vel pauciores ad id collegium deputantur: ut plurimum autem numero inter vigesimum, & trigesimum sunt. Ad triennium tantum ea potestate Delegati funguntur. Ex ordine nunc hac, nunc illa hebdomade præsident nunc hujus, nunc illius provinciæ deputati: qui ipsi limites mandati habent ab Ordinibus earum provinciarum, à quibus mittuntur, quos neutiquam excedere licet. Si autem quid præter exspectationem magni ponderis eveniat, de eo in Ordinum concessu nihil certi statuere possunt provinciarum delegati, nisi prius re omni cum provinciis communicata. Adeò ut eo de Collegio videre sit harmoniam, & concentum illius fœderis, à quo fœderati appellamur. Conventui huic se sistere Gubernator provinciæ nisi vocatus non potest: ab hoc imperia omnia accipienda ipsi, & exsequenda. Nihil jurisdictionis tamen in singulas provincias ipsi illi Ordines Generales habent. Sed eorum conventu provinciæ singulæ, eorumque consilia uno quasi vinclo

clo conjunguntur. Quod bellum, quod pacem, quod majestatem, & decus hujus reip. quod supremas, & publicas dignitates, quod legationes, quod ineunda, conservanda, abroganda fœdera, quod excipiendas, vel mittendas legationes, quod privilegia, quod curam monetæ, aliaque ejus generis, quæ summi ponderis, concernit, id totum ex arbitrio, & authoritate hujus collegii dependet. Porrò in partem curarum Ordinibus Generalibus venit Collegium quoddam proximum, quod Consilium status, vulgo *de Raedt van Staten*, solet appellari. Illi autem ejus collegii Consiliarii nihil agere possunt, aut statuere, nisi quod examinandum & dijudicandum ab Ordinibus Generalibus ad eos est relatum. Quod salvos conductus, quod stipendia militum generatim, quod exauctorationes militiæ ducum, ac electiones, id totum, volentibus ita Generalibus Ordinibus expendi hic solet: adeò ut in Collegio Generali id ferè totum agitur, quod reip. hujus spectat incrementum; penes verò Consiliarios status est cura, ut quæ à Generalibus Ordinibus mandata, accuratè observentur, adeò ut illorum quidem sit imperare, horum autem, dati imperii authoritatem in singulis tueri. Constat autem hoc consilium status ex singularum ibidem provinciarum delegatis: adeo ut Generalia Collegia hujus reip. sint nihil aliud, quam omnium provinciarum conventus; atque ita occasio discordiis omnibus, atque dissensionibus, quæ inter singulas provincias quoad summam rerum possent exori-

riri, præcisa est. Singuli enim omnes, & omnes singulos sequuntur, quod solum, & unicum hujus Imperii, majestatisque est fundamentum.

Cap. XIII.

De utriusque & Orientalis, & Occidentalis Indiæ Societate, ac Collegiis.

QUemadmodum ex commerciis potissimum privatorum, & ex iis opes publicas diximus augeri, ita præcipue illa in mercibus consistunt, quas hac tempestate soli fere, exceptis Hispanis, Batavi advehere, & per universam Europam distrahere solent. Acceptum id referri debet primo collegio societatis Indiæ Orientalis; quod nihil est aliud, quam multorum privatorum sponte in unum olim collatæ opes ad instruendam idoneam classem, quæ portus aliquot, & regiones Indię possent expugnare, quod fœliciter quidem successit, unâ alterave Hispanorum in Indiis arce occupata. Aditus ad commercia longè amplissimus fœderaque cum Indorum Regibus, præcipuè Japoniæ, & Chinensium principibus patefactum est: Unde quæstum magnum primo statim initio Participantes, ut vocant, & sic resp. percepere. In principio cum Indis, hominibus altæ cujusdam, & ignavæ simplicitatis pro mercibus pretiosissimis merces viliores, & quæ nullius fere pretii, oblatæ acceptæque fuere. Est Amstelodami etiamnum superstes non nemo, qui pro ducentis præter propter catenis, ex vitreis glosulis confectis, tan-

tantam margaritarum vim ab Indis accepit, ut quum anteà nullius pene rei esset, brevi tempore ad duarum vel trium tonnarum auri opes pervenerit. Verum ita diutius sese falli jam Indi non patiuntur, & mercibus quidem nostris, sed paulo pretiosioribus & suarum ferè pretio adæquatis delectantur. Porrò quod Batavi impræsens quoad mercatum rerum Indicarum agunt, præcedentibus sæculis à serenissima Venetorum rep. fieri semper consuevit, unde etiam tantæ in illa rep. opes: verum commercia illa instinc statim collapsa sunt, quam primum Batavi in Orientis Indiam venêre, nec illius rei ratio est obscura: quippe terrestri itinere per dissitas Orientis plagas Constantinopolim primum, mox Venetias deferenda Veneti curabant: via autem navali Batavi ea ipsa deferebant, deferuntque hodie; jam autem expeditius, & minoribus sumptibus iter mari, quam terra peragitur, proinde easdem merces Indicas viliori pretio Batavi quàm Veneti exponere potuêre. Sed propius jam videndum, quæ constitutio, quæ forma sit hujus societatis. Quum primum instituta esset, in faciendos sumptus collatæ sunt à privatis 60. tonnæ auri, quarum utendarum cura penes supremos societatis præfectos fuit, qui vulgo *de Bewinthebbers* solent appellari, qui leguntur ex participantium omnium numero ab iis participantibus, qui maximam summam contulere, puto quinque millia florenorum, & vulgo Capita participantium, sive *Hooft-participanten*, solent vocari. Interesse pecuniæ

expositæ certum, aut statum non est, nec stato tempore participantibus solvitur; pro accepta præda, pro fœlicitate commerciorum, pro multitudine mercium delatarum semel tertio, quarto, subinde uno anno interesse, subinde octo, subinde viginti, aliquando etiam viginti quatuor, de centum, ut loquuntur, participantibus solvitur: adeo ut impræsens participantes Indiæ Orientalis quotannis media fere parte capitalis (quod mirum videri possit) quotidie, pecunia tamen ulterius non oblata, augetur. Hoc volo si quis impræsens summam possideat 4000. florenorum, creditam jam à principio Societati Indiæ Orientalis, eamque alteri vendere velit, nullo negotio sexdecim millia florenorum pro ea possit obtinere. Pretium enim simplicis summæ si vendatur, ad quadruplum excrescit, nec id sane sine ratione. Quum enim magis magisque indies florere hujus Societatis commercia videantur, nihil aliud exspectandum est, quam ut tandem progressu temporis interesse quotannis ipsi summæ capitalis adæquetur. Ita quidem status illius Societatis se habet. Superioribus annis pari exemplo, & modo Societas Occidentalis instituta fuit. Summa ejus capitalis in unum collata est octoginta tonnarum auri, qua factum, ut ea Indiæ Occidentalis pars, quæ *Brasilia* appellatur, tota sub potestatem nostram reducta sit. Ex qua magnus impræsens sacchari, pellium, eboris, tabaci, modicus autem argenti est proventus. Hac etiam factum, ut classis argentaria Hispanarum opum im-

imprimis dives expugnaretur, qua capta singulis participantium media summæ capitalis pars, hoc est, quinquaginta de centum persoluta fuit: sed & ante pars quarta summæ capitalis, hoc est 25. de 100. fuerat persoluta: adeò ut in præsens illi, qui summam ex. g. centum florenorum in gratiam Societatis exposuêre, manente annorum spacio acceperint florenos septuaginta quinque, qui sanè quæstus longè maximus est, majorque speratur indies, si fortuna ita porrò conatibus favere velit. In utraque India magna militum, sociorumque Navalium vis est, quibus, ut & peragendis commerciis præsunt Generales, qui quasi ------- militiæ est; & Consiliarii, qui ad politiam & commerciorum rationem accuratè attendunt. Atque hæc de statu illarum Societatum quantum satis.

F I N I S.



